BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIII
D
35
NAPOLI

XLIII
35

PETRI PETITI,

PHILOSOPHI & DOCTORIS MEDICI;

MISCELLANEARUM OBSERVATIONUM

Libri quatuor,

Nunquam antehac editi.



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

TRAJECTI ad RHENUM,
Typis RUDOLPHI a ZYLL.

CIↃ. IↃ. C LXXXII.

In Libros MISCELLANEARUM OBSERVATIONUM Præfatio,

Ad EMERICUM BIGOTIUM, genere & omnis diſciplinæ liberalis ſtudio nobilem.

CUm tuum, ut ſcis, conſilium ſecutus ſim, de hiſce edendis Miſcellanearum Obſervationum libris, generoſiſſime BIGOTI & mihi multis nominibus colende; non mihi diu quærendus fuit, cui hos libros commendarem. Aderas nempe, cum id conſilii caperem, qui mihi hujus auctor fuiſti; dum etiam commentarer, aderas, quem tunc in urbe commorantem de omnibus conſulebam: Nec porro dubito, quin nunc quoque vel maxime eidem ingenii mei fœtui in publicum prodeunti adeſſe velis, quo tutior inter judiciorum pericula verſetur. Quod ſane ut facias, majorem in modum Te oro obteſtorque, ac mihi metum, qui me miſere pro iſta lucubratione diſcruciat, patrocinio tuo minuas. Enimvero multa me in ea editione perturbant: Primum quidem, ut dixi, hominum judicia, & motus diverſi animorum. Jam mihi videor audire ſuperciliosos cenſores, univerſum iſtud deſpuentes ſcribendi genus, ut tenue nimis, nec ſatis philoſophi aut medici perſonæ, quam ſuſtinere volo, accommodatum. Quid, inquient, minus philoſophi eſt, quam varias in auctoribus lectiones & tricas verborum perſequi? Quid infelicius, quam fructuoſa in literis & magna prætereuntem, in corruptis, velut muſcæ in putridis ſolent, hærere: ex emendationibus plerumque arbitrariis, immo vero meris ſomniis famam captare? Quid hæc tam obſcu-

ra diligentia ad philoſophi propoſitum, rerum cauſſas, & naturæ arcana ex profeſſo indagantis? Quid ad medicum emendare libros, cum valetudinem debeat? Atqui non video, quid tali cenſuræ iniquius fieri poſſit; ita namque inſultant, tanquam ulli ſit vitio, quoquo modo juvare rem literariam, aut multum mihi ipſe hiſce miſcellaneis placeam; ac non longe meliora dari poſſe agnoſcam. Interea non reputant, quot ignavi homines ubique occurrant, qui cum libris tota vita aſſideant, nihil tamen unquam ex iis abradere valent, quod aliis proſit; cum tot λεσχηνευταὶ in circulis garriant, quibus egregium ingenii ſpecimen videtur, aliorum ſtudia & labores contemnere. Atqui ſi cenſores iſti ſatis me norint, & ſi ſciant, quam invita Minerva hæc Ariſtarchea in hoc volumen congeſſerim, licet pauca e multis, quæ mihi olim, ut fit, inter ſtudendum notaveram; magis mirentur, me, ut ea vulgarem, adduci ullo modo potuiſſe: cum præſertim majora non deeſſent, quibus non ſolum medici; ſed & philoſophi, immo & Theologi dignitatem ſuſtinere poſſem: cum & poëtica haberem, ut ſpero, non humillimi ſpiritus, ex quibus juſtum, ſi colligere libeat, volumen conficiatur. Sed non, quæ volo, hæc facio, qui neſcio quo fato externis omnibus præſidiis deſtituor, quibus ingenii monumenta ad hominum commendationem manare ſolent. Sane enim, quod ille ait apud Terentium, meorum ſolus ſum meus. Sed reliqua, quæ me anxium habent, exſequar. Nam neque deerunt philoſophiæ oſores, qui me ultra modum in hiſce libris philoſophari arguant: inſurgent catervæ novorum philoſophorum, iſtorum dico, qui ex Ariſtotelis inſectatione neſcio quam apud indoctos famam aucupantur, cum me videbunt, ubi occaſio datur, immo conſulto in Ariſtotelis & Græcorum ejus interpretum avia divertere, eorum dicta laudare, exponere, emendare. Ita miſellus ego apud eos, tanquam ſorex indicio meo, perpetuo perierim. His, quæſo BIGOTI, (Te

enim

enim, ut vides, patronum mihi in hac cauſſa adſcivi) quæſo, inquam, meis, immo tuis verbis, reſpondeas; illis quidem, quibus hæc critica ad ſtomachum non faciunt, non mihi placere arrogantiam, quæ modum alienæ induſtriæ præſcribat: me illa graviora & fructuoſa in bonis auctoribus multo melius iis videre, ac præcipue ſectari. Sed ſi illa magna ſunt, non continuo minora iſta contemni debent, ſine quibus ad ſumma non pervenitur. Iſtis vero philoſophiæ, & quod ſequitur Ariſtotelis hoſtibus, non me hominem putare, quiſquis non philoſophatur: nullam adeo mihi ſapere in literis, quantumvis accuratam compoſitionem, quam nulla condiverit ſalis philoſophici mica. Quin ſciant me nunquam paſſurum fuiſſe, hæc critica & philologica in vulgus manare, niſi putaſſem, aliquid iis poſſe interponi ex Academiæ umbraculis, & Lycei ambulacris profuturum ſapientiæ ſtudioſis. Nec porro medici profeſſionem putem abhorrere ab his criticis, cui injuriam faciunt, qui ejus pomœria ad clinices anguſtias & ſordes contrahunt. Non me latet, quam ſuaviter medicorum atque aliorum hominum naribus oleat lucrum; non tamen, quæ mea eſt ſimplicitas, adduci unquam potui, ut me earum opum, quantas laborioſis hominibus medicina promittit, auctoramento ullo paterer ab aliis nobilioribus ſtudiis, magiſque meo genio accommodatis abſtrahi: tametſi nullus eſt ejus diſciplinæ angulus, in quem non me penetraverim, nulla nobilis quæſtio, quam non luculenter, me, ſi opus ſit, explicare poſſe confidam. verum hæc ad mentis potius felicitatem, meæque & meorum valetudinis cuſtodiam, quam rei domeſticæ ſubſidium, & mercenariam operam referenda eſſe decrevi. Sed ecce alia crimina ab iis, qui me accuſabunt audaciæ, & temeritatis, quod quædam hiſce in obſervationibus, Criticorum coryphæis deſperata attingam loca, meas in his conjecturas flocci facient. Quibus non aliud repoſitum velim, niſi quod humanæ ſapientiæ inventor &

perfector Ariſtoteles præfatur, libro primo de cœlo, excuſans perplexitatem, qua ſe coactum fatetur eo loci, plauſibilia amplecti pro viris: Δύοιν δ' ἀπορίαιν οὔσαιν, περὶ ὧν εἰκότως ἂν ὁτισοῦν ἀπορήσειε, πειρατέον λέγειν τὸ φαινόμενον, αἰδοῦς ἀξίαν εἶναι νομίζοντας τὴν προθυμίαν μᾶλλον, ἢ θράσους, εἴ τις διὰ τὸ φιλοσοφίας διψῆν, καὶ μικρᾶς εὐπορίας ἀγαπᾷ, περὶ ὧν μεγίστας ἔχομεν ἀπορίας. Si tantus philoſophus, in quibus ſolida doctrinæ fundamenta non inveniebat, veri umbras & ſimilitudines, modo non iis, quæ ſenſui apparent, neque rationi oppoſitas, ſequi ſatius judicat, quam nihil dicere, hancque animi ad cauſſas reddendas promptitudinem cenſet venerabilem, dignamque adeo, quæ philoſophiæ ſiti potius, quam audaciæ adſcribatur; cur nobis, in eadem rerum obſcuritate verſantibus, non liceat illa etiam auctorum κεκινδυνευμένα attingere pudenter, & cum eadem præfatione humanæ imbecillitatis, non video. Quid porro dicam de iis, qui ſi forte quid in hiſce obſervationibus, ab aliis occupatum reperient, furto illis a me ſublectum dicent? Ceu vero non omnes, quotquot in eodem ſtudii genere verſantur, eidem ſint calumniæ opportuni; aut aliquid cuiquam tam proprium in literis eſſe poſſit, quod non illi hoc modo eripiatur. Quamobrem Donatus illuſtris ille Grammaticus, cum, quæ ſibi meditanti ratio objeciſſet, poſtea apud alios priores videret, quin iis malediceret, temperare non poterat: *Pereant* (inquit) *qui ante nos noſtra dixerunt.* Quod igitur magnis viris imprudentibus accidit; cur mihi, tanquam omnia viderim atque in numerato habeam, plagio imputetur? Quod crimen, tantum abeſt ut in me competat, ut ſancte affirmare poſſim, nihil me tam caviſſe in his libris, quam ne in aliorum inventa incurrerem; ac multa ſuppreſſiſſe, quæ ut nova & indicta imprudens retuleram in commentarios, cum eadem poſtea pud alios exſtare comperiſſem. Atque hæc ita dico, ut tamen ſperem multa eſſe hic, quæ nuſquam alibi reperiantur.

tur. Sed de his hactenus. Reſtat, ut iis quoque ſatisfaciam, partim, qui me alicubi omiſiſſe non pauca, quæ ad rem facerent; partim cumulaſſe alibi multo plura, quam res poſceret, accuſabunt, in illis diligentiam, in his judicium requirant. Quod ad prius attinet, ſciant nunquam me operæ pretium putaſſe, eam miſcellaneæ ſcriptionis oportere eſſe diligentiam, quæ nihil prorſus eorum, quæ ad propoſitum faciunt, præterlabi ſinat. Sufficit, niſi fallor, in hoc genere admonere lectores, & quaſi digitum ad fontes intendere. Sic quoque poſterius removeo, ut eos rogem, qui me libero nimis curſu ferri dicent (quod utique verum crimen non diffitebor) cogitent, quam ſit difficile, in ſatis prolixo & πολυβίβλῳ opere, non aliquando occaſione oblata uti ingenio ſuo: ut omittam hanc tractandi inæqualitatem, huncque ingenii æſtum, modo ſe effundentis, modo reſorbentis, non male fortean convenire propoſito & titulo miſcellaneorum. Atque utinam tam plauſibiliter ſub hoc titulo cetera, quæ in hiſce libris reperientur, peccata mea deliteſcant.

Hæc igitur, quæ velim pariter ab aliis cognoſci, præfari ad te potiſſimum viſum eſt, Vir præſtantiſſime, more antiquo. Sic namque veteres illi Heroes, qui nobis bene ſentiendi & ſcribendi exemplum reliquerunt, ſolebant apud eos, quibus ſua opera mittebant, præfari. Nunc, quod in ipſo opere dictum oportuit, ſeorſim in epiſtolam conferre malunt, cui præfationem ſubjungunt, epiſtolam dedicatoriam aut nuncupatoriam vocant; ego adulatoriam & nugatoriam. Quid enim in ea, niſi meras nugas agunt? Tametſi legitimas ibi interdum dari laudes haud omnino inficias iverim: Verum, quid ad id officii opus ſit peculiari epiſtola, non video, cum liber ipſe mittatur. Atque illud, quanquam rectius judico, non tamen laudibus tuis iſtud volumen, tuamque verecundiam onerare decrevi.

Quid poſſum de Te ſcribere, quod non omnibus ſit mani-

nifeſtiſſimum? familiæ tuæ decora, an ingenii tui dotes; impenſam rectis ſtudiis ætatem, cum magnus in republica eſſe poſſes, mores candidos, ſingularem probitatem, atque in omnes bonos propenſionem? Nonne hæc & alia naturæ tuæ bona, clariſſima in luce pridem ſunt poſita? Quæ ſi nihilominus literis mandari debent, egone hanc operam ſumere audeam, poſt Ægidium Menagium, qui hunc locum pridem in ſui Laertii frontiſpicio occupavit? Poſſumne ego, inquam, de te aliquid memoràre, quod non ille expreſſerit; & quidem ea verborum facundia, ad quam mea nequaquam adſpiret oratio. Abſit ut me eadem, quæ ille, tentando, quod ineptiſſimum eſt, actum agere dicant; aut, quod non minus abominor, cum tanto viro in hac laudum tuarum pálæſtra certaſſe voluiſſe, quod extremæ eſſet amentiæ & temeritatis:

—— *Quid enim contendat hirundo*
Cycnis? aut quidnam tremulis facere artubus hœdi
Conſimile in curſu poſſint, ac fortis equi vis?

Certus igitur hæc a liberali homine, atque ingenio meo aliena vitare; ſtatim me ad propoſitum convertam.

INDEX

INDEX CAPITUM.

LIBRI PRIMI.

CAPUT I.

DE Euemero & *aliis atheis.* Euripidis *verſus e fabula* Siſypho. *Videri eos verſus* Critiæ Tyranno *Athenienſium adſcribi a* Sext. Empirico. *Lacuna in libro* Empirici *detecta.* p. 1.

Cap. II. Callimachi *verſus de* Euemero *correcti & explicati. De hujus & aliorum, qui* athei *dicti ſunt, propoſito. Pugnantia* M. Tullii & Clementis Alexandrini *loca. An vere* ἄθεος *fuerit* Euemerus? Plutarchi *de eodem inſignis locus emendatur, explicatur, illuſtratur. Quis primus* Panchææ & Panchæorum *mentionem fecerit?* 8.

Cap. III. *Lacuna in textu* Ciceronis *ex conjectura ſuppletur.* 16.

Cap. IV. Ciceroniani *loci hactenus deplorati, de* Dionyſii Syracuſarum tyranni *obitu & ſepultura, emendatio ex conjectura tentatur.* 18.

Cap. V. Porphyrii *locus e primo* περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων *emendatus & explicatus.* 20.

Cap. VI. *Locus* Plutarchi *e libro, qui inſcriptus eſt* convivium ſeptem ſapientum, *correctus & illuſtratus.* 24.

Cap. VII. Pliniani *loci, qui fruſtra hactenus eruditos exercuit, emendatio tentatur.* 26.

Cap. VIII. Ejuſdem auctoris *locus, ex eodem capite, vindicatur ab iniqua* Cæſaris Scaligeri *cenſura.* 29.

Cap. IX. *An herba* Metallum *dici poſſit?* Plinii *locus notatur, & explicatur.* 31.

Cap. X. Solonis *verſus, quo ſe ajebat ſemper aliquid addiſcentem ſeneſcere, & quid de ſenili ſtudio* Plato *ſenſerit?* 33.

Cap. XI.

Cap. XI. *Vetus proverbium ex verbis* Ariſtotelis *erutum.* 34.

Cap. XII. *Quid ſignificet verbum* προενδημεῖν, *& a quo primum uſurpatum?* 35.

Cap. XIII. *De fragilitatis humanæ conſideratione. Parum hanc prodeſſe corruptæ mentis hominibus, variis auctorum antiquorum locis oſtenditur.* 36

Cap. XIV. *Mendum ſublatum e codice* Plutarchi. *Quid ſint* ἠχεῖα, *& quis eorum uſus eſſet in theatris veterum.* Victorius & Turnebus *defenſi ab iniqua* Hofmanni *cenſura.* 39.

Cap. XV. *De ratione dignoſcendi hominum ingenia,* Terentii *locus aliorum collatione illuſtratus.* 42.

Cap. XVI. *Obſervatio quædam* Ariſtotelis *uſurpata* Galeno, *ſuppreſſo auctoris nomine.* 44.

Cap. XVII. *Quiddam apud* Platonem *animadverſum de miniſtranda* cicuta *damnatis apud* Athenienſes, *& de ejus herbæ vi. Locus* Plinii *emendatus.* 46.

Cap. XVIII. *Quædam ex* Theogoniæ Heſiodi *initio accuratius penſitantur. Loca* Ariſtotelis *ad eam rem pertinentia. Quid per* Chaos *intelligi debeat ſecundum* Simplicium? 49.

Cap. XIX. *Memoria* σφάλμα *indicatum apud* Maximum Tyrium: *& de iis, qui* αὐλῳδοὶ *&* αὐλοὶ *Græcis dicuntur.* 56.

Cap. XX. Philoponus *memoria lapſus in citando* Platonis *loco oſtenditur.* Ficini *error.* 60.

Cap. XXI. *Loca duo* Plinii *emendata.* 61.

Cap. XXII. Apuleji *locus e prima* Apologia *explicatur. Quid ſit* querquerus morbus; *quæ in genere aquatilium* ſpuria & faſcina *dicantur?* 63.

Cap. XXIII. *Vox reſtituta in verſu* Empedoclis: *emendatio auctoritate* Ariſtotelis *confirmata.* 66.

Cap. XXIV. *Ejuſdem* Empedoclis *verſus a* Plutarcho

citati

citati & explicati præter auctoris mentem. Genuina eorum verſuum ſententia explanatur. 68.

LIBRI SECUNDI.

CAPUT I.

DE Poëmate Homeri, quod Margites inſcriptum. quid Margites ſignificet? loca Platonis & Ariſtotelis de eo plane diſſentanea & contraria. Veterum audacia in detorquendis aliorum dictis atque interpolandis. 75.

Cap. II. Quorundam Galeni librorum inſcriptio mutila, ex Philopono ſupplетur. 85.

Cap. III. Eadem opera Galeno in libri alterius inſcriptione commodata. 88.

Cap. IV. Locus Ariſtotelis a Philopono aliter lectus acceptusque, quam exſtat in libris excuſis. 91.

Cap. V. Emendatus Eunapii locus in Ædeſio. 94.

Cap. VI. Locus alter Eunapii corruptiſſimus ex conjectura reſtituitur. 96.

Cap. VII. Alia macula ex ejuſdem auctoris codice deterſa. 97.

Cap. VIII. Lacuna in commentario Simplicii ad lib. 4. φυσικῆς ἀκροάσεως ſuppletur. 101.

Cap. IX. Mendum ſublatum ex eadem Simplicii digreſſione. Τόπος, hoc eſt, locus, idem interdum valet, quod περιοχή. quid ſit περιοχὴ in divinis? 104.

Cap. X. Themiſtii locus ex orationibus, præter doctiſſimi interpretis ſententiam declaratus. Quid ſint Platoni Γάδες Μοῦσαι, quid Σικελικαί; 106.

Cap. XI. Animadverſa quædam ex Lactantio de materiæ patibilitate. Plotini ſententia de eadem excuſſa. 111.

Cap. XII.

Cap. XII. *Emendatus* Porphyrii *locus, ex libro* περὶ τῶν πρὸς τὰ νόητα ἀφορμῶν. 114.

Cap. XIII. *Locus e* Themiſtii *orationibus enucleatus. quis ibi* novus Empedocles? 116.

Cap. XIV. Cebetis tabulæ *lux. diſcuſſa caligo pravæ quorundam interpretationis. Stupenda de* ictu ſerpentum. 119.

Cap. XV. *De iis, quos vipera momordit, locus* Platonis *in* Sympoſio *explicatur. nonnulla obiter de* Periaptis, *&* *de* animæ immortalitate. 122.

Cap. XVI. *Quid ſint* decani; *quid* ſacræ decanis herbæ *apud* Pamphilum? 131.

Cap. XVII. Riſus *acceptio multiplex. varia de hoc* auctorum *loca animadverſa & explicata.* 134.

Cap. XVIII. *Non recte judicare, qui librum* de Mundo, Ariſtotelis *nomine inter alia ejus volumina publicatum habitumque, genuinum ejus eſſe fœtum, negant. obiter de* Prooemiis, *&* catalogo *librorum* Ariſtotelis. 139.

LIBRI TERTII.

CAPUT I.

A*Nimadverſa quædam ex beato* Hieronymo. 149.

Cap. II. Molere farinam *in ſcripturis inter* κακόφαλα. *locus* Hieronymi. 152.

Cap. III. *Ejuſdem* Hieronymi *locus de* Timæo Platonis, *&* Ciceronis *interpretatione ejuſdem dialogi, emendatur & explicatur. Item de* Septenarii *dignitate & myſteriis,* Pythagoreorum *nugæ. & de vocibus* ἑβδόμη *&* ἑβδομάς. 156.

Cap. IV. *Ejusdem* Hieronymi *locus, de pedum multitudine in inſectis, & ſerpentum inceſſu. Et quid de his* Ariſtote-

ſtoteles? 159.

Cap. V. *Locus* Ariſtotelis *initio* Naturalis Auſcultationis *aliter citatus a* Galeno, *quam in noſtris libris exſtat.* 162.

Cap. VI. Themiſtii *Peripatetici locus perperam acceptus ab* Hermolao Barbaro. Anaxagoram *&* Empedoclem *primos* cauſſæ efficientis *mentionem feciſſe.* 164.

Cap. VII. *Inſigne mendum ex eadem paraphraſi* Themiſtii *ſublatum.* 165.

Cap. VIII. *Alia macula deterſa ex eadem paraphraſi.* Hermolai *verſio notata.* 166.

Cap. IX. *Nonnulla e* Philoponi *commentariis macula deterſa.* 168.

Cap. X. *Loca alia ejuſdem* Philoponi *emendata e* commentariis *in lib.* 2. de Anima. 170.

Cap. XI. Ariſtotelis *locus difficilis ex libro de* Animalium motione *expenditur.* 173.

Cap. XII. Latini interpretis *lapſus in quodam* Ariſtotelis *loco oſtenditur. Verbi* ψύχεσθαι *notio minus vulgata indicatur. in eodem error* Hermolai Barbari. Platonis *&* Galeni *loca explicantur.* 175.

Cap. XIII. *Locus* Ariſtotelis *ex* hiſtoriis animalium *de* coſtarum *numero, &* Lygniis *vulgo male acceptus, emendatur.* 177.

Cap. XIV. *Menda deterſa e* problematis Ariſtotelis. Heſiodi *&* Plinii *loca expenduntur. Hallucinatio* Aponenſis *in ejus* problematis *expoſitione.* 179.

Cap. XV. *Minus vulgata hujus nominis* ἄνθρωπος *notio ex* Platone *obſervata.* 181.

Cap. XVI. *Antiquis licitum fuiſſe abjicere recens editos partus, quos alere nollent. vel certe abortivo conceptus nondum animatos perdere.* 183.

Cap. XVII.

Cap. XVII. *Suppletur locus* Ariſtotelis *mutilus e* Meteorologicis, *de Geographicis veterum tabulis.* Alexandri Aphrodiſei *perplexitas in eo loco.* 186.

Cap. XVIII. *Quod falſo* Averrois *quædam* Avempace *præceptori ſuo tribuat, quæ ſunt* Philoponi. *Quo tempore* Philoponus *vixerit; quo item* Averrois *&* Avempace*?* 188.

Cap. XIX. Plinii *locus de veterum in auſpiciis obſervandis ſuperſtitione illuſtratur.* Terentii *item locus* 192.

Cap. XX. *Quædam paſſim apud* Maronem *notata.* 193.

Cap. XXI. *Locus quidam* Maronis *de* Tartaro *emendatus: alter de* limo *apud inferos notatus.* 199.

Cap. XXII. *Veterum opinio, perire animas eorum, qui naufragio, aut aliter aquis ſubmerſi interirent. loca de his pugnantia expenduntur.* 201.

Cap. XXIII. Liquidum plaſma *quid ſit apud* Perſium*? diſſentientes* Turnebi *&* Caſauboni *explicationes. Cantantium in theatris, & recitantium mos. de vocis formatione loca* Ariſtotelis *&* Quintiliani; *item* Theophraſti *de tibicinio: & alia ad eam rem pertinentia.* 205.

Cap. XXIV. *De quibuſdam locutionibus poëticis:* pectus ferreum, vox ferrea, mens alba, columna *pro* monte; *& alia ejuſmodi.* 208.

Cap. XXV. *Locus* Terentii *expenſus & ſcrupulus ex eo ſublatus.* 211.

Cap. XXVI. *Sententia* Pindari *quædam, & altera* Simonidis, *ab* Horatio *expreſſa.* 214.

Cap. XXVII. *Locus* Ariſtotelis *de* Thermis naturalibus *illuſtratur.* 215.

Cap. XXVIII. *Vindicatur* Virgilius *a quorundam cenſura.* 217.

Cap. XXIX. *Quo ſenſu beatus* Hieronymus, Ruffinum, Cal-

Calphurnium lanarium *appellet?* 218.
Cap. XXX. Plutarchi *locus inſignis emendatur & explicatur.* 221.
Cap. XXXI. Platonis *locus ex* Phædone *explicatur.* 224.

LIBRI QUARTI,

CAPUT I.

CIceronis & Luciani *de variis Philoſophorum opinionibus cenſura expenditur. qualis in Philoſophia extiterit* M. Tullius? *De Romanorum illius ætatis ingenio & ſtudiis*, Cæſaris Scaligeri & Mureti *judicium.* 227.
Cap. II. *Alius* Ciceronis *locus*, *de ſapientum otio*, *& vulgi vita occupata, accuratius conſideratur.* 235.
Cap. III. *Alius* Ciceronis *locus*, *de* Catonis morte ſpontanea *ex eodem libro primo* Officiorum, *quid ſit* gravitas *de hominis ingenio uſurpata?* 246.
Cap. IV. *Ejusdem* M. Tullii *problema*, *de paucitate oratorum excellentium*, *nullum eſſe oſtenditur.* 254.
Cap. V. *Alius* Ciceronis *locus*, *in quo libellum* duodecim tabularum, *cum philoſophorum bibliothecis comparat.* 260.
Cap. VI. *Excuſatio eorum*, *quæ in* Ciceronis *dictis animadvertimus*, *&* Tullianæ divinitatis *ex aliis locis aſſertio.* 268.
Cap. VII. *Defenditur* Socrates *ab improba* Lactantii *calumnia*, *& ejus jusjurando.* 270.
Cap. VIII. *Quid ſit* impinguari locuſtam *apud* Salomonem *in* Eccleſiaſte? Panis odium *in valde decrepitis mortis propinquæ ſignum.* 279.

Cap. IX.

Cap. IX. *Animadverſa quædam in* Maronis Eclogis, *de cicadarum & ruminantium ingenio.* 283.

Cap. X. *Ejusdem in* paſtoralis pedi *deſcriptione cura apprime bucolico carmini congruens, tum alia obiter animadverſa.* 286.

Cap. XI. Virgilii & Theophraſti *loca, de* malo medica, *comparantur; videri* Theophraſti *codicem in ejus arboris deſcriptione mutilum: ſuppletur ex* Athenæo. *de* mali medici *uſu olim ad emendandum oris fœtorem apud Medos.* 288.

Cap. XII. Servii Grammatici *ſupinitas in verbis* Plinii *citandis, pudendus ejuſdem error de leonum natura.* 291.

Cap. XIII. *De* fictionibus poëtarum, *quales eſſe debeant?* Servii *de iis monitum. De miſerando Laocoontis & filiorum ejus interitu fictio explicatur.* 292.

Cap. XIV. *Loca duo* Maronis *obſcura e ſexto* Æneidos *explanantur.* 299.

Cap. XV. *Verba* Ariſtotelis, *de* natura *hominis, in ſenſum contrarium detorta a* Scaligero. *eorundem vera expoſitio.* 302.

Cap. XVI. *Volatilium differentiæ, & in his lapſus* Baſilii Magni. *Quid ſint* κολεόπτερα *animalia apud* Ariſtotelem? 305.

Cap. XVII. *Ejuſdem* Baſilii *locus alter de cornicum* Æliani tranſmigratione *cum* Ariſtotelis *& locis collatus.* 307.

PETRI

PETRI PETITI,
PHILOLOPHI & DOCTORIS MEDICI
MISCELLANEARUM OBSERVATIONUM LIBRI QUATUOR.

LIBER PRIMUS.
CAPUT I.

De Euemero *& aliis atheis.* Euripidis *verſus e fabula* Siſypho. *Videri eos verſus* Critiæ *Tyranno Athenienſium adſcribi a* Sext. Empirico. *Lacuna in libro* Empirici *detecta.*

MUlta quidem *Plinius*, in ſeptimo *hiſtoriæ naturalis*, collegit monſtroſa de gentium figuris & moribus: mihi vero nullum majus in genere humano videtur portentum, iis quos priſci ἀθέους dixerunt, qui Divinitatem omnem tollebant: ſupra omnia monſtra, multos ejuſmodi exſtitiſſe, & in his eruditos, Protagoram Abderitem,

 Theo-

Theodorum Cyrenæum, Diagoram Melium, Euemerum Meſſenium, velut aliis placet, Tegeatem, aut Agrigentinum. Quibus *Plutarchus* Euripidem poëtam aggregat; *Sext. Empiricus* Critiam, illum *Platonis* ore celebratum, Callæſchri filium, qui unus fuit e triginta Athenienſium tyrannis: *Clemens Alexandrinus* Hipponem & Nicanorem. Sed & ſenarios Empiricus ibi pluſculos affert Critiæ illius nomine, ad abolendam Divinitatis opinionem compoſitos. In quo olim non mediocris mihi inceſſit dubitatio de auctore eorũ verſuum. Propterea quod hos *Plutarchus*, in primo *de Placitis Philoſophorum*, citat Euripidis nomine. Ex quo ſequi videtur aut horum alterutrum de eorum verſuum auctore hallucinatum, aut alterutrius codicem eſſe corruptum. Hoc nunc, ut eſt captus miſcellaneæ ſcriptionis, perpendere viſum eſt. Verſus autem eos adſcribi omnino oportet, ſi non omnes, certe, quantum eorum ſatis ad id quod volumus demonſtrandum: quo memoratorum Auctorum in his diſſenſio appareat, cujus cauſſam indicabo; tum etiam et eos in melius reſtituam, quam in vulgatis exſtant codicibus. Quippe ex his non paucos, quibus ne menſuræ quidem ratio conſtabat, correxi, & niſi me admodum conjectura fallit, reſtitui, luxata in ſuum locum verba repoſui, fugitiva revocavi. Ac primum quod *Empiricus* Critiæ hos verſus abſcribat, oſtendo ipſius verbis, ex libro *adverſus Mathematicos*: Καὶ Κριτίας δὲ εἷς τῶν ἐν Ἀθήναις τιραννισάντων, δοκεῖ ἐκ τοῦ τάγματος τῶν ἀθέων ὑπάρχειν, φάμενος ὅτι οἱ παλαιοὶ νομοθέται ἐπίσκοπόν τινα τῶν ἀνθρωπίνων κατορθωμάτων καὶ ἁμαρτημάτων ἔπλασαν τὸν θεὸν, ὑπὲρ τοῦ μηδένα λάθρα τὸν πλησίον ἀδικεῖν εὐλαβούμενον τὴν ὑπὸ τῶν θεῶν τιμωρίαν. ἔχει παρ αὐτῷ τὸ ῥητὸν οὕτως. i. *Critias quoque unus ex iis, qui tyrannidem Athenis exercuerunt, videtur eſſe in albo impiorum dicens, quod antiqui legiſlatores finxerunt Deum inſpectorem rerum, quæ bene vel male fiunt ab hominibus, ut nemo proximum clanculum injuria afficiat, cavens ne a Deo punia-*

puniatur. Diſertis autem verbis ita dicit. Quibus verbis mox Critiæ ſententiam hunc in modum ſubjungit:

Ἦν χρόνος ὅτ᾽ ἦν ἄτακτος ἀνθρώπων βίος
Καὶ θηριώδης, ἰσχύος θ᾽ ὑπηρέτης,
Ὅτ᾽ οὐδὲν ἆθλον, οὔτε τοῖς ἐσθλοῖσιν ἦν,
Οὔτ᾽ αὖ κόλασμα τοῖς κακοῖς ἐγίνετο,
Κἄπειτα μοι δοκοῦσιν ἄνθρωποι νόμους
Θέσθαι κολαστὰς τοῖς κακοῖς, ἵν᾽ ἡ δίκη
Κρατῇ τύραννος, τὴν θ᾽ ὕβριν δούλην ἔχῃ.
Ἐζημιοῦτο δ᾽ εἴ τις ἐξαμαρτάνοι.
Ἔπειτ᾽ ἐπειδὴ τ᾽ ἀμφανῆ μὲν οἱ νόμοι
Ἀπῆγον αὐτοὺς ἔργα μὴ πράσσειν βίᾳ,
Λάθρα δ᾽ ἔπρασσον τηνικαῦτά μοι δοκεῖ
Πυκνός τις εἰδεῖν, καὶ σοφὸς γνώμην ἀνὴρ
Γνῶναι, δέος θνητοῖσιν ἐξευρὼν, ὅπως
Εἴη τι δεῖμα τοῖς κακοῖσι, κἂν λάθρᾳ
Πράσσωσιν, ἢ λέγωσιν, ἢ φρονῶσιν ἄν.
Ἐντεῦθεν οὖν τὸ θεῖον εἰσηγήσατο,
Ὡς ἔστι δαίμων ἀφθίτῳ θάλλων βίῳ,
Νόῳ τ᾽ ἀκούων, καὶ βλέπων, φρονῶν τε, καὶ
Προσέχων τε τούτοις, καὶ φύσιν θείαν φορῶν.

Quæ ſic Latine ſonant: *Fuit tempus, quando erat hominum vita inordinata & belluina, & virium miniſtra, quum neque bonis ullis eſſet præmium, neque ullum malis ſupplicium. Deinde mihi videntur homines leges tuliſſe, quæ pœnas irrogarent, ut tyrannus eſſet juſtitia, & ancillam haberet contumeliam. Multabatur autem, ſi quiſpiam peccaret. Deinde quoniam leges quidem ipſos eo adducebant, ut palam ſcelera non admitterent, clanculum autem ea admittebant, tunc mihi videtur vir aliquis ingenioſus & prudens cognoviſſe, quod operæ pretium faceret, ſi inter mortales inveniſſet, quemadmodum malis metus eſſet incutiendus, etiam ſi clam agerent, aut dicerent, aut cogitarent. Hinc Deum introduxit. Nempe quod ſit Deus minime interitui obnoxia vigens vita: menteque audiens & aſpiciens cogitanſque & divinam geſtans naturam.*

 Ha-

Hactenus is, quiſquis eſt, poëta apud *Empiricum*. verborum quidem contextus & ſeries Critiam eſſe arguit. Verum *Plutarchus*, ut mox patebit, Euripidem his auctorem inſcribit. Et verſus profecto non indigni Euripide. Ceterum quam ſunt elegantes, tam deteſtabilis ſententia. Cui tamen non abſimilem videre eſt apud *Senecam* in ſecundo *Naturalium Quæſtionum*, quam & ſubnectere viſum eſt: *Quid tam imperitum eſt, quam credere fulmina e nubibus Jovem emittere, ut impunitis ſacrilegis, percuſſis ovibus, incenſis aris, pecudes innoxias feriat. Si quæris a me quid ſentiam, non exiſtimo tam hebetes fuiſſe, ut crederent Jovem, aut non æquæ voluntatis, aut certe minus paratum eſſe. Utrum enim cum emiſit ignes, quibus innoxia capita percuteret, ſcelerata tranſiret, aut noluit juſtius mittere, aut non ſucceſſit? Quid ergo ſecuti ſunt, cum hoc dicerent? ad coërcendos animos imperitorum ſapientiſſimi viri judicaverunt, inevitabilem metum, ut ſupra nos aliquid timeremus. utile erat in tanta audacia ſcelerum, aliquid eſſe adverſum quod nemo ſibi ſatis potens videretur. Ad conterrendos itaque eos, quibus innocentia niſi metu non placet, poſuere ſuper caput vindicem & quidem armatum.* Obiter reſtituatur vox, quæ in eo contextu excidit, poſt hæc verba, *inevitabilem metum.* quibus oppone, ſodes, verbum *prodeſſe*, vel *conducere*, vel quid ejuſmodi. Age nunc *Plutarchi* verba quibus eorundem verſuum auctorem citat Euripidem conſideremus: Καὶ Εὐριπίδης ὁ τραγῳδοποιὸς ἀποκαλύψασθαι μὲν οὐκ ἠθέλησε, δεδοικὼς τὸν Ἄρειον πάγον. ἐνέφηνε δὲ τοῦτον τὸν τρόπον· τὸν γὰρ Σίσυφον εἰσήγαγε προστάτην ταύτης τῆς δόξης, καὶ συνηγόρευσε αὐτοῦ ταύτῃ τῇ γνώμῃ. Ἦν γὰρ χρόνος, ὅτ᾽ ἦν ἄτακτος ἀνθρώπων βίος, καὶ θηριώδης, ἰσχύος θ᾽ ὑπηρέτης. ἔπειτά φησι τὴν ἀνομίαν λυθῆναι νόμων εἰσαγωγῇ. ἐπεὶ γὰρ ὁ νόμος τὰ φανερὰ τῶν ἀδικημάτων εἴργειν ἐδύνατο, κρύφα δὲ ἠδίκουν πολλοί, τότε τις σοφὸς ἀνὴρ ἐπέστησεν, ὡς δεῖ ἀεὶ ψευδεῖ λόγῳ τυφλῶσαι τὴν ἀλήθειαν, καὶ πεῖσαι τοὺς ἀνθρώπους, ὡς ἔστι δαίμων

ἀφθίτῳ

ἀφθίτῳ θάλλων βίῳ, ὃς ταῦτ᾽ ἀκούῃ, καὶ βλέπει, φρονεῖτ᾽ ἄγαν. i. *Sed Euripides tragœdiarum ſcriptor, Areopagum metuens, proloqui aperte, quid de Diis ſentiret, noluit: verum tamen rationem qua tuto id palam faceret, hanc excogitavit. In quadam fabula Siſyphum inducit hujus opinionis, quam ipſe probaret, auctorem, & ei ſuffragatur. Nam fuit tempus, inquit, cum hominum vita eſſet incompoſita, belluina, & viribus omnia tranſigens. Poſtea legibus introductis ſublatam e medio fuiſſe injuſtitiam. At enimvero, cum lex foris quidem injurias arcere valeret, multi autem jus in occulto violarent; ſapiens quidam vir intellexit, nihil magis fore ex uſu, magiſque neceſſarium, quam ſi falſo ſermone veritas premeretur, ac vulgo perſuaderetur aliquem eſſe Deum, immortali florentem ævo, qui omnia audiat, omnia inſpectet, ſummoque conſilio adminiſtret.*

Nunc utrum codicem, *Plutarchi* an *Empirici* corruptum dicamus, quando de auctore horum verſuum erraſſe tales viros incredibile eſt, non adeo promptum eſt, neque in proclivi dijudicare, qui fabulam hanc *Euripidis* non habemus. Hanc enim, ut alias longe plures ejus poëtæ excellentiſſimi nobis vetuſtas invidit. Sed tamen conjecturæ hic ſuppetunt graves, quæ nos ducant. Sane quod *Plutarchus* ait poëtam, cum ſuam de Deo opinionem non auderet proferre metu Areopagi, abuſum ad id Siſyphi perſona, non videtur is metus in tyrannum cadere, qualis fuiſſe Critias dicitur impotens, ſævus, juris humani oblitus, & Deorum contemptor. Fortaſſe nec ejuſmodi poëta fuit, cui tam boni verſus adſcribi poſſint. Tametſi ſcimus *Platonem in Charmide*, de hoc ipſo Critia ſentire, ut de homine haud male nato ad poëticam. Ibi enim in colloquio cum Socrate, hunc in modum de Charmide adoleſcentulo propinquo ſuo inducitur loquens: Ἐπεί τοι καὶ ἔστι φιλόσοφός γε, καὶ, ὡς δοκεῖ, ἄλλοις τε καὶ ἑαυτῷ πάνυ ποιητικός. i. *quippe & amans ſapientiæ eſt, & ut aliis,*

ac ipſimet etiam videtur, felici ad poëticam ingenio. Ad quæ verba ſic reſpondet Socrates: Τοῦτο μὲν τὸ, ἦν δ' ἐγὼ, φίλε Κριτία, πόῤῥωθεν τὸ καλὸν, ὑμῖν ὑπάρχει ἀπὸ τῆς Σόλωνος συγγενείας. i. *Et hoc ornamentum vos, amice Critia, longe a Solone, generis communis fato ducitis.* Ubi interim nota illud: *Fortes creantur fortibus*; & vim ſanguinis, etiam ad ingenium, & artium præſtantiam. Sed & *in Timæo* apertius adhuc eundem Critiam commendat his verbis: Κριτίαν δὲ που πάντες οἱ τῇδε ἴσμεν οὐδενὸς ἰδιώτην ὄντα, ὧν λέγομεν. i. *Critiam vero omnes utique hac in urbe, nullius eorum, quæ dicimus, eſſe imperitum ſcimus.* Proclus in commentario ad hunc locum: Ὁ Κριτίας ἦν μὲν γενναίας καὶ ἁδρᾶς φύσεως. ἥπτετο δὲ καὶ φιλοσόφων συνουσιῶν, καὶ ἐκαλεῖτο ἰδιώτης μὲν ἐν φιλοσόφοις, φιλόσοφος δὲ ἐν ἰδιώταις, ὡς ἡ ἱστορία φησιν. i. *Erat quidem Critias generoſa & vehementi indole, nec philoſophicarum expers diſceptationum; ſed ita tamen ut idiota inter philoſophos, philoſophus inter idiotas vocaretur; ut quidem hiſtoria teſtatur.* Quod ſignificat hunc quidem non fuiſſe perfectum in philoſophia, ſed tamen ingenio aptum, & multæ eruditionis. Præterea non mihi abſonum videtur, aliquem nobilem & clarum in civitate poëmata & tragœdias ſcribere, cum Dionyſium Syracuſarum tyrannum conſtet id genus ſtudii impenſius coluiſſe, ac fabulis componendis gloriam quæſiiſſe. *Eſto:* non tamen adduci poſſum, ut credam vitium eſſe in libro *Plutarchi*, cum alibi etiam, puta, in *capite* 6. ejuſdem libri 1. *de Placitis*, cui titulus eſt, πόθεν ἔννοιαν ἔχον &c. memoratorum verſuum aliquot *Euripidis* nomine citatos videam ſic: Ὅθεν καὶ Εὐριπίδης φησι, τὸν ἀστερωπὸν οὐρανοῦ σέλας, χρόνου καλὸν ποίκιλμα, τέκτονος σοφοῦ. Qui verſus ſic apud *Empiricum* leguntur:

Βροντῆς, τό τε ἀστερωπὸν οὐρανοῦ δέμας
Χρόνου καλὸν ποίκιλμα, &c.

Tum magis profecto Euripidi convenit, quod ait Plutarchus, non auſum metu Areopagi aperire mentem ſuam

de

de Diis; propterea Siſyphi perſonam ab eo inductam. Nam & *Plato* Euripidi objicit in octavo *de Republica*, quod tyrannis impenſius faveret, & tyrannidem laudaret, ita autem ſcribit: Ἥ τε τραγῳδία ὅλως σοφὸν δοκεῖ εἶναι, καὶ ὁ Εὐριπίδης διαφέρων ἐν αὐτῇ. τί δή, ὅτι καὶ τοῦτο πυκνῆς διανοίας ἐχόμενον ἐφθέγξατο· ὡς ἄρα σοφοὶ τύραννοί εἰσι, τῇ τῶν σοφῶν συνουσίᾳ, καὶ ἔλεγε δηλονότι τούτοις εἶναι τοὺς σοφοὺς οἷς ξύνεσι. καὶ ὡς ἰσόθεόν γ᾽ ἔφη, τὴν τυραννίδα ἐγκωμιάζει, καὶ ἕτερα πολλά, καὶ οὗτος, καὶ οἱ ἄλλοι ποιηταί. i. *Igitur tragœdia ſapiens artificium eſſe, atque in ea Euripides excellere videtur. Quamobrem? quod & hoc profunda mente cecinit, ſapientes tyrannos eſſe ſapientum conſuetudine, dixitque hos Sapientes eſſe, qui cum iis converſantur. Quin etiam tyrannidem, tanquam rem divinam, extollit: aliaque permulta hic aliique poëtæ.* Quidni igitur Euripides tyrannis amicus, & Archelao Macedonum regi haud ſane admodum laudato, in amoribus, hanc ſententiam in ea tragædia tyrannorum moribus conſentaneam protulerit: utpote quibus religio nihil aliud ſit, niſi machina theatralis, qualem poëtæ habent in promptu, ad expediendum fabulæ quempiam nodum? cum enim neque religionis reſpectum habeant, id tamen modis omnibus ſtudent, ut, quibus imperant, populi, religioni maxime pareant. Quamobrem mihi probabilius videtur, mutilum eſſe *Empirici* librum, quam *Plutarchi*, nec ea modo, quæ ex Critia citabat, ævo ſubſtracta, ſed etiam ipſius verba illa, quibus Euripidem eorum verſuum auctorem laudabat, antequam verſus ipſos poneret. Quo ſane factum putandum eſt, ut iis, qui lacunam non adverterent, iidem verſus Critiæ adſcribi ac nomine ejus citari ab *Empirico* viderentur. Hujus admonere hic ſtudioſos viſum eſt, ne quis forte incautior verſuum eorum auctorem Critiam putet; a *Plutarcho* autem falſo eſſe adſcriptos Euripidi, vel contra. Cæterum de lacuna ſupplenda, ſpes una in

A 4 manu-

manuſcriptis libris & melioribus quidem iis, quibus hactenus viri docti uſi ſunt, ſi tamen meliores alicubi reperiri poſſunt.

CAPUT. II.

Callimachi *verſus de* Euemero *correcti & explicati. De hujus & aliorum qui* athei *dicti ſunt, propoſito. Pugnantia* M. Tullii *&* Clementis Alexandrini *loca. An vere* ἄθεος *fuerit* Euemerus. Plutarchi *de eodem inſignis locus emendatur, explicatur, illuſtratur. Quis primus* Panchææ *&* Panchæorum *mentionem fecerit.*

DE *Euemero*, quod religionem oppugnaverit, eorumque in numero habitus ſit, qui nullos eſſe Deos putaverunt; ſatis conſtare arbitror: vere autem an falſo, antequam diſſero, *Callimachi* de ipſo verſus a *Plutarcho* citatos in primo libro *de placitis philoſophorum cap.* 7 in medium proferre viſum eſt: cum ut nonnulla in iis corrupta emendem, tum ut explicem. Quando viri docti, neque eorum ſententiam aſſequi, neque in iis, quæ ſunt vitioſa ab integris diſcernere potuerunt. Qui *Plutarchi* hunc locum citantes, ne hoc quidem videre potuerunt, *capitis* illius, *ſeptimi lib.* I. titulum mendo non carere. Ita enim in editis libris legitur, τίς ἐστιν ὁ θεός; Atque ibi non de natura Deorum & quid ſit Deus, opiniones tradit Plutarchus, ſed de quæſtione, an Deus exiſtat. Quod ſtatim verba ejus indicant: Ἔνιοι τῶν φιλοσόφων, καθάπερ Διαγόρας ὁ Μήλιος, καὶ Θεόδωρος ὁ Κυρηναῖος, καὶ Εὐήμερος ὁ Τεγεάτης, καθόλου φασὶ μὴ εἶναι θεούς. *Nonnulli Philoſophorum,*

rum, quemadmodum Diagoras Melius, Theodorus Cyrenæus, & Euemerus Tegeates in totum negant Deos. Mox de Euemero ſic: τὸν δὲ Ἐυήμερον καὶ Καλλίμαχος ὁ Κυρηναῖος αἰνίττεται ἐν τοῖς Ἰάμβοις, γράφων. Mox verſus hos Callimachi de Euemero citat:

Εἰς τὸ πρὸ τείχευς ἱερὸν ἀλέες δεῦτε,
Οὗ τὸν πάλαι χάλκεον ὁ πλάσας Ζᾶνα,
Γέρων ἀλαζὼν ἄδικα βιβλία ψύχει.

Ταῦτ᾽ ἐστι τά περὶ τοῦ μὴ εἶναι θεούς. Hactenus Plutarchus. *Samuel* igitur *Petitus*, ἐπώνυμος meus, *lib.* 4. *Miſcellaneorum cap.* 5. ad hos verſus: *corruptus* (inquit) *eſt locus: Nam Euemerus non erat Deorum plaſtes: immo potius everſor numinis illorum.* Sic autem eoſdem verſus ab ſe, ut quidem putat, emendatos exhibet,

Εἰς τὸ πρὸ τέιχευς ἱερὸν ἀλέες δεῦτε,
Οὗ τὸν παλαι χάλκεον, καὶ πλάκας ζᾶνα,
Γέρων ἀλαζὼν ἄδικα βιβλία ψύχει.

At hoc non eſt emendare, ſed corrumpere. Primum juxta placitam ei lectionem, non conſtat verſus: eſſet enim *ſpondæus*, quarto loco, præter legem *ſcazontis*. Præterea χάλκεον vitioſe poſitum pro χάλκειον non vidit.

Sed neque ſenſum horum verſuum eſt aſſecutus, neque in verbis corrigendis boni Critici officio functus eſt. *Non fuit* (inquit) *Euemerus Deorum plaſtes.* Eſto: nec enim ipſe pertendo: Sed non ea, quam ibidem affert, ratione, quod Deorum numinis everſor fuerit. Hæc ratio nulla eſt, quia potuit Euemerus iſte, cum initio ſtatuarum opifex fuiſſe, poſtea talis cultus vanitate comperta, & ejurata ſuperſtitione, in eam inſurgere, ac teſtimoniis undique conquiſitis, mendacium redarguere. Nam & Socrates initio λιθοξόος, *Statuarius*, poſt philoſophus illuſtris fuit. Sed quia non veriſimile eſt, non multos futuros fuiſſe, qui notarent de tali viro; ſi id verum eſſet. Nunc ab aliquo obſervatum non memini. Porro infeliciſſime articulum, ὁ, in conjunctionem καὶ, participium, πλάσας, in

in *πλάκας* transformat hæc verba, *τὸν πάλαι χάλκεον Ζᾶνα*, nihil aliud putans ſignificare, niſi, *πλάκας*, hoc eſt, inſcriptiones & titulos Jovis, in tabulis æneis: quia horum verborum ſententiam perſpicere non potuit, quæ eſt ejuſmodi: *Ubi Senex glorioſus, is qui ex antiquo Jove nobis æneum concinnavit:* hoc eſt, qui finxit, quem Deum Jovis nomine colimus, non eſſe alium præter idolum iſtud æneum, quod in templo eſt poſitum; ſicut neque alios Deos agnoſcit, præter lapidea & ænea ſimulacra. Sed neque mendum vidit in voce ultima, *ψύχει*, quæ aliena prorſus ab hoc loco. Vera lectio eſt, *ψύτlει*, *exſpuit*, *exſcreat*. Heſychius: *ψύτlει*, *πlύει*. Genus loquendi in eos qui libros malos & nullius pretii condunt. Ac de his verſibus hactenus.

Nunc vere an falſo habitus ſit *ἄθεος* Euemerus dubitari poteſt: plane expertem religionis fuiſſe cenſet M. *Tullius* in primo *de Nat. Deorum. Quid? qui aut fortes, aut claros, aut potentes viros tradunt poſt mortem ad Deos perveniſſe, eoſque eſſe ipſos, quos nos colere, precari, venerarique ſoleamus? nonne expertes ſunt religionum omnium? Quæ ratio maxime tractata ab Euemero eſt: quem noſter & interpretatus, & ſecutus eſt præter cæteros Ennius.* Clemens autem Alexandrinus in *Protreptico* & Euemeri & aliorum Deos negantium non modo non improbat diſputationes, ſed etiam in bonam partem accipit, hos bonos viros fuiſſe, atque aliis acutius vidiſſe cenſet. Saltem enim id vidiſſe, non eſſe plures Deos. Credat qui volet: mihi quidem non perſuadet. Ejus verba hæc ſunt: *Ὧν δὴ χάριν (οὐ γὰρ οὐδαμῶς ἀποκρυπτέον) θαυμάζειν ἔπεισί μοι, ὅτῳ τρόπῳ Εὐήμερον τὸν Ἀκραγαντῖνον, καὶ Νικάνορα τὸν Κύπριον, καὶ Διαγόραν, καὶ Ἵππωνα τὸν Μήλιον, τόν τε Κυρηναῖον ἐπὶ τούτοις ἐκεῖνον, ὁ Θεόδωρος ὄνομα αὐτῷ, καὶ τινας ἄλλους εὐχινοὺς σωφρόνως βεβιωκότας, καί καθεωρακότας ὀξύτερον που τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων τὴν ἀμφὶ τοὺς θεοὺς τούτους πλάνην, ἀθέους ἐπικεκλή-*

κα-

κασιν, εἰ καὶ τὴν ἀλήθειαν αὐτὴν μὴ νενοηκότας. ὅπερ ἐ σμικρὸν εἰς ἀλήθειαν φρονήσεως, ζώπυρον ἀναφύεται σπέρμα. id eſt: *Qua de cauſa (nullo enim modo diſſimulandum eſt) venit mihi in mentem admirari, quomodo Euemerum Agrigentinum, & Nicanorem Cyprium, & Hipponem Melios, Cyrenæum inſuper illum, cui nomen Theodorus fuit, & multos alios qui moderate & continenter vixerunt, & cæteris hominibus acrius hunc de Diis iſtis errorem perſpexerunt, impios &* ἀθέες, *hoc eſt abſque Deo cognominarunt, etiamſi veritatem ipſam aſſecuti non fuiſſent, ſed certe errorem ſuſpicati ſunt: quod ipſum non parvi eſt momenti, ſed velut ſomes & ſemen ſe habet ad excitandam in animis veritatis lucem.* Benigna ſane interpretatio & Clemente digna. Ego vero non video quem religioni locum relinquat, quiſquis citra exceptionem, citra ullam diſtinctionem præcidit non eſſe Deos. Primum ita omnes eorum diſputationibus adducti indicarunt ſublatam ab iis funditus Divinitatem; *Cicero* citato loco; & *Plutarchus* in primo de *Placitis Philoſophorum*: Ἔνιοι τῶν φιλοσόφων καθάπερ Διαγόρας ὁ Μήλιος, καὶ Θεόδωρος ὁ Κυρηναῖος, καὶ Εὐήμερος ὁ Τεγεάτης καθ' ὅλε φασι μὴ εἶναι θεές. Qui καθ' ὅλε, in totum, univerſe, omnino, penitus Deos eſſe negat; nullum, opinor, relinquit. Sed & *Laertius* in *Ariſtippo*, de hoc ipſo Theodoro: Ἦν δὲ ὁ Θεόδωρος παντάπασιν ἀναιρῶν τὰς περὶ θεῶν δόξας. *Theodorus* (inquit) *omnes de Diis opiniones ſuſtulit.*

Præterea ſi ſolum falſorum multitudinem Deorum tollere voluerunt, nec tam Divinitati, quam ſuperſtitioni & ſtultis opinionibus bellum indixerant; cur tantam invidiam ſubire maluerunt, quam aperte declarare ſententiam ſuam? Nam neque alii ſapientes vulgi errores de Diis probabant; quidam etiam ex his ita libere inſectati, ut periclitarentur, & partim eorum exilio voluntario ſibi cavere, partim dare pœnas cogerentur. Quid quod nec bona

na fide Euemerus agebat, ſed σοφιστικῶς, non enim ſequitur, ſi gentium moribus bene meriti de republica & de genere humano viri divinis honoribus afficiebantur, non fuiſſe alios gentibus Deos, haud hominum inſtituto & legibus, ſed natura Deos. Atqui hoc erat potiſſimum Euemeri argumentum, quod multos ex hominibus Deos populorum conſenſu effectos conſtaret, nullum verum eſſe Deum probare. Quod eſt ſophiſticum.

Quin nec in ea fictorum numinum & politicorum demonſtratione, temperare potuiſſe, quin acta civitatum de genealogiis Deorum, ſepulturis, & conſecrationibus a ſe conficta & ſuppoſititia in medium proferret, auctor eſt *Plutarchus* in libro *de Iſide & Oſiride*: Ὃς αὐτὸς (Εὐήμερος) ἀντίγραφα συνθεὶς ἀπίστου καὶ ἀνυπάρκτου μυθολογίας, πᾶσαν ἀθεότητα καταρκεδάννυσι τῆς οἰκουμένης τοὺς νομιζομένους θεοὺς πάντας ὁμαλῶς διαγράφων, εἰς ὀνόματα στρατηγῶν καὶ ναυάρχων καὶ βασιλέων, ὡς δὴ πάλαι γεγονότων. ἐν δὲ Παγχόντι γράμμασι χρυσοῖς ἀναγεγραμμένοις, (οἷς οὔτε βάρβαρος οὐδεὶς, οὔτε Ἕλλην, ἀλλὰ μόνος Εὐήμερος, ὡς ἔοικε πλεύσας εἰς τοὺς μηδαμόθι γῆς γεγονότας μηδὲ ὄντας Παγχώους, καὶ Τριφύλλους) ἐντετυχήκει. i. *Qui cum ipſe exemplaria incredibilis & nullo nixa fundamento fabuloſitatis mentitus eſſet, omnem per univerſum terrarum orbem diſperſit impietatem, Deis, quotquot ſunt hominibus recepti, æqualiter expunctis atque ad imperatorum, navalium ducum, & regum, qui olim extiterunt, nomina tranſlatis. In urbe autem Panchonte, cum ad Panchoos, & Triphyllos, ad quos nemo unquam neque Barbarus, neque Græcus, ſed ſolus Euemerus, ſi Diis placet, navigaſſet; apud eos igitur, qui nuſquam terrarum, neque unquam exſtitemonumenta aureis inſcripta literis invenit.*

Inſignis *Plutarchi* locus, cui conferre juvabit, quæ de Panchæa inſula, *Hiera* nuncupata, in Oceano auſtrali ſita, & Jove Triphylio refert *Diodorus lib. 6. cap.* 10. nam ex Euemeri libris, quæ ibi habet, ſumpſiſſe mox probabo

babo: Latine autem verbis interpretis proferam: *Sunt in Panchæa, quæ hiſtoriæ mandentur, digna. Habitant eam indigenæ, qui dicuntur Panchæi. Externi præterea, Indi, Scythæ, Cretes, Oceano advecti. Civitas eſt in ea perpulchra nomine Panara, admodum felix. Qui in ea habitant miniſtri Jovis Triphylii dicuntur. Soli enim ex his, qui Panchæam oram incolunt, ſuis vivunt legibus liberi, abſque Rege.* Et paulo poſt: *Ab hac urbe ſtadiis ſexaginta, Jovis Triphylii abeſt templum, in campeſtri poſitum loco: quod tum vetuſtate, tum ædificii magnificentia, tum natura loci mirabile habetur.* Rurſus paulo infra, de eodem templo: *Templum ingens ex albo ædificatum lapide, magnis ſculptisque ſuffultum columnis, duorum jugerum longitudinem, cui æqua eſt latitudo, complectitur.* Ibidem & montis Triphylii Diis ſacri meminit. Et de Jove Triphylio: *Narrant*, inquit, *ſacerdotes, genus eorum manaſſe a Creta, ab Jove ductum, cum in Panchæam veniſſet: quo tempore inter homines verſatus, ibi imperitavit.* Et paulo poſt: *oſtendunt præterea horum ſcripta quædam, a Jove relicta quo tempore templum conſtruxit.* Quæ omnia ab Euemeri, ut dixi, libris ſumpta eſſe, colligi poteſt ex iis, quæ *Euſebius* lib. 2. *προπαρασκευῆς.* ex eodem Euemero affert, cujus verba adſcribere operæ pretium eſt. Εὐήμερος μὲν οὖν φίλος γεγονὼς Κασσάνδρου βασιλέως, καὶ διὰ τοῦτον ἠναγκασμένος τελεῖν βασιλικάς τινας χρείας καὶ μεγάλας ἀποδημίας, φησὶν ἐκτοπισθῆναι κατὰ τὴν μεσημβρίαν εἰς τὸν ὠκεανόν· ἐκπλεύσαντα δὲ αὐτὸν ἐκ τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας, ποιήσασθαι τὸν πλοῦν δι᾽ ὠκεανοῦ πλείους ἡμέρας καὶ προσενεχθῆναι νήσοις πλαγίαις. ὧν μίαν ὑπερέχειν τὴν ὀνομαζομένην πάγχαιαν· ἐν ᾗ τεθεᾶσθαι τοὺς ἐνοικοῦντας παγχαίους εὐσεβείᾳ διαφέροντας, καὶ τοὺς θεοὺς τιμῶντας μεγαλοπρεπεστάταις θυσίαις, καὶ ἀναθήμασιν ἀξιολόγοις ἀργυροῖς τε καὶ χρυσοῖς· εἶναι δὲ τὴν νῆσον ἱερὰν θεῶν. tum paulo poſt: εἶναι ἐν αὐτῇ (νήσῳ) κατά τινα λόφον ὑψηλὸν καθ᾽ ὑπερβολὴν, ἱερὸν Διὸς τριφυλαίου καθιδρυμένον ὑπ᾽ αὐτοῦ, καθ᾽ ὃν καιρὸν ἐβασίλευσε

τῆς

τῆς οἰκουμένης ἁπάσης ἔτι κατ' ἀνθρώπους ὤν. ἐν τούτῳ τῷ ἱερῷ στήλην εἶναι χρυσῆν, ἐν ᾗ τοῖς Παγχαίοις γράμμασιν ὑπάρχειν γεγραμμένας τάς τε Οὐρανοῦ καὶ Κρόνου, καὶ Διὸς πράξεις κεφαλαιωδῶς. quæ Latine ſic ſonant: *Enimvero Euemerus, cum eſſet amicus Caſſandri Regis, & hujus gratia coactus fuiſſet negotia quadam obire & magnas expeditiones, peregrinatum ſe ait, verſus meridiem in oceanum. Porro cum ex Arabia felice ſolviſſet, pluſculos dies navigaſſe in oceano, donec ad inſulas obliquas appelleret Ex quibus una alias excellat nomine Panchæa. In hac Panchæos habitantes vidiſſe pietate inſignes, quique Deos magnificentiſſimis ſacrificiis colerent, donariis inſuper pretioſis auri & argenti honorarent. Hanc autem inſulam Deis dicatam eſſe. Item hac ipſa in inſula in quodam monte ſupra modum excelſo Jovis Triphylæi templum fuiſſe conſtructum ab ipſo, quo tempore per omnem terram habitatam regnabat, adhuc inter homines vivens. In eo autem templo auream eſſe columnam, in qua literis Panchæis, Cæli, Saturni, & Jovis res compendioſe eſſent perſcripta.*

Ex his locum *Plutarchi* allatum emendare licet. Nam quod apud eum legitur, ἐν δὲ Παγχόντι, patet corruptum eſſe, veram autem lectionem eſſe, ἐν δὲ Παγχαίᾳ. Quemadmodum & male ibi Παγχώους pro Παγχαίους, & Τριφύλλους pro Τριφυλίους. Quippe & Triphylios fuiſſe in Panchæa, ita dictos, quod tres eſſent gentes, unde nomen monti & Jovi, ex eodem Euemero tradit *Diodorus* citato loco. Quos cave confundas cum Triphyliis Peloponneſi populis, qui in Elide olim habitabant, apud quos & civitas fuit Triphylia, Strabone teſte. In quem ſcopulum videtur impegiſſe *Lilius Gyraldus* in ſyntagmate ſuo *de Deis veterum.* Nunc quod conficta hæc ab Euemero, de Panchæa urbe & Triphyliis dicit *Plutarchus*; ſatis magnum hoc argumentum eſt, quod ut ibidem ait, nuſquam apud alios bonos auctores Græcos aut Barbaros de Panchæis aut Triphyliis quicquam proditum invenitur. Sane neque

Pom-

Pomponius Mela, neque *Strabo*, neque *Ptolomæus* horum meminere; *Plinius* quidem Panchaiam, in qua urbs Solis, nominat. Sed ubi de Phœnice, ave fabuloſa, & Manilii Senatoris teſtimonio ſane haud gravi. *Solinus* item, *ubi* de eadem ave obiter. Tum ſi ita eſt, miror eundem *Plinium lib.* 12. *cap.* 14. in deſcriptione thuriferæ regionis, Sabæos nominare, & caput regni Sabotam, de Panchæis tacere. At *Maro* in 2. *Georgic.* meminit,

Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.

Et alibi

—— *Panchæis adoleſcunt ignibus aræ.*

Tum *Servius* ad hunc verſum lib. 1. *Georgic.*

—— *Solis eſt thurea virga Sabæis.*

Arabiæ, Panchaia, & Sabæorum gens, eadem eſt, apud quos thus naſcitur. Rurſus: *Panchaia, Arabia, ut ſupra diximus, ubi & templum Triphylii Jovis habent.* Sane ita illi: ſed contendo, quod nemo hactenus advertit, non aliunde *Maronem* neque alios hæc nomina habuiſſe, niſi ex Euemeri fabulis. clara eſt auctoritas *Plutarchi* citato loco, aperte negantis de Panchæis & Triphyliis exſtare apud alios auctores Græcos aut Barbaros. οἷς (inquit) οὔτε βάρβαρος οὐδεὶς, οὔτε Ἕλλην, ἀλλὰ μόνος Εὐήμερος, ὡς ἔοικε, πλεύσας &c. Quod teſtimonium præſtantiſſimi ſcriptoris, qui omnes Græcorum veterum bibliothecas excuſſerat, omni exceptione majus cenſeri debet. Poſtremo neque apud Stephanum auctorem diligentiſſimum in ſuo lexico περὶ πόλεων καὶ δήμων, ulla Panchæorum aut Triphyliorum Arabiæ mentio exſtat.

Cum ergo Euemerus iſte ſolus de natione aliis nuſquam audita prodiderit, merito *Plutarcho* eſt ſuſpectus, hæc que legentes dicimus, *fides ſit penes auctorem*: nec vero *Plutarcho* tantum dubiæ fidei auctor & inteſtabilis habitus iſte Euemerus: ſed etiam *Straboni*, qui hunc frivolis quibuſdam & nullius auctoritatis ſcriptoribus annumerat,

lib. 1.

lib. 1. de Eratoſthene loquens: Ὁ δὲ Δαμάστῃ χρώμενος μάρτυρι, οὐδὲν διαφέρει τοῦ καλοῦντος μάρτυρα τὸν Βεργαῖον, ἢ τὸν Μεσσήνιον Εὐήμερον, καὶ τοὺς ἄλλους, οὓς αὐτὸς εἴρηκε διαβάλλων τὴν φλυαρίαν. Veruntamen conſtat magnum fuiſſe apud vulgus nomen ejus, magnam famam librorum. Quod ex verbis *Ciceronis* e libro primo de *Nat. Deorum* ſupra allatis intelligi poteſt. Et Dei providentia factum eſſe putandum eſt, ut ex ipſis Ethnicis exiſterent qui omni religione tollenda, imprudentes veræ pietati viam argumentorum opportunitate munirent.

CAPUT III.

Lacuna in textu Ciceronis *ex conjectura ſuppletur.*

NOn longe ab initio libri primi de *Natura Deorum* lacuna hæc pridem notata eſt. Nempe in ipſo exordio totius diſputationis, quod eſt ejuſmodi: *Cum multa res in philoſophia nequaquam ſatis adhuc explicata ſunt, tum perdifficilis, Brute, quod tu minime ignoras, & perobſcura quæſtio eſt de natura Deorum, quæ & ad cognitionem animi pulcherrima eſt, & ad moderandam religionem neceſſaria. De qua tam variæ ſunt doctiſſimorum hominum, tamque diſcrepantes ſententiæ, ut magno aagumento eſſe debeat, cauſam, id eſt, principium philoſophiæ eſſe ſcientiam: prudenterque Academicos a rebus incertis aſſenſionem cohibuiſſe.* Mutilum, inquam, eſſe hunc locum, præter *Lambini* auctoritatem, qui hunc ut corruptum aſteriſco notavit, ſententiæ ipſius abſurditas cogit fateri. Quod miror *Manutium* non vidiſſe, neque Manutio majorem *Turnebum*, qui hanc lectionem tuentur.

At enim vero non video, quo ſenſu ſcientia cauſa & principium

cipium philoſophiæ dici poſſit. Nam eſſe exitum & finem palam eſt. Omnes quippe hoc conſilio ad philoſophandum accedunt, ut ſedula perveſtigatione cauſſarum alicujus rei ſive effectus, naturam penitus, quod ſcientiæ eſt munus, comprehendant.

Ceterum quam certum eſt hunc contextum eſſe hiulcum, tam difficile arbitror, quæ deſunt ſupplere. Id quidem meliorum librorum ope plane præſtari poſſet; ſi exſtarent. An autem exſtent, me latet. Interea vero quid mihi nunc de ſupplenda hac lacuna in mentem venit, dicam. Ita mihi videor hanc poſſe ſupplere. Poſt hæc verba: *ut magno eſſe argumento debeat, cauſſam, id eſt, principium Philoſophiæ*, ſuppleo, [*ab amore quidem ſcientiæ eſſe ductum; finem tamen non eſſe*] *ſcientiam.* Plana & dilucida hoc modo ſententia eſt. Præfatur primum difficilem eſſe quæſtionem de natura Deorum, idque intelligi ex varietate opinionum, & diſſenſu philoſophorum circa hanc quæſtionem. Ex quo infert omnes ſtudio quidem & amore ſcientiæ impelli ad philoſophandum, quod idem eſt atque hunc amorem eſſe cauſſam & principium philoſophiæ: non tamen hujus finem eſſe ſcientiam. Non enim finis ſcientia, ſi ad eam nemo pervenit. Quippe hoc finis differt a ſcopo; quod ad ſcopum ſufficit animi deſtinatio & conſilium: finis niſi operis ſucceſſu non intelligitur. Indicium infelicitatis & laboris nunquam ad finem pervenientis in via veritatis, diſcordes philoſophorum circa idem quæſitum ſententiæ. Ex quibus *Cicero* arguit prudenter feciſſe Academicos, qui a rebus incertis aſſenſionem cohiberent. Hanc eſſe mentem *M. Tullii* eo loco, hoc conſilium, cuivis animum advertenti apparere arbitror. Ex quo etiam ſpes ſit, quod ad verba attinet, quæ hic affero ad hiatum ſupplendum, non eſſe admodum diſſimilia iis, quibus vir ille ſummus ſententiam expreſſerat. Ita igitur interim liceat ſupplere hunc locum, cum dum aliquis nondum re-

pertus liber e tenebris emergens, ipſam & Ciceronis manum repræſentaverit.

CAPUT IV.

Ciceroniani *loci hactenus deplorati*, *de* Dionyſii Syracuſarum tyranni *obitu & ſepultura*, *emendatio ex conjectura tentatur.*

VEreor ut homines, quæ hic molior, accepturi ſint: ſane enim facinus audax aggredior, deſperatum ſeclis Ciceronis locum ex conjectura reſtituere. Amore autem impellor literarum: quo mihi placabiliores fore ſpero eruditos, ac veniam daturos, ſi qui deſultoria hæc & ſubciſivæ operæ ponere ante oculos non dedignabuntur. Locus is exſtat in tertio de *Nat. Deorum* libro. Ibi Latiarum parens literarum, ejus quem dixi, tyranni ſceleroſa & impia aliquot facta referens, ex his Academice arguit contra providentiam, nihilo deteriore hunc propterea uſum fuiſſe fortuna, neque dum vixit, quicquam mali admodum expertum, quo Deos ſibi eſſe iratos intelligeret: quin imo domi in pace diem ultimum clauſiſſe. *Hunc igitur nec Olympius Jupiter fulmine percuſſit, nec Æſculapius miſero diuturnoque morbo intabeſcentem interemit: atque in ſuo lectulo mortuus in Tympanidis rogum illatus eſt: eamque poteſtatem, quam ipſe per ſcelus erat nactus, quaſi juſtam & legitimam, hæreditatis loco filio tradidit.* In eo igitur negotium eſt, quod Dionyſius poſt mortem in *Tympanidis rogum* illatus dicitur; quid ſcilicet *Tympanidis* nomine intelligi debeat: aliquis homo, an locus. Atqui non eſſe loci nomen certo hinc patet, quod *Tympanidis rogum* dicit, ſi autem hominem

nem intelligimus, quis is Tympanis fuerit, dicendum eſt; quo nomine aliquem exſtitiſſe nuſquam reperitur, tum quod abſurdiſſimum eſt, ſequetur Dionyſii cadaver in alienum rogum fuiſſe illatum. Quin igitur in utraque voce laboret hic locus, dubitari nullo modo poteſt. Non morabor diutius Studioſos. Sic ſcripſiſſe Ciceronem conjicio: *atque in ſuo lectulo mortuus in Thymaridæ heroum illatus eſt.* nunc ratio hujus emendationis reddenda eſt.

Thymarides, nomen eſt proprium nobilis Pythagorei, hujus, quem laudat *Jamblichus*, in *vita Pythagoræ*, cap. 28. his verbis: Ὅτι δ' οὐδὲν ᾤοντο ἐκ ταυτομάτου συμβαίνειν, καὶ ἀπὸ τύχης, ἀλλὰ κατὰ θείαν πρόνοιαν, μάλιστα τοῖς ἀγαθοῖς καὶ εὐσεβέσι τῶν ἀνθρώπων, βεβαιοῖ τὰ ὑπὸ Ἀνδροκύδου, ἐν τῷ περὶ Πυθαγορικῶν συμβόλων ἱστορούμενα, περὶ Θυμαρίδου τοῦ Ταραντίνου Πυθαγορικοῦ. ἀποπλέοντι γὰρ &c. *Quod autem nihil caſu aut fortuito contingere, ſed divina providentia, bonis præſertim & piis viris arbitrarentur; argumento & quidem validiſſimo eſſe poſſunt, quæ Androcydes in libro de Pythagoricis Symbolis tradit de Thymaride Tarentino Pythagorico; Et enim cum ipſe navigio ſolveret* &c. reliqua de Thymaride ibi legi poſſunt apud *Jamblichum*. Ex quo loco apparet quendam fuiſſe Pythagoricum illuſtrem eo nomine, genere quidem Tarentinum, ſed quem in Siciliam tranſmigraſſe in eaque ſedem fixiſſe facile quivis concedat, iis ſcilicet temporibus, quibus florebant in ea inſula Sodalitia Pythagoreorum, inter quos veterum monumentis tantopere celebratum par amicorum exſtitit, Pythias & Damon, Dionyſii principatu maxime clari & nobiles. Tum his antiquiores Epicharmus & Empedocles Pythagoræ itidem, ut conſtat, admiratores & aſſeclæ. Ex quo facile quivis conjiciat, & iſtum Thymaridem ibidem converſatum.

Nihil ergo obſtare videtur, quin ibi apud Ciceronem pro *Tympanidis rogum* (quæ lectio nauci non eſt) legamus *Thymaridæ heroum*. Quod enim doctrina & ſanctitate vi-

tæ inter alios inclytus eſſet, eidem mortuo, ut præſtanti viro & heroi (qui mos fuit temporum illorum) *heroum*, hoc eſt Sacellum honoris cauſa poſitum fuiſſe putandum eſt. Sic & Diochætæ Pythagoreo heroum condi curaſſe Parmenidem refert *Laertius* in ejus vita: Ἐκοινώνησε δὲ καὶ Ἀμεινίᾳ καὶ Διοχαίτῃ τῷ Πυθαγορικῷ (ὥς ἔφη Σωτίων) ἀνδρὶ πένητι μὲν, καλῷ δὲ καὶ ἀγαθῷ· ᾧ καὶ μᾶλλον ἠκολούθησε· καὶ ἀποθανόντος ἡρῷον ἱδρύσατο. Sed & Socratis Heroum viſitatum olim in Attica, non procul ab urbe, teſtatur *Marinus* in *vita Procli*.

Nec vero obſtat quod *Plutarchus* in *Dione* tradit ſepultum Dionyſium magnificentiſſime in arce urbis, quæ a numero portarum πεντάπυλος dicta eſt; & *Diodorus Siculus* in arcis portis, ubi aliorum principum ſepulchra eſſent. Quidni enim & in eadem arce conditum Thymaridi heroum, corpuſque ejus poſt obitum honoris cauſa poſitum credamus. Quid ni & Dionyſium poſtea dicamus eodem heroo voluiſſe ſepeliri, ſive hunc ambitio impulit ob ſanctitatem loci: ſive (quod potius reor) metuens, ne quandoque ſua oſſa diſſipari ab inimicis poſſent, ſibi cavit loco.

CAPUT V.

Porphyrii *locus e primo* τῶν ἀποχῆς ἐμψύχων *emendatus & explicatus.*

LEgens eos libros multiplici & exquiſita eruditione refertos, in eum locum incidi, ubi quorundam opinionem exagitat, qui minime a ſapiente alienum putarent, vicibus modo ad ea quæ mente uſurpantur converti, modo ad ſenſus, & corporis voluptates, atque ita utrique parti

parti ſatisfacere. Quam ſane opinionem ut menti & virtutis conſtantiæ inimicam merito improbat. Nam & B. Hieronym. lib. 2. adverſus Jovinianum a Porphyrio (opinor) mutuatus, mire conſentanea contra hanc ſtultam perſuaſionem habet. *Quod ſi quis*, inquit, *exiſtimat*, *&* *abundantia*, *ciborum potionumque ſe perfrui*, *& vacare poſſe ſapientiæ*, *hoc eſt*, *& verſari in deliciis*, *& deliciarum vitiis non teneri*, *ſeipſum decipit*. Addit Porphyrius, e Barbaris multos ea re ad omne intemperantiæ genus prolapſos. Hæc ſunt verba, ut in libris excuſis atque ipſa *Holſtenii* editione habentur: τὸ δὲ οἴεσθαι κατὰ τὴν αἴσθησιν παθαινόμενον πρὸς τοῖς νοητοῖς ἐνεργεῖν, πολλοὺς καὶ τῶν βαρβάρων ἐξετραχήλισεν, οἱ ἐπὶ πᾶν εἶδος ἡδονῆς προῆλθον ἐκ καταφρονήσεως λέγοντες· καὶ τὸν δύνασθαι πρὸς ἄλλοις ὄντα τῇ ἀλογίᾳ χρῆσθαι, τούτοις ἐπιτρέπειν. Quæ verba ſic *Holſtenius* vertit: *Opinari vero, eum qui rebus quæ ad ſenſum pertinent, commovetur, poſſe etiam in intellectualibus verſari, multos etiam ex barbaris præcipites egit, qui omni voluptatum generi * arrogantia quadam ſe immiſcuerunt, affirmantes, ei qui poteſt ſenſui indulgere, tamen eodem tempore etiam aliis vacare, hoc permiſſum eſſe.* Ita vir ille de literis philoſophicis bene meritus: quem mendæ vel etiam lacunæ ſuſpectum habuiſſe hunc locum aſtericus affixus indicat. Sed emendare, aut quæ deſunt ſupplere non potuit. Sane hæc non cohærent; ἐκ καταφρονήσεως λέγοντες, item in eodem contextu καὶ τὸν δύνασθαι &c. in accuſativo ſingulari, tum rurſus in plurali; τούτοις ἐπιτρέπειν. Sed intereſt ſententiam explicari, priuſquam corruptis medicinam facimus.

Hujus caput explicare, quos heic *Barbaros* intelligat Porphyrius, *qui* ſcilicet *arrogantia*, ut vertit Holſtenius, vel *per contemptum omni ſe voluptatum generi immerſerunt*. Ego quid mihi conjecturæ in re obſcura venit, libere proponam; an ad ſcopum attigerim nec ne, docti judicabunt. Ad Salomonem feliciſſimum Hebræorum, ut notum eſt, Regem pertinere hæc verba arbitror. Quem Porphyrius

Barbarum Græcorum more appellat, qui ſic alias nationes barbariei appellatione fœdabant: maxime vero Hebræos. *Plato* quidem in *Cratylo* de etymo nominis πῦρ quod ignem ſignificat; & aliis locis barbaros citans, Hæbræos intelligit Quo autem argumento Salomonem oblique hac cenſura perſtrictum cenſeam, id vero explanare maxime ad rem pertinet. Nimirum Porphyrius, ut homo eruditiſſimus, Chriſti myſteriis initiatus, neque proinde Hebræorum ſapientiæ imperitus, Salomonis verba legerat initio libri, qui *Eccleſiaſtes* inſcribitur, Ματαιότης ματαιοτήτων, εἶπεν ὁ Ἐκκλησιαστής, ματαιότης ματαιοτήτων καὶ πάντα ματαιότης. hoc eſt: *Vanitas vanitatum, dixit concionator, vanitas vanitatum & omnia vanitas.*

Sed & idem in ſermonis proceſſu hunc locum viderat; ubi opes ſuas & magnificentiam prædicat, quibus ſe omnes mortales ſupergreſſum dicit: quæ poſtquam commemoravit, de ſapientia & voluptatibus hunc in modum ſubjungit: Καίγε σοφία μου ἐστάθη μοι· καὶ πᾶν ὃ ᾔτησαν οἱ ὀφθαλμοί μου, οὐκ ἀφεῖλον ἀπ᾽ αὐτῶν. i. *Et quidem ſapientia conſtitit mihi, vel* (ut vulgata habet) *perſeveravit mecum & omne quod poſtulaverunt oculi mei, non abſtuli ab eis.* Quæ loca inter ſe conferens *Porphyrius*, plane, id quod litera ſonat, putavit Salomonem in ea eſſe hæreſi, ut mentis contemplationi ſimul, & corporis voluptatibus vacare non alienum a propoſito ſapientis exiſtimaret. Quam & Cynicorum quorundam ſententiam fuiſſe conſtat, & meminit *Porphyrius*, ſed & Ariſtippi, cum diceret Λαΐδα ἔχω οὐκ ἔχομαι. Quod ergo Salomon præfatus, omnia eſſe vanitatem, omnia nihil ominus ſe habuiſſe dicit, ædificaſſe domos, hortos & pomaria diſpoſuiſſe omnis generis arboribus; concervaſſe ſibi aurum & argentum & ſubſtantias regum ac provinciarum, & cætera, quæ ad voluptates architectandas pertinent, ſupra omnes qui ante ſe fuerunt in Jeruſalem, nihil negaſſe ſenſibus ſuis dicit, hoc ſummatim

matim Porphyrius his verbis mihi videtur complexus: Οἱ ἐπὶ τὸ πᾶν εἶδος ἡδονῆς προῆλθον, ἐκ καταφρονήσεως, *Qui ad omne voluptatis genus ex contemptu proſluxerunt, dicentes.* &c. ubi quidem non exilis animum meum pungit ſuſpicio; lacunam eſſe in textu poſt participium λέγοντες, amiſſis Salomonis verbis quæ citabat Porphyrius, his ſcilicet; ματαιότης ματαιοτήτων &c. cui ſi ſuſpicioni locus datur, & id recipimus, non erit difficile locum hunc priſtinæ integritati ſic reſtituere: Οἱ ἐπὶ τὸ πᾶν εἶδος ἡδονῆς προῆλθον ἐκ καταφρονήσεως, λέγοντες· ματαιότης ματαιοτήτων, καὶ πάντα ματαιότης (vel brevius) πάντα εἶναι ματαῖα. καὶ τὸν σοφὸν δύνασθαι πρὸς ἄλλοις ὄντα τῇ ἀλογίᾳ χρῆσθαι, καὶ τοῦτο θεὸν ἐπιτρέπειν, i. *qui ad omnem voluptatis ſpeciem proſluxerunt, per contemptum dicentes; omnia eſſe vana, poſſe ſapientem in aliis occupatum, uti irrationalitate* (cupiditatibus obſequi) *neque deum vetare.*

Non eſt porro, quod quiſquam miretur *Porphyrium* his fuiſſe offenſum, aut eum calumniæ accuſet, adverſus Regem ſapientia divinitus præter cæteros mortales dotatum, cum ipſe *Hieronymus* pene hæc, ut Epicuri decreto conſentanea explodat, in commentario ad eum librum: *Rurſum* (inquit) *ne putaretur hæc dicens hominem ad luxuriam provocare, & in Epicuri dogma corruere, ſuſpicionem hanc abſtulit, inferens: & ſcito quoniam ſuper omnibus his adducet te Deus in judicium.* Idem *Hieronymus* in fine libri ad hæc verba: *Deum time & mandata ejus cuſtodi*, quæ in modum epilogi ſcripta ſunt, hunc epilogum apponit: *Ajunt Hebræi, cum inter cetera ſcripta Salomonis, quæ antiquata ſunt, nec in memoria duraverunt, & hic liber obliterandus videretur, eo quod vanas aſſerat Dei creaturas, & totum putaret eſſe pro nihilo, & cibum & potum & delicias tranſeuntes præferret omnibus: ex hoc uno capitulo* (ultimo) *meruiſſe auctoritatem, ut in divinorum voluminum numero poneretur, quo totam diſputationem ſuam, & omnem catalogum ſuum hac quaſi ἀνα-*

κεφαλαιώσει, coarctaverit, dixerit finem ſermonum ſuorum auditu eſſe promptiſſimum, nec aliquid in ſe habere difficile: ut ſcilicet Deum timeamus, & ejus præcepta faciamus.

CAPUT VI.

Locus Plutarchi *e libro, qui inſcriptus eſt* convivium ſeptem ſapientum, *correctus & illuſtratus.*

VErba *Plutarchi* eo loco hæc ſunt: Πάνυ μὲν οὖν (ἔφη ὁ Σόλων) μὴ καὶ τῶν Αἰγυπτίων ἀκριτώτεροι φαινώμεθα, οἱ τὸν νεκρὸν ἀνατέμνοντες ἔδειξαν τῷ ἡλίῳ, εἶτ' αὐτὰ μὲν εἰς τὸν ποταμὸν κατέβαλον· τοῦ δὲ ἄλλου σώματος ἤδη καθαροῦ γεγονότος ἐπιμέλονται. id eſt ad verbum, *Certe (inquit Solon) ne Ægyptiis improvidi magis videamur, qui poſtquam mortuum diſſecuerunt, Soli oſtenderunt: deinde ipſa quidem in fluvium projecerunt. Reliqui vero corporis jam puri curam habent.* Non conſtat ſententia: in dictione nihil, quod corruptum videri poſſit. Deſunt igitur quædam in textu: ſine dubio adverbium, ἐπειδὴ & vox σπλάγχνα, quæ fidenter reſtituo, ſenſu ita poſcente, & ſequenti pronomine αὐτὰ, quod ad σπλάγχνα refertur. Ita ergo legendum eſt: οἱ ἐπειδὴ τὸν νεκρὸν ἀνατέμνντες, τὰ σπλάγχνα ἔδειξαν τῷ ἡλίῳ. *qui poſtquam cadavere diſſecto viſcera Soli oſtenderunt.* Veram eſſe hanc lectionem patebit conferenti hunc locum *Plutarchi* cum iis quæ *Porphyrius* in quarto περὶ ἀποχῆς, de hoc ipſo more Ægyptiorum in exequiis tradit. Hunc autem ſubnectere haud gravabor, quia dignus cognitu, non ipſis auctoris verbis quæ multa ſunt: ſed Latinis: *Ceterum illud neutiquam prætereundum eſt, quod cum nobiles jam defunctos condiant, privatim ventrem eximunt, & in arca reponunt deinde inter alia*

alia, quæ in mortui gratiam faciunt, arcam ad Solem attollentes, eum teſtem invocant, uno ex libitinariis pro mortuo orationem habente. Eſt autem oratio, quam Ecphantus ex lingua Ægyptia interpretatus eſt, hujuſmodi: O domine Sol voſque Dii univerſi, qui vitam hominibus largimini, me accipite & Diis contubernalem futurum tradite. Ego enim Deos, quos mihi parentes commonſtrarunt, ſemper pie colui, quamdiu in hoc ſeculo vixi, quique corpus genuerunt, ſemper honoravi: nec aliorum hominum quenquam occidi, neque depoſito fraudavi, nec aliud quidpiam inexpiabile malum admiſi. Si vero dum vivebam, aliquid quod fas non erat, vel edendo, vel bibendo perpetravi, non per me peccavi, ſed per iſta: arcam digito oſtendens, in qua venter poſitus erat. Atque hæc locutus in fluvium eam conjicit, reliquum autem corpus tanquam purum condit. Hæc *Porphyrius*, quæ ſuperiorem *Plutarchi* locum non mediocriter illuſtrant. Subdit *Plutarchus* infra: Ἀτεχνῶς γοῦν πολλῶν ἴδοις ἂν ὥσπερ ἐν μύλωνι, τῷ σώματι τὴν ψυχὴν ἐγκεκαλυμμένην δεῖ περὶ τὴν τῆς ψυχῆς χρείαν κυκλοῦσαν. ubi una litera addita legendum δέει, ſupple θανάτου, *metu mortis.* & mox, pro τὴν τῆς ψυχῆς χρείαν, reſcribo τὴν τῆς τροφῆς χρείαν. Ita melius meo quidem judicio, quam ſi ψυχὴ, hoc eſt, *anima* dicatur περὶ τὴν τῆς ψυχῆς χρείαν κυκλεῖν. Sic autem Latine hæc ſententia reddi poteſt: *Sane vero multorum videre eſt animam, ceu in piſtrinum detruſam, corpore velatam, metu mortis circa uſum alimenti circuitu ſe moventem.* More ſcilicet jumentorum molas verſantium. *Apulejus* libro 9. *Metam.* ſive Aſini aurei: *Ibi complurium jumentorum multivii circuitus intorquebant molas ambage varia. Nec die tantum, verum perpeti etiam nocte, prorſus inſtabili machinarum vertigine lucubrabant pervigilem farinam.* Ibidem *Plutarchus* de iis qui cibum ſumunt: ἀλλ' ἕκαστος ἐγκεκυφὼς ἐδούλευε τῇ περὶ τὴν τροφὴν χρείᾳ. *Sed quiſque in cibum ſe inclinans alimenti neceſſitati inſervit.* Quæ verba conjecturam noſtram con-

 fir-

firmant, neque ψυχῆς, ſed τροφῆς χρέιαν, ſuperiore loco legi debere.

CAPUT VII.

Pliniani *loci, qui fruſtra hactenus eruditos exercuit, emendatio tentatur.*

EXſtat hic locus in libro XI. *hiſtoriæ naturalis* cap. 37. his verbis: *Jecur maxime vetuſtatis patiens: centenis durare annis obſidionum exempla prodidere.* Itane obſidionum exemplis jecur centum annos durare obſervatum. At primum, cujus unquam urbis obſidio tam longum tempus duravit? deinde quid urbium obſidiones ad jecoris obſervationem, & quomodo per eas compertum id viſcus ævo reſiſtere, præ aliis animalium partibus? Non intelligo prorſus. *Turnebus* lib. 20. *Adverſariorum* cap. 23. huic loco medicinam ex antiquis libris facere voluit, in quibus hanc lectionem ſe reperiſſe ait: *hoc Sirion cum exempla prodidere.* Ex hac ſcriptura ipſe *oxyrynchum exempla*, vel *Aſſyriorum*, emendat: quo ſenſu non video, ſed ipſum audiamus. *Oracula librorum antiquorum ſciſcitanda mihi eſſe putavi in quibus nihil tale reperi* (quali vulgati codices excuſi habent) *ſed quod tamen reperi, ut verum fatear, vate aut Sibylla indiget interprete: neque ex eo ſana ulla ſententia contexi queat. Verba antiquorum exemplarium ſunt:* hoc Sirion cum exempla prodidere. *Quid illud ſit*, hoc Sirion cum, *nequeo comminiſci.* oxyrynchum exempla *aliquando vaticinatus ſum legi debere: qui piſcis in Ægypto frequens eſt, & in ejus potuit jecore, quod Plinius refert, obſervari. Sed mihi commentum iſtud non placet. Vero propius ſit,* Aſſyriorum exempla *prodidere.*

didere. Nec tamen huic ſententiæ ita confidemus, ut nos aliis eam approbare poſſe putemus. Itaque & amplius pronuntiamus, & alios ad emendationem interpretationemque hortamur. Recte autem vir magnus & prius commentum aſpernatur, & quam poſtea affert ſententiam, ei parum fidit. Nos igitur conſilium ejus exhortationemque ſequentes, quid nobis in mentem venit, proferre audemus.

Ex ejuſdem veteris ſcripturæ veſtigiis a *Turnebo* propoſita, *haruſpicum* vel *extiſpicum exempla* nos elicere poſſe ſperamus, vel potius confidimus. Sed quomodo id colligam, explicandum ut omnes intelligant. quomodo, inquam, extiſpicum exemplis tot annos jecur durare compertum fuerit. Sic habendum eſt, magiſtris illis, qui ex animalium fibris futura conjectandi artem profiterentur, morem fuiſſe jecora aſſervare pecudum, ex quarum extis hujuſmodi divinatio peteretur. Tum ea exſiccata penes ſe habuisſe in capſis ſive armariis ad eum uſum paratis, quorum inſpectu planius diſcipuli intelligerent, quæ ab iis de jecoris partibus in hac diſciplina obſervandis traderentur. Eorum quæ ab iis in jecore aut aliis pecundum interaneis obſervarentur, exempla aliquot ex eodem *Plinio* ſubjungere viſum eſt; atque ex hoc ipſo libro & capite citato: *jecur in dextra parte eſt. In eo quod caput extorum vocant, magnæ varietates. M. Marcello circa mortem cum periit ab Annibale, defuit in extis. Sequenti deinde die geminum repertum eſt. Defuit C. Mario cum immolaret Uticæ: item Caio principi Calend. Januariis, cum iniret conſulatum, quo anno interfectus eſt: Claudio ſucceſſori ejus, quo menſe interemptus eſt veneno. D. Auguſto Spoleti ſacrificanti, primo poteſtatis ſuæ die, ſex victimarum jocinora replicata intrinſecus ab ima fibra reperta ſunt: reſponſumque, duplicaturum intra annum imperium. Caput extorum triſtis oſtenti caſum quoque eſt, præter quam in ſolicitudine ac metu. Tunc enim perimit curas.* Idem eodem libro, ubi de victimarum felle agit: *Aruſpices* (inquit)

id Neptuno & humoris potentiæ dicavere: geminumque fuit Divo Auguſto, quo die apud Actium vicit. Supra autem eodem in capite, diſputans de corde ex eadem diſciplina: *Non ſemper autem* (inquit) *in parte extorum habitum eſt. L. Poſthumio Albino Rege Sacrorum poſt vigeſimam centenſimam tertiam Olympiadem, cum rex Pyrrhus ex Italia diſceſſiſſet, cor in extis Aruſpices inſpicere cœperunt. Cæſari Dictatori quo die primum veſte purpurea proceſſit, atque in ſella aurea ſedit, ſacrificanti bis in extis defuit. Unde quæſtio magna de divinatione argumentantibus, potueritne ſine illo viſcere hoſtia vivere, an ad tempus amiſerit.*

Multa quoque ad ejuſdem diſciplinæ obſervationes pertinentia exſtant apud *M. Tullium*, in libris de *Divinatione*; ut libro primo cum ait: *Similiter quid fiſſum in extis, quid fibra valeat, accipio: quæ cauſa ſit, neſcio.* Videtur autem *fiſſum* fuiſſe linea quædam & limes, qui fibras in extis, in jecore ſcilicet, bipartito dividebat, atque dirimebat. In libro autem ejuſdem tractationis ſecundo de iiſdem aruſpicibus: *Fiſſum*, inquit, *omni parte diligentiſſime conſiderant: ſi vero id non eſt inventum, nihil putant accidere potuiſſe triſtius.* Nimirum duplex erat *fiſſum*: unum familiare in jecore, alterum vitale in aliis extis, ut pulmone, de quo Lucanus.

—— *parvuſque ſecat vitalia limes.*

Item *fiſſum*, unum erat noſtrum, alterum hoſtium. Erat & duplex in jecore *caput*; unum noſtrum, alterum hoſtium. Hæc cum in extis victimarum Aruſpices diſtinguerent, & alios docerent, nimirum his neceſse erat ea aſservare in longum tempus, ut diſcentibus monumenta artis & documenta eſsent. Quo pacto apud nos profeſsores anatomici larvales oſſium humanorum compages ſiccatas domi cuſtodiunt. Et memini me olim apud dominum *de Sartes* doctorem medicum Pariſienſem, amicum meum, videre jecur humanum cum vaſis omnibus, quæ

ad

ad ipſum pertingunt, exſiccatum axi applicatum, atque ita explicatum, ut ibi artificioſa imitatione expreſſum potius ſimulacrum, quam naturæ opus videretur. Hujuſmodi extiſpicum exempla eo loco *Plinii* intelligenda ſunt, per quæ apparet cognoſci potuiſſe, quot annos jecur animalis mortui, durare poſſet, cum, ut veriſimile eſt, tempus quo id extractum fuiſſet, in iis capſis, tabuliſve notarent, quo multitudo & longinquitas obſervationum pateret. Nec vero victimarum exta tantum cuſtodiebant diſciplinæ gratia, ſed & avium in auguriis obſervabilium picturas ſtudioſe aſſervabant eodem *Plinio* auctore lib. 10. cap. 15. quod inſcriptum eſt, *De avibus incognitis. Sunt* (inquit) *præterea complura genera depicta in Hetruſca diſciplina, ſed ulli non viſa, quæ nunc defeciſſe mirum eſt.* Qui locus ſuperiorem noſtram de extis conjecturam aliquo modo confirmat.

CAPUT VIII.

Ejuſdem auctoris *locus, ex eodem capite, vindicatur ab iniqua* Cæſaris Scaligeri *cenſura.*

PRimum *Scaligeri* verba proferam ex *commentariis* ejus in lib. 1. de *hiſtor. Animalium* cap. 9. partic. 130. *Plinius quoque lingulam hanc, minorem (epiglottidem) vocat linguam ſed multis obſepſit erroribus primus. Duabus ait interpoſitam fiſtulis ad operam geminam. Una eſt quia arteriam operiat, cum cibus demittitur: altera quod gulam occludat, cum ſpiritus commeat. Secundus error cum arteriam vocat epiglosſida. Tertius ubi ait arteriam eſſe interiorem, gulam exteriorem. contrarium enim verum eſt.* Hæc *Scaliger.* Videamus num quæ

ro apud Græcos auctores; nomen hoc, metallum inquam, pro quacumque utili herba uſurpatum videri poteſt; ut apud *Plutarchum in convivio Septem Sapientum*, ubi quendam ſic loquentem inducit: Θαυμάζω δέ σου τὸν ξένον, ὦ Σόλων, εἰ Δηλίοις ἔναγχος ποιησάμενος τὸν μέγαν καθαρμὸν, οὐχ ἱϛόρησε παρ᾽ αὐτοῖς εἰς τὸ ἱερὸν κομιζόμενα τῆς πρώτης ὑπομνήματα τροφῆς, καὶ δείγματα μετάλλων εὐτελῶν καὶ αὐτοφυῶν, μαλάχην καὶ ἀνθέρικον. *Ego vero, o Solon, admiror hoſpitem tuum ſi cum nuper Deliis magnam expiationem perfecerit, apud eos monumenta primi mortalium victus non vidit, cum in templum importarentur, ac vilium & ſponte naſcentium ſpecimina metallorum, malvam & aſphodelum.* Ubi expreſſe μέταλλον de terra naſcentibus uſurpatum liquet. At enim vero *Guyetus* emendat hunc locum, & pro μετάλλων, dictionem dividens, μετ᾽ ἄλλων legit. Eſto. quid *Galeno* faciemus, qui comment. 2. in librum *Hippocratis de Natura Humana*, non obſcure id ipſum inſinuat? καὶ μάλιϛα ἂν ἔμπειρος τῆς ἱϛορουμένης ὕλης εἶεν, ὥσπερ Εὔδημος μὲν καὶ Ἡρόφιλος ἀνατομῆς. Κρατεύας δὲ καὶ Διοσκορίδης τῶν μεταλλικῶν φαρμάκων. Qui ſi locus *Galeni* integer eſt, metallicorum etiam appellatione non modo, quæ proprie *metallica* & *foſſilia* dicuntur, ſed etiam ſtirpium, quarum eſt in medicina uſus, naturas comprehendi fatendum erit. Nam Crateuæ quidem herbis veſtigandis ac radicibus ſecandis induſtriam olim laudatam conſtat: *Dioſcorides* autem licet univerſam materiam medicam tractare aggreſſus, nullam ejus partem intactam reliquit, neque proinde metallica omiſit, hanc tamen partem, quæ plantarum genera & vires exponit, latius & diligentius exſecutus videtur. Sed vereor, ut ſatis integer ſit is Galeni locus: & profecto quædam videntur deeſſe, quibus amiſſis, quod erat in contextu ultimum, manſit. Hoc ſi recipimus, vel ſtandum erit ei expoſitioni, quam dat *Hofmannus*: aut dicemus metallum ibi a *Plinio* ſumptum eſſe pro vectigali & reditu,

quod

quod publici multarum civitatum reditus e metallis caperentur: ut olim apud Athenienſes, teſte *Ariſtophane in Veſpis* in hac enumeratione,

Πρυτανεῖα μέταλλ' ἀγορὰς, λιμένας, μισθὲς, καὶ δημιόπρατα.
Τούτων πλήρωμα, τάλαντ' ἐγγὺς δισχίλια γίνεται ἡμῖν.

CAPUT. X.

Solonis *verſus quo ſe ajebat ſemper aliquid addiſcentem ſeneſcere, & quid de ſenili ſtudio* Plato *ſenſerit.*

INter alia commendata in *Solonis elegis*, hic verſus in primis fertur,

Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος. — printed: Α'ιεὶ γηράσκω πολλὰ διδασκόμενος.

Quo ſignificabat ſeneſcere ſe multa in dies addiſcentem: ita enim *Cicero* in Dialogo *de Senectute* hunc verſiculum interpretatur. cenſetque plane juxta hanc ſententiam, *manere ingenia ſenibus, modo permaneat ſtudium & induſtria.* Proponit etiam hoc dictum *Plato* in eo dialogo, qui inſcribitur *Laches*: Εἰς τὸν ἔπειτα βίον προμηθέστερον ἀνάγκη εἶναι τὸν ταῦτα μὴ φεύγοντα, ἀλλ' ἐθέλοντα κατὰ τὸς Σόλωνος, καὶ ἀξιοῦντα μανθάνειν, ἕωσπερ ἂν ζῇ, καὶ μὴ οἰόμενον αὐτῷ τὸ γῆρας νοῦν ἔχον προσιέναι. Quibus verbis hujus *Solonis* propoſiti rationem reddit: nempe ideo ſemper eſſe diſcendum, ſtudendumque, quandiu vivimus, quia Senectus mentem ſecum non affert hominibus, ſed potius aufert. Quo & illud Poëtæ, pertinet:

Omnia fert ætas, animum quoque.

Statim quippe memoriam, maxime neceſſarium diſcentibus bonum labefactat, atque ita oblivionem inducit, adverſus quam ſtudio & induſtria pugnandum eſt. Ceterum

C idem

idem *Plato* lib. 7. Πολιτειῶν, hoc dictum *Solonis* improbat, quo multa ſeneſcentem ſe addiſcere autumat: neque minus abſurdum id judicat, ac ſi quis opinetur aliquem, qui bene poterat currere in ætate florenti, eandem retinere in ſenectute velocitatem pedum, & non minus aptum eſſe ad curſum. Quam facultatem una cum aliis corporis dotibus minui, ævo atteri ac languere palam eſt. Atque minus adhuc idoneum eſſe ſenem putandum eſt ad multa animo per diſciplinam conſequenda. Labore enim improbo opus eſt ei, qui multa addiſcere velit. Itaque nominatim Solonem ibi ob hanc opinionem perſtringit, his ſcilicet verbis: Σόλωνι γὰρ ἐ πειςέον, ὡς γηράσκων τις πολλὰ δυνατὸς μανθάνειν, ἀλλ᾽ ἧττον ἢ τρέχειν· νέων δὲ πάντες οἱ μεγάλοι καὶ οἱ πολλοὶ πόνοι. i. *Neque enim audiendus Solon, quod quis ſeneſcens multa valeat diſcere; immo minus hoc, quam multum currere. Juvenum autem ſunt magni omnes & multi labores.*

CAPUT XI.

Vetus proverbium ex verbis Ariſtotelis *erutum.*

Ota eſt omnibus præfatio *Ariſtotelis* in *primo Moralium ad Nicomachum* cap. 9. nempe haud proclivem ſibi, aut lætam eſſe diſputationem contra ideas, quas viri amici defendant: & tamen hanc eſſe ſuſcipiendam veritatis cauſſa: Αμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾷν τὴν ἀλήθειαν. *Cum enim ambo amici ſunt: ſanctius tamen eſt veritatem præferre.* His verbis ajo ſubeſſe alluſionem ad vetus adagium, quod exſtat apud *Athenæum* lib. 5. cap. 107. Ibi neſcio quis de Athenione Philoſopho Peripatetico, illo qui tyrannidem Athenis uſurpavit, dicturus quædam parum illi honorifica,

ca,

ca, ſed vera; coram philoſophis, qui in eo convivio diſcumbebant, hos ſenarios præmittit vice præfationis,

Εἰ μὲν φράσω τἀληθές, οὐχί σ' εὐφρανῶ·
Εἰ δ' εὐφρανῶ τί σ', οὐχὶ τἀληθὲς φράσω.

Hoc eſt, *Si quidem dixero verum, non te delectabo: ſi vero quid te delectavero, veritatem non dicam.* tum ſubdit: ἀλλὰ φίλη, φασὶν, ἡ ἀλήθεια. *Sed amica, ajunt, veritas.* Unde liquet fuiſſe in veterum adagiis, iſtud quoque celebratum, φίλη ἀλήθεια: *amica veritas.* patet etiam, quam eleganter & venuſte *Ariſtoteles* ad ipſum alluſerit citatis verbis, ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν &c. cum ambo, inquit, amica mihi ſint: *Plato* amicus; amica, juxta proverbium, veritas; ſanctius tamen eſt præferre amicis veritatem.

CAPUT XII.

Quid ſignificet verbum προενδημεῖν, *& a quo primum uſurpatum.*

GAlenus libro 4. de *Dogmatis Hippocratis & Platonis*, primum eo verbo uſum Poſidonium, larum e porticu philoſophum teſtatur, cum gnificare vellet, decere prudentem virum, ita ſemper animo eſſe comparatum, ut, quod ille ait apud Comicum, nihil humani a ſe alienum putet, ſignificat enim id verbum, quæcunque adverſa accidere poſſunt, cogitatione præcipere; ea meditari aſſidue, atque ita cogitandi conſuetudine ſibi familiaria reddere. Nam ἐνδημεῖν idem valet ac præſentem alicubi eſſe. Προενδημεῖν longe ante converſari atque intereſſe. Plane id quod Æneas apud *Maronem* in ſexto magni operis,

Omnia præcepi atque animo mecum ante peregi.

 Quod

Quo & pervulgatum illud Anaxagoræ in morte filii ſpectaſſe ait ibidem *Galenus*: ᾔδειν θνητὸν γεννήσας *Sciebam ne genuiſſe mortalem.* Verba *Galeni* quibus Poſidonium hujus verbi auctorem laudat, hæc ſunt: Βούλεται δὲ τὸ προενδημεῖν ῥῆμα τῷ Ποσειδωνίῳ, τὸ πρᾶγμα παρ' ἑαυτῷ τὸ μέλλον γενήσεσθαι, καὶ ὡς πρὸς ἤδη γενόμενον, ἐθισμόν τινα ποιεῖσθαι κατὰ βραχύ. *ſignificat verbum* προενδημεῖν *Poſidonio, idem; quod præfigurare apud ſe aliquid quod futurum eſt, vel certe in tempore futuro evenire poteſt: tum huic rei tanquam jam eſſet facta, paulatim aſſueſcere.*

CAPUT XIII.

De fragilitatis humanæ conſideratione. Parum hanc prodeſſe corruptæ mentis hominibus, variis auctorum antiquorum locis oſtenditur.

ANimum reprimere, & vitam præſervare a vitiis & pravis voluptatibus conſideratione mortis, paucorum hominum eſt, & mentis bene ſanæ: Qui enim bonam mentem ejurarunt, & in vitæ hujus commodis ſummum bonum conſtituunt, hos non modo hæc cogitatio non emendat, ſed etiam corrumpit, & præcipitat. Quamobrem nihil ad iſtos hæc *Siracidæ* verba attinent: *In cunctis operibus tuis memorare noviſſima tua & non peccabis.* immo, ut dixi, nihil ſic eorum cupiditatem excitat, atque hæc contemplatio. Continuo enim, ut in *libro ſapientiæ* ſcriptum eſt, dicunt *cogitantes apud ſe non recte: exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ:* & quæ ibi ſequuntur. Quibus ſimilia prope habet *Plutarchus* ex ejus farinæ hominum ſententia, in lib. περὶ παίδων ἀγωγῆς, ita ſcribens: Στιγμὴ

χρόνε

χρόνε πᾶς ὁ βίος ἐστί (λεγοντες) ζῆν καὶ οὐ παραζῆν προσήκει. τί δὲ φροντιστέον ἡμῖν τῶν τοῦ πατρὸς ἀπειλῶν; χρονόληρος καὶ σοροδαίμων ἐστί. καὶ μετέωρον αὐτὸν ἀράμενοι, τὴν ταχίστην ἐξοισόμεθα. *Punctum temporis eſt omnis vita, inquiunt; vivere oportet, non male vivere. Quid autem tantopere nobis eſt curandum de patris minis? ætatis vitio inſanit; neque aliud eſt jam niſi ſepulcralis larva & infelix ſimulacrum. Mox enim hunc ſublatum domo quam citiſſime efferemus.* Porro inumera in hanc ſententiam occurrunt apud Ethnicos auctores loca, præſertim poëtas. Quibus conſulto prætermiſſis, quod ea omnibus in promptu eſſe arbitror, duo proponam, non adeo, ut quidem puto, vulgata neque exculcata; unum Thucydidis, alterum Platonis. *Thucydides* in luis deſcriptione, quæ Peloponneſiaci belli tempore, late orbem pervagata, tandem Athenis incubit; quid tum homines in ſumma ſalutis deſperatione cogitarent, his verbis exprimit: Πρῶτόν τε ἦρξε, καὶ ἐς τἆλλα τῇ πόλει ἐπιπλέον ἀνομίας τὸ νόσημα. ῥᾷον ἐτόλμα τις ἃ πρότερον ἀπεκρύπτετο μὴ καθ᾽ ἡδονὴν ποιεῖν, ἀγχίστροφον τὴν μεταβολὴν ὁρῶντες, τῶν εὐδαιμόνων καὶ αἰφνιδίως θνησκόντων, καὶ τῶν οὐδὲν πρότερον κεκτημένων, εὐθὺς δὲ τἀκείνων ἐχόντων· ὥστε ταχείας τὰς ἐπαυρέσεις, καὶ πρὸς τὸ τερπνὸν ἠξίουν ποιεῖσθαι, ἐφήμερα τάτε σώματα καὶ τὰ χρήματα ὁμοίως ἡγούμενοι. i. *Principiumque attulit civitati hic morbus ad alia majoris improbitatis mala. Promptior enim quiſque erat ad audendum ea, quæ prius diſſimulabat ſe pro libidine patrare: & videntes tantam in promptu mutationem, divites quidem repente morientes, qui autem ante inopes erant, eorum bona repente habentes, operæ pretium putabant, frui quam primum & cum voluptate præſentibus bonis, diariam arbitrantes & vitam & pecuniam.*

Alter locus eſt apud *Platonem in Phædone ſive de animæ immortalitate.* Ubi Crito Socratem die inclinante, paratum mori, & venenum poſcentem, paulum adhuc expectet, neve tantum properet, his verbis admonet: Ἀλλ᾽

 οἶμαι

οἶμαι, ἔφη, ἐγώγε, ὦ Σώκρατες, ἔτι ἥλιον εἶναι ἐν τοῖς ὄρεσι καὶ οὔπω δεδυκέναι. Καὶ ἅμα ἐγὼ οἶδα καὶ ἄλλους πάνυ ὀψὲ πίνοντας εὖ μάλα· καὶ συγγενομένους γ' ἐνίους ὧν ἂν τύχωσιν ἐπιθυμοῦντες. ἀλλὰ μηδὲν ἐπείγου, ἔτι γὰρ ἐγχωρεῖ. *At reor, equidem*, inquit, *O Socrates*, *nondum Solem reliquiſſe montes*, *nec occidiſſe. Et novi alios*, *poſtquam id ſibi nuntiatum eſt*, *valde ſero bibere illud* (*venenum*) *conſueviſſe*, *idque largiter cænatos*, *interdum vero etiam illorum potitos*, *quorum amore afficiebantur. Quamobrem ne adeo feſtines: adhuc enim ſupereſt tempus.* Apparet autem ex his, pleroſque veterum illorum nullum bonum, neque malum extra hanc vitam agnoviſſe. Et expreſſe *Ariſtoteles* notat lib. 3. *Moral*. cap. 9. ubi mortem dicit omium rerum maxime eſse terribilem: Πέρας γὰρ (inquit) καὶ οὐδὲν ἔτι τῷ τεθνεῶτι δοκεῖ, οὔτε ἀγαθὸν, οὔτε κακὸν εἶναι. Unde etiam mos iis natalem diem epulis, atque omni lætitiæ apparatu celebrandi, qui ſcilicet vivendi initium attuliſset, ac fruendi bonis hujus vitæ. Ex nimio autem mortis metu, quod alium ab iſto rerum ſtatum ignorarent; aut ambitioni ſerviebant, & famam ad poſteros propagare ſtudebant, genus immortalitatis exiſtimantes ſemper in memoria hominum vivere; aut voluptatibus indulgebant. *Manducemus: cras enim moriemur*, ut *Apoſtolus* ex eorum ſententia refert ad Corinthios ſcribens. Ad quem morem reſpiciens *Plutarchus* in lib. πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημάτων ἀκούειν, Achillis temperantiam laudibus vehit, quod morte illi inſtante poſt Patrocli obitum, ac Briſeide reverſa non properat voluptatibus frui: Ἀλλὰ κἀνταῦθα δεῖ παραθεωρεῖν τὴν τοῦ Ἀχιλλέως ἐγκράτειαν ἐπὶ τῆς Βρισηΐδος ἐρῶν, ἡκούσης πρὸς αὐτὸν, εἰδὼς τὴν τοῦ βίου τελευτὴν ἐγγὺς οὖσαν, οὐ σπεύδει τῶν ἡδονῶν πρὸς ἀπόλαυσιν. Secus & quibus Deus meliorem mentem dedit, ſancti homines; His namque ultimus vitæ dies potior, quam natalis. Quippe hic ad ærumnas, & peccata homines mittit: ille in æternam felicitatem introducit. *Pereat* (inquit Jobus)

dies

dies illa in qua natus ſum, & nox illa in qua dictum eſt, ecce maſculus. Ad quem locum Origenes ad hunc modum diſſerit: *Hæc audientes nos, o viri, non gaudeamus de terrena nativitate, ſed timeamus a pluribus mundi hujus tentationibus, ſed paveamus a terribili introitu in illud incorruptibile ſeculum, ubi erit revelatio, & inquiſitio. Animadvertamus, o homines, quæ immutatio facta ſit hominibus. Nam priores diem nativitatis celebrabant, unam vitam diligentes, & aliam poſt hanc non ſperantes. Nunc vero nos non nativitatis diem celebramus, cum ſit dolorum & tentationum introitus, ſed mortis diem celebramus, utpote omnium dolorum depoſitionem, atque omnium tentationum effugationem.* Hæc non admodum exquiſitis verbis Latine expreſſa, ſed qualibus a neſcio quo interprete converſa, nobis autem olim notata, ſubjungere viſum eſt.

CAPUT XIV.

Mendum ſublatum e codice Plutarchi. *Quid ſint* ἠχεῖα, *& quis eorum uſus eſſet in theatris veterum.* Victorius & Turnebus *defenſi ab iniqua* Hofmanni *cenſura.*

PLutarchus in libro qui inſcriptus eſt: περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔτι ἔμμετρα τὴν Πυθίαν. hoc eſt; *quod Pythia deſierit oracula verſibus reddere.* quorundam de iis Delphicæ vatis metris opinionem refert his verbis: Πολλῶν δὲ ἦν ἀκοῦσαι, ὅτι ποιητικοί τινες ἄνδρες ἐκδεχόμενοι τὰς φωνὰς, καὶ ὑπολαμβάνοντες, ἔτι κάθηνται περὶ τὸ χρηστήριον, ἔπη καὶ ῥυθμοὺς οἷον ἀγγεῖα τοῖς χρησμοῖς ἐκ τοῦ προτυχόντος περιπλέκοντες. *Multos vero audires qui dicerent, quoſdam poëticæ artis haud ignaros viros apud oraculum ſedere, qui voces exciperent, iiſ-*

id Neptuno & humoris potentiæ dicavere: geminumque fuit Divo Auguſto, quo die apud Actium vicit. Supra autem eodem in capite, diſputans de corde ex eadem diſciplina: *Non ſemper autem* (inquit) *in parte extorum habitum eſt. L. Poſthumio Albino Rege Sacrorum poſt vigeſimam centenſimam tertiam Olympiadem, cum rex Pyrrhus ex Italia diſceſſiſſet, cor in extis Aruſpices inſpicere cœperunt. Cæſari Dictatori quo die primum veſte purpurea proceſſit, atque in ſella aurea ſedit, ſacrificanti bis in extis defuit. Unde quæſtio magna de divinatione argumentantibus, potueritne ſine illo viſcere hoſtia vivere, an ad tempus amiſerit.*

Multa quoque ad ejuſdem diſciplinæ obſervationes pertinentia exſtant apud *M. Tullium*, in libris de *Divinatione*; ut libro primo cum ait: *Similiter quid fiſſum in extis, quid fibra valeat, accipio: quæ cauſa ſit, neſcio.* Videtur autem *fiſſum* fuiſſe linea quædam & limes, qui fibras in extis, in jecore ſcilicet, bipartito dividebat, atque dirimebat. In libro autem ejuſdem tractationis ſecundo de iiſdem aruſpicibus: *Fiſſum*, inquit, *omni parte diligentiſſime conſiderant: ſi vero id non eſt inventum, nihil putant accidere potuiſſe triſtius.* Nimirum duplex erat *fiſſum*: unum familiare in jecore, alterum vitale in aliis extis, ut pulmone, de quo Lucanus.

—— *parvuſque ſecat vitalia limes.*

Item *fiſſum*, unum erat noſtrum, alterum hoſtium. Erat & duplex in jecore *caput*; unum noſtrum, alterum hoſtium. Hæc cum in extis victimarum Aruſpices diſtinguerent, & alios docerent, nimirum his neceſse erat ea aſservare in longum tempus, ut diſcentibus monumenta artis & documenta eſsent. Quo pacto apud nos profeſsores anatomici larvales oſſium humanorum compages ſiccatas domi cuſtodiunt. Et memini me olim apud dominum *de Sartes* doctorem medicum Pariſienſem, amicum meum, videre jecur humanum cum vaſis omnibus, quæ ad

ad ipſum pertingunt, exſiccatum axi applicatum, atque ita explicatum, ut ibi artificioſa imitatione expreſſum potius ſimulacrum, quam naturæ opus videretur. Hujuſmodi extiſpicum exempla eo loco *Plinii* intelligenda ſunt, per quæ apparet cognoſci potuiſſe, quot annos jecur animalis mortui, durare poſſet, cum, ut veriſimile eſt, tempus quo id extractum fuiſſet, in iis capſis, tabuliſve notarent, quo multitudo & longinquitas obſervationum pateret. Nec vero victimarum exta tantum cuſtodiebant diſciplinæ gratia, ſed & avium in auguriis obſervabilium picturas ſtudioſe aſſervabant eodem *Plinio* auctore lib. 10. cap. 15. quod inſcriptum eſt, *De avibus incognitis. Sunt* (inquit) *praterea complura genera depicta in Hetruſca diſciplina, ſed ulli non viſa, qua nunc defeciſſe mirum eſt.* Qui locus ſuperiorem noſtram de extis conjecturam aliquo modo confirmat.

CAPUT VIII.

Ejuſdem auctoris *locus, ex eodem capite, vindicatur ab iniqua* Cæſaris Scaligeri *cenſura.*

PRimum *Scaligeri* verba proferam ex *commentariis* ejus in lib. 1. de *hiſtor. Animalium* cap. 9. partic. 130. *Plinius quoque lingulam hanc, minorem (epiglottidem) vocat linguam ſed multis obſepſit erroribus primus. Duabus ait interpoſitam fiſtulis ad operam geminam. Una eſt quia arteriam operiat, cum cibus demittitur: altera quod gulam occludat, cum ſpiritus commeat. Secundus error cum arteriam vocat epigloſſida. Tertius ubi ait arteriam eſſe interiorem, gulam exteriorem. contrarium enim verum eſt.* Hæc *Scaliger*. Videamus num quæ

via

ro apud Græcos auctores; nomen hoc, metallum inquam, pro quacumque utili herba uſurpatum videri poteſt; ut apud *Plutarchum in convivio Septem Sapientum*, ubi quendam ſic loquentem inducit: Θαυμάζω δέ σου τὸν ξένον, ὦ Σόλων, εἰ Δηλίοις ἔναγχος ποιησάμενος τὸν μέγαν καθαρμὸν, οὐχ ἱςόρησε παρ᾽ αὐτοῖς εἰς τὸ ἱερὸν κομιζόμενα τῆς πρώτης ὑπομνήματα τροφῆς, καὶ δείγματα μετάλλων εὐτελῶν καὶ αὐτοφυῶν, μαλάχην καὶ ἀνθέρικον. *Ego vero, o Solon, admiror hoſpitem tuum ſi cum nuper Deliis magnam expiationem perfecerit, apud eos monumenta primi mortalium victus non vidit, cum in templum importarentur, ac vilium & ſponte naſcentium ſpecimina metallorum, malvam & aſphodelum.* Ubi expreſſe μέταλλον de terra naſcentibus uſurpatum liquet. At enim vero *Guyetus* emendat hunc locum, & pro μετάλλων, dictionem dividens, μετ᾽ ἄλλων legit. Eſto. quid *Galeno* faciemus, qui comment. 2. in librum *Hippocratis de Natura Humana*, non obſcure id ipſum inſinuat? καὶ μάλιςα ἂν ἔμπειρος τῆς ἱςορουμένης ὕλης εἶεν, ὥσπερ Εὔδημος μθὺ καὶ Ἡρόφιλος ἀνατομῆς. Κρατεύας δὲ καὶ Διοσκορίδης τῶν μεταλλικῶν φαρμάκων. Qui ſi locus *Galeni* integer eſt, metallicorum etiam appellatione non modo, quæ proprie *metallica* & *foſſilia* dicuntur, ſed etiam ſtirpium, quarum eſt in medicina uſus, naturas comprehendi fatendum erit. Nam Crateuæ quidem herbis veſtigandis ac radicibus ſecandis induſtriam olim laudatam conſtat: *Dioſcorides* autem licet univerſam materiam medicam tractare aggreſſus, nullam ejus partem intactam reliquit, neque proinde metallica omiſit, hanc tamen partem, quæ plantarum genera & vires exponit, latius & diligentius exſecutus videtur. Sed vereor, ut ſatis integer ſit is Galeni locus: & profecto quædam videntur deeſſe, quibus amiſſis, quod erat in contextu ultimum, manſit. Hoc ſi recipimus, vel ſtandum erit ei expoſitioni, quam dat *Hofmannus*: aut dicemus metallum ibi a *Plinio* ſumptum eſſe pro vectigali & reditu,

quod

quod publici multarum civitatum reditus e metallis caperentur: ut olim apud Athenienſes, teſte *Ariſtophane in Veſpis* in hac enumeratione,

> Πρυτανεῖα μέταλλ' ἀγορὰς, λιμένας, μισθὲς, καὶ δημιόπρατα.
> Τούτων πλήρωμα, τάλαντ' ἐγγὺς δισχίλια γίνεται ἡμῖν.

CAPUT. X.

Solonis *verſus quo ſe ajebat ſemper aliquid addiſcentem ſeneſcere, & quid de ſenili ſtudio* Plato *ſenſerit.*

INter alia commendata in *Solonis elegis*, hic verſus in primis fertur,

> Α'ιεὶ γηράσκω πολλὰ διδασκόμενος.

Quo ſignificabat ſeneſcere ſe multa in dies addiſcentem: ita enim *Cicero* in Dialogo *de Senectute* hunc verſiculum interpretatur. cenſetque plane juxta hanc ſententiam, *manere ingenia ſenibus, modo permaneat ſtudium & induſtria.* Proponit etiam hoc dictum *Plato* in eo dialogo, qui inſcribitur *Laches*: Εἰς τὸν ἔπειτα βίον προμηθέστερον ἀνάγκη εἶναι τὸν ταῦτα μὴ φεύγοντα, ἀλλ' ἐθέλοντα κατὰ τὸ τοῦ Σόλωνος, καὶ ἀξιοῦντα μανθάνειν, ἕωσπερ ἂν ζῇ, καὶ μὴ οἰόμενον αὐτῷ τὸ γῆρας νοῦν ἔχον προσιέναι. Quibus verbis hujus *Solonis* propoſiti rationem reddit: nempe ideo ſemper eſſe diſcendum, ſtudendumque, quandiu vivimus, quia Senectus mentem ſecum non affert hominibus, ſed potius aufert. Quo & illud Poëtæ, pertinet:

> *Omnia fert ætas, animum quoque.*

Statim quippe memoriam, maxime neceſſarium diſcentibus bonum labefactat, atque ita oblivionem inducit, adverſus quam ſtudio & induſtria pugnandum eſt. Ceterum

idem *Plato* lib. 7. Πολιτειῶν, hoc dictum *Solonis* improbat, quo multa ſeneſcentem ſe addiſcere autumat: neque minus abſurdum id judicat, ac ſi quis opinetur aliquem, qui bene poterat currere in ætate florenti, eandem retinere in ſenectute velocitatem pedum, & non minus aptum eſſe ad curſum. Quam facultatem una cum aliis corporis dotibus minui, ævo atteri ac languere palam eſt. Atque minus adhuc idoneum eſſe ſenem putandum eſt ad multa animo per diſciplinam conſequenda. Labore enim improbo opus eſt ei, qui multa addiſcere velit. Itaque nominatim Solonem ibi ob hanc opinionem perſtringit, his ſcilicet verbis: Σόλωνι γὰρ ȣ̓ πειςέον, ὡς γηράσκων τις πολλὰ δυνατὸς μανθάνειν, ἀλλ᾽ ἧττον ἢ τρέχειν· νέων δὲ πάντες οἱ μεγάλοι καὶ οἱ πολλοὶ πόνοι. i. *Neque enim audiendus Solon, quod quis ſeneſcens multa valeat diſcere; immo minus hoc, quam multum currere. Juvenum autem ſunt magni omnes & multi labores.*

CAPUT XI.

Vetus proverbium ex verbis Ariſtotelis *erutum.*

NOta eſt omnibus præfatio *Ariſtotelis* in *primo Moralium ad Nicomachum* cap. 9. nempe haud proclivem ſibi, aut lætam eſſe diſputationem contra ideas, quas viri amici defendant: & tamen hanc eſſe ſuſcipiendam veritatis cauſſa: Αʹμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾷν τὴν ἀλήθειαν. *Cum enim ambo amici ſunt: ſanctius tamen eſt veritatem præferre.* His verbis ajo ſubeſſe alluſionem ad vetus adagium, quod exſtat apud *Athenæum* lib. 5. cap. 107. Ibi neſcio quis de Athenione Philoſopho Peripatetico, illo qui tyrannidem Athenis uſurpavit, dicturus quædam parum illi honorifica,

ce, ſed vera; coram philoſophis, qui in eo convivio diſcumbebant, hos ſenarios præmittit vice præfationis,

Εἰ μὲν φράσω τἀληθὲς, οὐχί σ' εὐφρανῶ·
εἰ δ' εὐφρανῶ τί σ', οὐχὶ τἀληθὲς φράσω.

Hoc eſt, *Si quidem dixero verum, non te delectabo: ſi vero quid te delectavero, veritatem non dicam.* tum ſubdit: ἀλλὰ φίλη, φασὶν, ἡ ἀλήθεια. *Sed amica, ajunt, veritas.* Unde liquet fuiſſe in veterum adagiis, iſtud quoque celebratum, φίλη ἀλήθεια: *amica veritas.* patet etiam, quam eleganter & venuſte *Ariſtoteles* ad ipſum alluſerit citatis verbis, ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν &c. cum ambo, inquit, amica mihi ſint: *Plato* amicus; amica, juxta proverbium, veritas; ſanctius tamen eſt præferre amicis veritatem.

CAPUT XII.

Quid ſignificet verbum προενδημεῖν, *& a quo primum uſurpatum.*

GAlenus libro 4. de *Dogmatis Hippocratis & Platonis*, primum eo verbo uſum Poſidonium, larum e porticu philoſophum teſtatur, cum gnificare vellet, decere prudentem virum; ita ſemper animo eſſe comparatum, ut, quod ille ait apud Comicum, nihil humani a ſe alienum putet, ſignificat enim id verbum, quæcunque adverſa accidere poſſunt, cogitatione præcipere; ea meditari aſſidue, atque ita cogitandi conſuetudine ſibi familiaria reddere. Nam ἐνδημεῖν idem valet ac præſentem alicubi eſſe. Προενδημεῖν longe ante converſari atque intereſſe. Plane id quod Æneas apud *Maronem* in ſexto *magni operis*,

Omnia præcepi atque animo mecum ante peregi.

Quo & pervulgatum illud Anaxagoræ in morte filii ſpectaſſe ait ibidem *Galenus*: ᾔδειν θνητὸν γεννήσας *Sciebam ne genuiſſe mortalem.* Verba *Galeni* quibus Poſidonium hujus verbi auctorem laudat, hæc ſunt: Βούλεται δὲ τὸ προενδημεῖν ῥῆμα τῷ Ποσειδωνίῳ, τὸ πρᾶγμα παῤ ἑαυτῷ τὸ μέλλον γενήσεσθαι, καὶ ὡς πρὸς ἤδη γενόμενον, ἐθισμόν τινα ποιεῖσθαι κατὰ βραχύ. *ſignificat verbum* προενδημεῖν *Poſidonio, idem; quod præfigurare apud ſe aliquid quod futurum eſt, vel certe in tempore futuro evenire poteſt: tum huic rei tanquam jam eſſet facta, paulatim aſſueſcere.*

CAPUT XIII.

De fragilitatis humanæ conſideratione. Parum hanc prodeſſe corruptæ mentis hominibus, variis auctorum antiquorum locis oſtenditur.

ANimum reprimere, & vitam præſervare a vitiis & pravis voluptatibus conſideratione mortis, paucorum hominum eſt, & mentis bene ſanæ: Qui enim bonam mentem ejurarunt, & in vitæ hujus commodis ſummum bonum conſtituunt, hos non modo hæc cogitatio non emendat, ſed etiam corrumpit, & præcipitat. Quamobrem nihil ad iſtos hæc *Siracidæ* verba attinent: *In cunctis operibus tuis memorare noviſſima tua & non peccabis.* immo, ut dixi, nihil ſic eorum cupiditatem excitat, atque hæc contemplatio. Continuo enim, ut in *libro ſapientiæ* ſcriptum eſt, dicunt *cogitantes apud ſe non recte: exiguum & cum tadio eſt tempus vitæ noſtræ:* & quæ ibi ſequuntur. Quibus ſimilia prope habet *Plutarchus* ex ejus farinæ hominum ſententia, in lib. περὶ παίδων ἀγωγῆς, ita ſcribens: Στιγμὴ

χρόνε

χρόνου πᾶς ὁ βίος ἐστὶ (λεγοντες) ζῆν καὶ οὐ παραζῆν προσήκει. τί δὲ φροντιστέον ἡμῖν τῶν τοῦ πατρὸς ἀπειλῶν; χρονόληρος καὶ σοροδαίμων ἐστί. καὶ μετέωρον αὐτὸν ἀράμενοι, τὴν ταχίστην ἐξοισόμεθα. *Punctum temporis eſt omnis vita, inquiunt; vivere oportet, non male vivere. Quid autem tantopere nobis eſt curandum de patris minis? ætatis vitio inſanit; neque aliud eſt jam niſi ſepulcralis larva & infelix ſimulacrum. Mox enim hunc ſublatum domo quam citiſſime efferemus.* Porro inumera in hanc ſententiam occurrunt apud Ethnicos auctores loca, præſertim poëtas. Quibus conſulto prætermiſſis, quod ea omnibus in promptu eſſe arbitror, duo proponam, non adeo, ut quidem puto, vulgata neque exculcata; unum Thucydidis, alterum Platonis. *Thucydides* in ſuis deſcriptione, quæ Peloponneſiaci belli tempore, late orbem pervagata, tandem Athenis incubit; quid tum homines in ſumma ſalutis deſperatione cogitarent, his verbis exprimit: Πρῶτόν τε ἦρξε, καὶ ἐς τἆλλα τῇ πόλει ἐπιπλέον ἀνομίας τὸ νόσημα. ῥᾷον ἐτόλμα τις ἃ πρότερον ἀπεκρύπτετο μὴ καθ᾽ ἡδονὴν ποιεῖν, ἀγχίστροφον τὴν μεταβολὴν ὁρῶντες, τῶν εὐδαιμόνων καὶ αἰφνιδίως θνησκόντων, καὶ τῶν οὐδὲν πρότερον κεκτημένων, εὐθὺς δὲ τἀκείνων ἐχόντων· ὥστε ταχείας τὰς ἐπαυρέσεις, καὶ πρὸς τὸ τερπνὸν ἠξίουν ποιεῖσθαι, ἐφήμερα τά τε σώματα καὶ τὰ χρήματα ὁμοίως ἡγούμενοι. i. *Principiumque attulit civitati hic morbus ad alia majoris improbitatis mala. Promptior enim quiſque erat ad audendum ea, quæ prius diſſimulabat ſe pro libidine patrare: & videntes tantam in promptu mutationem, divites quidem repente morientes, qui autem ante inopes erant, eorum bona repente habentes, operæ pretium putabant, frui quam primum & cum voluptate præſentibus bonis, diariam arbitrantes & vitam & pecuniam.*

Alter locus eſt apud *Platonem in Phædone* ſive *de animæ immortalitate.* Ubi Crito Socratem die inclinante, paratum mori, & venenum poſcentem, paulum adhuc expectet, neve tantum properet, his verbis admonet: Ἀλλ᾽

ἔτι ἥλιον εἶναι ἐν τοῖς ὄρεσι
ἐιναι, ἔφη, ἐγώγε, ὦ Σώκρατες, καὶ οὔπω δεδυκέναι. Καὶ ἅμα ἐγὼ οἶδα καὶ ἄλλους πάνυ ὀψὲ
πίνοντας εὖ μάλα· καὶ συγγενομένους γ' ἐνίους ὧν ἂν τύχωσιν
ἐπιθυμοῦντες. ἀλλὰ μηδὲν ἐπείγου, ἔτι γὰρ ἐγχωρεῖ. *At reor,*
equidem, inquit, *O Socrates*, *nondum Solem reliquiſſe mon-*
tes, *nec occidiſſe. Et novi alios*, *poſtquam id ſibi nuntiatum eſt*,
valde ſero bibere illud (*venenum*) *conſueviſſe*, *idque largiter*
cœnatos, *interdum vero etiam illorum potitos*, *quorum amore*
afficiebantur. Quamobrem ne adeo feſtines: adhuc enim ſuper-
eſt tempus. Apparet autem ex his, pleroſque veterum il-
lorum nullum bonum, neque malum extra hanc vitam ag-
noviſſe. Et expreſſe *Ariſtoteles* notat lib. 3. *Moral.* cap. 9.
ubi mortem dicit omium rerum maxime eſse terribilem:
Πέρας γὰρ (inquit) καὶ οὐδὲν ἔτι τῷ τεθνεῶτι δοκεῖ, οὔτε ἀ-
γαθὸν, οὔτε κακὸν εἶναι. Unde etiam mos iis natalem diem
epulis, atque omni lætitiæ apparatu celebrandi, quiſci-
licet vivendi initium attuliſset, ac fruendi bonis hujus vi-
tæ. Ex nimio autem mortis metu, quod alium ab iſto re-
rum ſtatum ignorarent; aut ambitioni ſerviebant, & fa-
mam ad poſteros propagare ſtudebant, genus immortalita-
tis exiſtimantes ſemper in memoria hominum vivere; aut
voluptatibus indulgebant. *Manducemus: cras enim morie-*
mur, ut *Apoſtolus* ex eorum ſententia refert ad Corinthios
ſcribens. Ad quem morem reſpiciens *Plutarchus* in lib. πῶς
δεῖ τὸν νέον ποιημάτων ἀκούειν, Achillis temperantiam lau-
dibus vehit, quod morte illi inſtante poſt Patrocli obi-
tum, ac Briſeide reverſa non properat voluptatibus frui:
Ἀλλὰ κἀνταῦθα δεῖ παραθεωρεῖν τὴν τοῦ Ἀχιλλέως ἐγκράτειαν
ἐρῶν, ἡκούσης πρὸς αὐτὸν, εἰδὼς τὴν τοῦ βίου τε-
λευτὴν ἐγγὺς οὖσαν, οὐ σπεύδει τῶν ἡδονῶν πρὸς ἀπόλαυσιν. Secus
& quibus Deus meliorem mentem dedit, ſancti homines;
His namque ultimus vitæ dies potior, quam natalis.
ippe hic ad ærumnas, & peccata homines mittit: ille
æternam felicitatem introducit. *Pereat* (inquit *Jobus*)
dies

dies illa in qua natus ſum, & nox illa in qua dictum eſt, ecce maſculus. Ad quem locum *Origenes* ad hunc modum diſſerit: *Hæc audientes nos, o viri, non gaudeamus de terrena nativitate, ſed timeamus a pluribus mundi hujus tentationibus, ſed paveamus a terribili introitu in illud incorruptibile ſeculum, ubi erit revelatio, & inquiſitio. Animadvertamus, o homines, quæ immutatio facta ſit hominibus. Nam priores diem nativitatis celebrabant, unam vitam diligentes, & aliam poſt hanc non ſperantes. Nunc vero nos non nativitatis diem celebramus, cum ſit dolorum & tentationum introitus, ſed mortis diem celebramus, utpote omnium dolorum depoſitionem, atque omnium tentationum effugationem.* Hæc non admodum exquiſitis verbis Latine expreſſa, ſed qualibus a neſcio quo interprete converſa, nobis autem olim notata, ſubjungere viſum eſt.

CAPUT XIV.

Mendum ſublatum e codice Plutarchi. *Quid ſint* ἠχεῖα, *& quis eorum uſus eſſet int heatris veterum.* Victorius & Turnebus *defenſi ab iniqua* Hofmanni *cenſura.*

PLutarchus in libro qui inſcriptus eſt: περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔτι ἔμμετρα τὴν Πυθίαν. hoc eſt; *quod Pythia deſierit oracula verſibus reddere.* quorundam de iis Delphicæ vatis metris opinionem refert his verbis: Πολλῶν δὲ ἦν ἀκούειν, ὅτι ποιητικοί τινες ἄνδρες ἐκδεχόμενοι τὰς φωνὰς, καὶ ὑπολαμβάνοντες, ἔτι κάθηνται περὶ τὸ χρηστήριον, ἔπη καὶ ῥυθμοὺς οἷον ἀγγεῖα τοῖς χρησμοῖς ἐκ τοῦ προστυχόντος περιπλέκοντες. *Multos vero audires qui dicerent, quoſdam poëticæ artis haud ignaros viros apud oraculum ſedere, qui voces exciperent, iisque*

id Neptuno & humoris potentiæ dicavere: geminumque fuit Divo Auguſto, quo die apud Actium vicit. Supra autem eodem in capite, diſputans de corde ex eadem diſciplina: *Non ſemper autem* (inquit) *in parte extorum habitum eſt. L. Poſthumio Albino Rege Sacrorum poſt vigeſimam centenſimam tertiam Olympiadem, cum rex Pyrrhus ex Italia diſceſſiſſet, cor in extis Aruſpices inſpicere cœperunt. Cæſari Dictatori quo die primum veſte purpurea proceſſit, atque in ſella aurea ſedit, ſacrificanti bis in extis defuit. Unde quæſtio magna de divinatione argumentantibus, potueritne ſine illo viſcere hoſtia vivere, an ad tempus amiſerit.*

Multa quoque ad ejuſdem diſciplinæ obſervationes pertinentia exſtant apud *M. Tullium*, in libris de *Divinatione*; ut libro primo cum ait: *Similiter quid fiſſum in extis, quid fibra valeat, accipio: quæ cauſa ſit, neſcio.* Videtur autem *fiſſum* fuiſſe linea quædam & limes, qui fibras in extis, in jecore ſcilicet, bipartito dividebat, atque dirimebat. In libro autem ejuſdem tractationis ſecundo de iiſdem aruſpicibus: *Fiſſum,* inquit, *omni parte diligentiſſime conſiderant: ſi vero id non eſt inventum, nihil putant accidere potuiſſe triſtius.* Nimirum duplex erat *fiſſum:* unum familiare in jecore, alterum vitale in aliis extis, ut pulmone, de quo Lucanus.

—— *parvuſque ſecat vitalia limes.*

Item *fiſſum*, unum erat noſtrum, alterum hoſtium. Erat & duplex in jecore *caput*; unum noſtrum, alterum hoſtium. Hæc cum in extis victimarum Aruſpices diſtinguerent, & alios docerent, nimirum his neceſse erat ea aſservare in longum tempus, ut diſcentibus monumenta artis & documenta eſsent. Quo pacto apud nos profeſsores anatomici larvales oſſium humanorum compages ſiccatas domi cuſtodiunt. Et memini me olim apud dominum *de Sartes* doctorem medicum Pariſienſem, amicum meum, videre jecur humanum cum vaſis omnibus, quæ

ad ipſum pertingunt, exſiccatum axi applicatum, atque ita explicatum, ut ibi artificioſa imitatione expreſſum potius ſimulacrum, quam naturæ opus videretur. Hujuſmodi extiſpicum exempla eo loco *Plinii* intelligenda ſunt, per quæ apparet cognoſci potuiſſe, quot annos jecur animalis mortui, durare poſſet, cum, ut veriſimile eſt, tempus quo id extractum fuiſſet, in iis capſis, tabuliſve notarent, quo multitudo & longinquitas obſervationum pateret. Nec vero victimarum exta tantum cuſtodiebant diſciplinæ gratia, ſed & avium in auguriis obſervabilium picturas ſtudioſe aſſervabant eodem *Plinio* auctore lib. 10. cap. 15. quod inſcriptum eſt, *De avibus incognitis. Sunt* (inquit) *præterea complura genera depicta in Hetruſca diſciplina, ſed ulli non viſa, quæ nunc defeciſſe mirum eſt.* Qui locus ſuperiorem noſtram de extis conjecturam aliquo modo confirmat.

CAPUT VIII.

Ejuſdem auctoris *locus, ex eodem capite, vindicatur ab iniqua* Cæſaris Scaligeri *cenſura.*

PRimum *Scaligeri* verba proferam ex *commentariis* ejus in lib. 1. de *hiſtor. Animalium* cap. 9. partic. 130. *Plinius quoque lingulam hanc, minorem (epiglottidem) vocat linguam ſed multis obſepſit erroribus primus: Duabus ait interpoſitam fiſtulis ad operam geminam. Una eſt quia arteriam operiat, cum cibus demittitur: altera quod gulam occludat, cum ſpiritus commeat. Secundus error cum arteriam vocat epigloſſida. Tertius ubi ait arteriam eſſe interiorem, gulam exteriorem. contrarium enim verum eſt.* Hæc *Scaliger.* Videamus num quæ

via

via ad *Plinii* defenſionem, vel certe excuſationem pateat. Primum igitur hunc errorem (nam & ipſe agnoſco) nego eſſe *Plinio* imputandum, cujus culpa omnis penes *Eraſiſtratum*, a quo hoc ſumpſit *Plinius.* Quemadmodum ex verbis *Plutarchi* intelligi poteſt qui in ſeptimo *Sympoſ.* quæſtione prima, ſententiam *Eraſiſtrati* de natura & uſu epiglottidis, hunc in modum expreſſit: Ἡ δὲ μέταυλος αὐτὴ (ἐπιγλωττὶς) κλίσιν ἐπ' ἀμφότερα λαμβάνουσα, φθεγγομένων μὲν ἐπιπίπτει τῷ στομάχῳ, σιτουμένων δὲ καὶ πινόντων τῇ ἀρτηρίᾳ, καθαρὸν τῷ πνεύματι τὸν δρόμον φυλάττουσα, καὶ τὴν ἀναπνοήν. i. *At vero epiglottis januæ inſtar intergerinæ, in utramque partem inclinari ſe ſinens, loquentibus nobis Stomacho incidit, edentibus autem & bibentibus, arteriæ, liberum ſpiritui curſum reſpirationemque ſervans.* Quamobrem non modo venia dignum judico *Plinium*, quod cum tanto Medico erravit, cujus auſpiciis tunc Romæ, Medicorum ſecta florebat, ſed etiam laude, quod nobis vetuſtiſſimi & celeberrimi auctoris de ea corporis humani particula opinionem ignotam eſſe noluit. *Secundum* inquit, *error, cum arteriam vocat epigloſſida.* Hoc vero temere *Scaliger*, ne quid gravius dicam: quando nuſquam is apud *Plinium* error comparet. Hæc ſunt ejus verba: *Tonſillæ in homine, in ſue glandulæ. Quod inter eas uvæ nomine ultimo dependet palato, homini tantum eſt. Sub ea minor lingua, epigloſſis appellata, nulli ova generantium.* Ubi quæſo error iſte eſt, quem *Scaliger* notat? ſane non video. Niſi forte quia uvulæ etiam ſubeſt arteria, hoc nomen non ſolum ad operculum, ſed etiam ad arteriam pertinere putavit. Plane aliud agebat *Scaliger* cum hæc ſcriberet.

Quod ad tertium & poſtremum errorem attinet, quod ſcilicet *Plinius* arteriam interiorem dicat, gulam exteriorem, potuiſſet veriſimilius, meo quidem judicio, is error imputari librario, quam *Plinio.* Et quotusquisque non ſæpius inter librariorum σφάλματα, nominum id

genus

genus trajectiones notavit? Nimis profecto hic præceps in ſummi auctoris reprehenſionem *Scaliger*: ut & iſto ejuſdem libri & capitis loco: *Inter eam* (veſicam) *& alvum, arteriæ ad pubem tendentes, quæ Ilia appellantur.* Ibi & *Plinium* caſtigat, ceu *ilia* arterias eſſe putaverit, ego codicem *ilia* pro *iliaca*, una ſyllaba extrita. Hoc quoque *Scaligero* viſum animadverſione dignum quod ait, epigloſſide operiri arteriam in epulando. *Sane* (inquit Scaliger) *in omni deglutitione etiam Salivæ.* Quaſi ex eo uſu, quem epigloſſis inter epulandum præbet, & hic in Salivæ deglutitione, non facile intelligatur; eadem quippe ratio.

CAPUT IX.

An herba Metallum *dici poſſit?* Plinii *locus notatur, & explicatur.*

PLinius de ſaliunca herba tradens lib. 21. cap. 7. his verbis utitur: *Pannonia hanc gignit & Norici Alpiumque aprica: Urbium Eporrhedia, tantæ ſuavitatis, ut metallum eſſe cœperit.* Admiratur *Hofmannus* non incelebris e Germania Medicus & ſcriptis clarus, *Variarum Lectionum* cap. 3. quomodo herba *metallum* dici poſſit: propoſitiſque vulgatis metalli acceptionibus, nulla reperta, quæ ad rem faciat, ad τὸ ἔτυμον confugit. *Nam μέταλλον*, inquit *ἀπὸ τοῦ μεταλλᾶν, quod eſt quærere. Quare in propria ſignificatione metallum dicetur, quodcunque ſtudioſe quæritur ob uſum aliquem in vita humana.* Ita hunc *Plinii* locum interpretatur, ceu vellit Saliuncam ob ſuavitatem odoris cœpiſſe diligenter inquiri. Et hoc quidem ſatis probabiliter vir ille eruditus. cæterum ſemota hac contemplatione grammatica, non raro

ro apud Græcos auctores; nomen hoc, metallum inquam, pro quacumque utili herba uſurpatum videri poteſt; ut apud *Plutarchum in convivio Septem Sapientum*, ubi quendam ſic loquentem inducit: Θαυμάζω δέ σου τὸν ξένον, ὦ Σόλων, εἰ Δηλίοις ἔναγχος ποιησάμενος τὸν μέγαν καθαρμὸν, οὐχ ἱστόρησε παρ' αὐτοῖς εἰς τὸ ἱερὸν κομιζόμενα τῆς πρώτης ὑπομνήματα τροφῆς, καὶ δείγματα μετάλλων εὐτελῶν καὶ αὐτοφυῶν, μαλάχην καὶ ἀνθέρικον. *Ego vero, o Solon, admiror hoſpitem tuum ſi cum nuper Deliis magnam expiationem perfecerit, apud eos monumenta primi mortalium victus non vidit, cum in templum importarentur, ac vilium & ſponte naſcentium ſpecimina metallorum, malvam & aſphodelum.* Ubi expreſſe μέταλλον de terra naſcentibus uſurpatum liquet. At enim vero *Guyetus* emendat hunc locum, & pro μετάλλων, dictionem dividens, μετ' ἄλλων legit. Eſto. quid *Galeno* faciemus, qui comment. 2. in librum *Hippocratis de Natura Humana*, non obſcure id ipſum inſinuat? καὶ μάλιστα ἂν ἔμπειρος τῆς ἱστορουμένης ὕλης εἶεν, ὥσπερ Εὔδημος μὲν καὶ Ἡρόφιλος ἀνατομῆς. Κρατεύας δὲ καὶ Διοσκορίδης τῶν μεταλλικῶν φαρμάκων. Qui ſi locus *Galeni* integer eſt, metallicorum etiam appellatione non modo, quæ proprie *metallica* & *foſſilia* dicuntur, ſed etiam ſtirpium, quarum eſt in medicina uſus, naturas comprehendi fatendum erit. Nam Crateuæ quidem herbis veſtigandis ac radicibus ſecandis induſtriam olim laudatam conſtat: *Dioſcorides* autem licet univerſam materiam medicam tractare aggreſſus, nullam ejus partem intactam reliquit, neque proinde metallica omiſit, hanc tamen partem, quæ plantarum genera & vires exponit, latius & diligentius exſecutus videtur. Sed vereor, ut ſatis integer ſit is Galeni locus: & profecto quædam videntur deeſſe, quibus amiſſis, quod erat in contextu ultimum, manſit. Hoc ſi recipimus, vel ſtandum erit ei expoſitioni, quam dat *Hofmannus*: aut dicemus metallum ibi a *Plinio* ſumptum eſſe pro vectigali & reditu,

quod

quod publici multarum civitatum reditus e metallis caperentur: ut olim apud Athenienſes, teſte *Ariſtophane in Veſpis* in hac enumeratione,

Πρυτανεῖα μέταλλ' ἀγορὰς, λιμένας, μισθὲς, καὶ δημιόπρατα.
Τούτων πλήρωμα, τάλαντ' ἐγγὺς διχίλια γίνεται ἡμῖν.

CAPUT. X.

Solonis *verſus quo ſe ajebat ſemper aliquid addiſcentem ſeneſcere, & quid de ſenili ſtudio* Plato *ſenſerit.*

INter alia commendata in *Solonis elegis*, hic verſus in primis fertur,

Αἴει γηράσκω πολλὰ διδασκόμενος.

Quo ſignificabat ſeneſcere ſe multa in dies addiſcentem: ita enim *Cicero* in Dialogo *de Senectute* hunc verſiculum interpretatur. cenſetque plane juxta hanc ſententiam, *manere ingenia ſenibus, modo permaneat ſtudium & induſtria.* Proponit etiam hoc dictum *Plato* in eo dialogo, qui inſcribitur *Laches*: Εἰς τὸν ἔπειτα βίον προμηθέστερον ἀνάγκη εἶναι τὸν ταῦτα μὴ φεύγοντα, ἀλλ' ἐθέλοντα κατὰ τὸν Σόλωνος, καὶ ἀξιοῦντα μανθάνειν, ἕωσπερ ἂν ζῇ, καὶ μὴ οἰόμενον αὐτῷ τὸ γῆρας νοῦν ἔχον προσιέναι. Quibus verbis hujus *Solonis* propoſiti rationem reddit: nempe ideo ſemper eſſe diſcendum, ſtudendumque, quandiu vivimus, quia Senectus mentem ſecum non affert homibus, ſed potius aufert. Quo & illud Poëtæ, pertinet:

Omnia fert ætas, animum quoque.

Statim quippe memoriam, maxime neceſſarium diſcentibus bonum labefactat, atque ita oblivionem inducit, adverſus quam ſtudio & induſtria pugnandum eſt. Ceterum

idem *Plato* lib. 7. Πολιτειῶν, hoc dictum *Solonis* improbat, quo multa ſeneſcentem ſe addiſcere autumat: neque minus abſurdum id judicat, ac ſi quis opinetur aliquem, qui bene poterat currere in ætate florenti, eandem retinere in ſenectute velocitatem pedum, & non minus aptum eſſe ad curſum. Quam facultatem una cum aliis corporis dotibus minui, ævo atteri ac languere palam eſt. Atque minus adhuc idoneum eſſe ſenem putandum eſt ad multa animo per diſciplinam conſequenda. Labore enim improbo opus eſt ei, qui multa addiſcere velit. Itaque nominatim Solonem ibi ob hanc opinionem perſtringit, his ſcilicet verbis: Σόλωνι γὰρ ὐ πειςέον, ὡς γηράσκων τις πολλὰ δυνατὸς μανθάνειν, ἀλλ᾽ ἧττον ἢ τρέχειν· νέων δὲ πάντες οἱ μεγάλοι καὶ οἱ πολλοὶ πόνοι. i. *Neque enim audiendus Solon, quod quis ſeneſcens multa valeat diſcere; immo minus hoc, quam multum currere. Juvenum autem ſunt magni omnes & multi labores.*

CAPUT XI.

Vetus proverbium ex verbis Ariſtotelis *erutum.*

NOta eſt omnibus præfatio *Ariſtotelis* in *primo Moralium ad Nicomachum* cap. 9. nempe haud proclivem ſibi, aut lætam eſſe diſputationem contra ideas, quas viri amici defendant: & tamen hanc eſſe ſuſcipiendam veritatis cauſſa: Ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. *Cum enim ambo amici ſunt: ſanctius tamen eſt veritatem præferre.* His verbis ajo ſubeſſe alluſionem ad vetus adagium, quod exſtat apud *Athenæum* lib. 5. cap. 107. Ibi neſcio quis de Athenione Philoſopho Peripatetico, illo qui tyrannidem Athenis uſurpavit, dicturus quædam parum illi honorifica,

ce, ſed vera; coram philoſophis, qui in eo convivio diſcumbebant, hos ſenarios præmittit vice præfationis,

Εἰ μὲν φράσω τἀληθὲς, οὐχί σ' εὐφρανῶ·
Εἰ δ' εὐφρανῶ τί σ', οὐχὶ τἀληθὲς φράσω.

Hoc eſt, *Si quidem dixero verum, non te delectabo: ſi vero quid te delectavero, veritatem non dicam.* tum ſubdit: ἀλλὰ φίλη, φασὶν, ἡ ἀλήθεια. *Sed amica, ajunt, veritas.* Unde liquet fuiſſe in veterum adagiis, iſtud quoque celebratum, φίλη ἀλήθεια: *amica veritas.* patet etiam, quam eleganter & venuſte *Ariſtoteles* ad ipſum alluſerit citatis verbis, ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν &c. cum ambo, inquit, amica mihi ſint: *Plato* amicus; amica, juxta proverbium, veritas; ſanctius tamen eſt præferre amicis veritatem.

CAPUT XII.

Quid ſignificet verbum προενδημεῖν, *& a quo primum uſurpatum.*

GAlenus libro 4. de *Dogmatis Hippocratis & Platonis*, primum eo verbo uſum Poſidonium, illarum e porticu philoſophum teſtatur, cum ſignificare vellet, decere prudentem virum, ita ſemper animo eſſe comparatum, ut, quod ille ait apud Comicum, nihil humani a ſe alienum putet, ſignificat enim id verbum, quæcunque adverſa accidere poſſunt, cogitatione præcipere; ea meditari aſſidue, atque ita cogitandi conſuetudine ſibi familiaria reddere. Nam ἐνδημεῖν idem valet ac præſentem alicubi eſſe. Προενδημεῖν longe ante converſari atque intereſſe. Plane id quod Æneas apud *Maronem* in ſexto magni operis,

Omnia præcepi atque animo mecum ante peregi.

Quo & pervulgatum illud Anaxagoræ in morte filii ſpectaſſe ait ibidem *Galenus*: ᾔδειν θνητὸν γεννήσας *Sciebam ne genuiſſe mortalem.* Verba *Galeni* quibus Poſidonium hujus verbi auctorem laudat, hæc ſunt: Βούλεται δὲ τὸ προενδημεῖν ῥῆμα τῷ Ποσειδωνίῳ, τὸ πρᾶγμα παρ' ἑαυτῷ τὸ μέλλον γενήσεσθαι, καὶ ὡς πρὸς ἤδη γενόμενον, ἐθισμόν τινα ποιεῖσθαι κατὰ βραχύ. *ſignificat verbum* προενδημεῖν *Poſidonio, idem, quod præfigurare apud ſe aliquid quod futurum eſt, vel certe in tempore futuro evenire poteſt: tum huic rei tanquam jam eſſet facta, paulatim aſſueſcere.*

CAPUT XIII.

De fragilitatis humanæ conſideratione. Parum hanc prodeſſe corruptæ mentis hominibus, variis auctorum antiquorum locis oſtenditur.

ANimum reprimere, & vitam præſervare a vitiis & pravis voluptatibus conſideratione mortis, paucorum hominum eſt, & mentis bene ſanæ: Qui enim bonam mentem ejurararunt, & in vitæ hujus commodis ſummum bonum conſtituunt, hos non modo hæc cogitatio non emendat, ſed etiam corrumpit, & præcipitat. Quamobrem nihil ad iſtos hæc *Siracidæ* verba attinent: *In cunctis operibus tuis memorare noviſſima tua & non peccabis.* immo, ut dixi, nihil ſic eorum cupiditatem excitat, atque hæc contemplatio. Continuo enim, ut in *libro ſapientiæ* ſcriptum eſt, dicunt *cogitantes apud ſe non recte: exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ*: & quæ ibi ſequuntur. Quibus ſimilia prope habet *Plutarchus* ex ejus farinæ hominum ſententia, in lib. περὶ παίδων ἀγωγῆς, ita ſcribens: Στιγμὴ

χρόνε

χρόνος πᾶς ὁ βίος ἐστί (λέγοντες) ζῆν καὶ οὐ παραζῆν προσήκει. τί δὲ φροντιστέον ἡμῖν τῶν τοῦ πατρὸς ἀπειλῶν; χρονόληρος καὶ σοροδαίμων ἐστί. καὶ μετέωρον αὐτὸν ἀράμενοι, τὴν ταχίστην ἐξοισόμενοι. *Punctum temporis eſt omnis vita, inquiunt; vivere oportet, non male vivere. Quid autem tantopere nobis eſt curandum de patris minis? ætatis vitio inſanit; neque aliud eſt jam niſi ſepulcralis larva & infelix ſimulacrum. Mox enim hunc ſublatum domo quam citiſſime efferemus.* Porro inumera in hanc ſententiam occurrunt apud Ethnicos auctores loca, præſertim poëtas. Quibus conſulto prætermiſſis, quod ea omnibus in promptu eſſe arbitror, duo proponam, non adeo, ut quidem puto, vulgata neque exculcata; unum Thucydidis, alterum Platonis. *Thucydides* in luis deſcriptione, quæ Peloponneſiaci belli tempore, late orbem pervagata, tandem Athenis incubit; quid tum homines in ſumma ſalutis deſperatione cogitarent, his verbis exprimit: Πρῶτόν τε ἦρξε, καὶ ἐς τἆλλα τῇ πόλει ἐπιπλέον ἀνομίας τὸ νόσημα. ῥᾷον ἐτόλμα τις ἃ πρότερον ἀπεκρύπτετο μὴ καθ' ἡδονὴν ποιεῖν, ἀγχίστροφον τὴν μεταβολὴν ὁρῶντες, τῶν εὐδαιμόνων καὶ αἰφνιδίως θνησκόντων, καὶ τῶν οὐδὲν πρότερον κεκτημένων, εὐθὺς δὲ τἀκείνων ἐχόντων· ὥστε ταχείας τὰς ἐπαυρέσεις, καὶ πρὸς τὸ τερπνὸν ἠξίουν ποιεῖσθαι, ἐφήμερα τά τε σώματα καὶ τὰ χρήματα ὁμοίως ἡγούμενοι. i. *Principiumque attulit civitati hic morbus ad alia majoris improbitatis mala. Promptior enim quiſque erat ad audendum ea, quæ prius diſſimulabat ſe pro libidine patrare: & videntes tantam in promptu mutationem, divites quidem repente morientes, qui autem ante inopes erant, eorum bona repente habentes, operæ pretium putabant, frui quam primum & cum voluptate præſentibus bonis, diariam arbitrantes & vitam & pecuniam.*

Alter locus eſt apud *Platonem in Phædone ſive de animæ immortalitate.* Ubi Crito Socratem die inclinante, paratum mori, & venenum poſcentem, paulum adhuc expectet, neve tantum properet, his verbis admonet: Ἀλλ' οἶμαι

οἶμαι, ἔφη, ἐγώγε, ὦ Σώκρατες, ἔτι ἥλιον εἶναι ἐν τοῖς ὄρεσι καὶ οὔπω δεδυκέναι. Καὶ ἅμα ἐγὼ οἶδα καὶ ἄλλους πάνυ ὀψὲ πίνοντας εὖ μάλα· καὶ συγγενομένους γ' ἐνίους ὧν ἂν τύχωσιν τῶν ἐπιθυμοῦντες. ἀλλὰ μηδὲν ἐπείγου, ἔτι γάρ ἐγχωρεῖ. *At reor, equidem*, inquit, *O Socrates, nondum Solem reliquiſſe montes, nec occidiſſe. Et novi alios, poſtquam id ſibi nuntiatum eſt, valde ſero bibere illud (venenum) conſueviſſe, idque largiter cœnatos, interdum vero etiam illorum potitos, quorum amore aſſuiebantur. Quamobrem ne adeo feſtines: adhuc enim ſupereſt tempus.* Apparet autem ex his, pleroſque veterum illorum nullum bonum, neque malum extra hanc vitam agnoviſſe. Et expreſſe *Ariſtoteles* notat lib. 3. *Moral.* cap. 9. ubi mortem dicit omium rerum maxime eſse terribilem: Πέρας γὰρ (inquit) καὶ οὐδὲν ἔτι τῷ τεθνεῶτι δοκεῖ, οὔτε ἀγαθὸν, οὔτε κακὸν εἶναι. Unde etiam mos iis natalem diem epulis, atque omni lætitiæ apparatu celebrandi, qui ſcilicet vivendi initium attuliſset, ac fruendi bonis hujus vitæ. Ex nimio autem mortis metu, quod alium ab iſto rerum ſtatum ignorarent; aut ambitioni ſerviebant, & famam ad poſteros propagare ſtudebant, genus immortalitatis exiſtimantes ſemper in memoria hominum vivere; aut voluptatibus indulgebant. *Manducemus: cras enim moriemur*, ut *Apoſtolus* ex eorum ſententia refert ad Corinthios ſcribens. Ad quem morem reſpiciens *Plutarchus* in lib. πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημάτων ἀκούειν, Achillis temperantiam laudibus vehit, quod morte illi inſtante poſt Patrocli obitum, ac Briſeide reverſa non properat voluptatibus frui: Ἀλλὰ κἀνταῦθα δεῖ παραθεωρεῖν τὴν τοῦ Ἀχιλλέως ἐγκράτειαν ἐπὶ τῆς Βρισηΐδος ἐρῶν, ἡκούσης πρὸς αὐτὸν, εἰδὼς τὴν τοῦ βίου τελευτὴν ἐγγὺς οὖσαν, οὐ σπεύδει τῶν ἡδονῶν πρὸς ἀπόλαυσιν. Secus & quibus Deus meliorem mentem dedit, ſancti homines; His namque ultimus vitæ dies potior, quam natalis. Quippe hic ad ærumnas, & peccata homines mittit: ille in æternam felicitatem introducit. *Pereat* (inquit Jobus) *dies*

dies illa in qua natus ſum, & nox illa in qua dictum eſt, ecce maſculus. Ad quem locum *Origenes* ad hunc modum diſſerit: *Hæc audientes nos, o viri, non gaudeamus de terrena nativitate, ſed timeamus a pluribus mundi hujus tentationibus, ſed paveamus a terribili introitu in illud incorruptibile ſeculum, ubi erit revelatio, & inquiſitio. Animadvertamus, o homines, quæ immutatio facta ſit hominibus. Nam priores diem nativitatis celebrabant, unam vitam diligentes, & aliam poſt hanc non ſperantes. Nunc vero nos non nativitatis diem celebramus, cum ſit dolorum & tentationum introitus, ſed mortis diem celebramus, utpote omnium dolorum depoſitionem, atque omnium tentationum effugationem.* Hæc non admodum exquiſitis verbis Latine expreſſa, ſed qualibus a neſcio quo interprete converſa, nobis autem olim notata, ſubjungere viſum eſt.

CAPUT XIV.

Mendum ſublatum e codice Plutarchi. *Quid ſint* ἠχεῖα, *& quis eorum uſus eſſet in theatris veterum.* Victorius & Turnebus *defenſi ab iniqua* Hofmanni *cenſura.*

PLutarchus in libro qui inſcriptus eſt: περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔτι ἔμμετρα τὴν Πυθίαν. hoc eſt; *quod Pythia deſierit oracula verſibus reddere.* quorundam de iis Delphicæ vatis metris opinionem refert his verbis: Πολλῶν. δὲ ἦν ἀκούειν, ὅτι ποιητικοί τινες ἄνδρες ἐκδεχόμενοι τὰς φωνὰς, καὶ ὑπολαμβάνοντες, ἔτι κάθηνται περὶ τὸ χρηστήριον, ἔπη καὶ ῥυθμοὺς οἷον ἀγγεῖα τοῖς χρησμοῖς ἐκ τοῦ προτυχόντος περιπλέκοντες. *Multos vero audires qui dicerent, quoſdam poëticæ artis haud ignaros viros apud oraculum ſedere, qui voces exciperent, iiſque*

que ſtatim verſus, & numeros ceu vaſa quadam circumplicarent. Quid ſit *vaſa circumplicare oraculis*, quove hæc tam inſolens locutio ſpectet, numeros poëticos vaſis comparantis, non intelligo: nec credere queo hoc *Plutarchum* dixiſſe. Quamobrem mendum ſubeſſe oportet: puto autem in voce ἀγγεῖα. apage tam frigidum ſchema; indignum tanto ſcriptore: lego igitur ἠχεῖα. Alluſio eſt ad vaſa ænea, quæ in theatris ad augendam & modulandam actorum vocem diſponi in occulto ſolebant. *Vitruvius* lib. 1. cap. 1. *Item in theatris vaſa ærea, quæ in cellis ſub gradibus mathematica ratione collocantur, & ſonituum diſcrimina quæ Græci ἠχεῖα vocant, ad ſymphonias muſicas, ſive concentus componuntur diviſa in circinatione diateſſaron & diapente & diapaſon, uti vox ſcenici ſonitus conveniens in depoſitionibus tactu cum offenderit, aucta cum incremento, clarior & ſuavior ad ſpectatorum perveniat aures.* Hæc ibi *Vitruvius* de iſtis vaſis ſonoris, & ſimilia poſtea, libro & capite quinto. Ex quibus patet, quam venuſte *Plutarchus* numeros Poëticos, & metra comparet cum vaſis illis theatrorum; utpote quæ & ipſa modulationis gratiam vocibus Pythiæ adjungerent.

Ad eandem pertinet conſiderationem, expendere, quæ *Caſpar Hofmannus* ſupra laudatus *Variarum Lectionum* lib. 1. cap. 19. de iiſdem inſtrumentis adverſus P. *Victorium* & *Adrianum Turnebum* diſputat. Primum autem *Victorii* verba in medium producam ex libro 20. *Variarum* ejus *Lectionum* cap. 7. *Vaſa igitur quædam ærea, in eorum cellis collocabant ſumma cum ratione, quæ hoc ipſum præſtarent (ut hiſtrionum voces ad aures ſpectatorum auctiores clarioreſq; accederent) illa autem inde ἠχεῖα vocabant: oſtendit enim nomen hoc ipſum eorum munus: unde etiam, quam Latini imaginem pracise dixerunt, iidem ἠχὼ appellabant.* Hofmannus autem quo dixi loco, ita diſſerit: *Victorius ad procurandam ἠχὼ quandam (niſus ut puto, vocabuli etymo) inſtituta fuiſſe docet.* Addit hoc male ipſum *Victorium* dixiſſe. Quare? quia, inquit, ἠχεῖα

ad

ad ſonituum diſcrimina, componi ſolita Vitruvius citato loco expreſſe docet. Quaſi vero, non ad utrumque uſum valuerint vaſa illa, nempe & ſonorum diſtinctionem & augmentum ſcenicæ vocis. De hoc quidem, vocis, inquam, incremento diſerte *Vitruvius* haud obſcuris verbis teſtatur lib. & capite quinto. *Ita hac ratiocinatione vox ab ſcena, uti ab centro profuſa ſe circumagens, tactuque feriens ſingulorum vaſorum cava, excitaverit auctam claritatem, & concentu convenientem ſibi conſonantiam.* Philander in commentario ad hunc locum: *Vitruvius* (inquit) *in graduum præcinctionibus, quas diximus eſſe tres (ſi quidem magna ſunt theatra) totidem cellarum regiones conſtituit, ubi collocentur vaſa inverſa, quorum percuſſione ad ſpectatorum aures vox vegetior, clariorque atque ſuavior perveniret.* Immo præcipuum hunc fuiſſe eorum vaſorum uſum puto, augere hiſtrionum vocem, ut longius ferri ac ad univerſæ ſpectatorum multitudinis aures pervenire poſſet. Illud plane abſurdum, nec philoſophi, quod negat echo facere ad vocem augendam; cum ſit contra experientiam; ſed & contra rationem. nam quomodo lumen & refractione & reflexione intenditur: Sic vox reſultantia e cavis locis & politæ ſuperficiei. Sed & *Ariſtoteles* diſerte id confirmat ſect. X I. *quæſtionum naturalium* problem. 8. Διά τί, inquit, ἐάν τις πίθον καὶ κεράμια κενὰ κατορύξῃ, καὶ πωμάσῃ, μᾶλλον ἠχεῖ τὰ οἰκήματα. i. *Quam ob cauſam ſi quis dolium & lagenas, & cætera id genus figulina inania obruat, operiatque, domicilia reſonare amplius poſſint.* Accedit *Cicero* lib. 2. de *Natura Deorum*, ubi de aurium conformatione: *Sed duros & corneolos habent introitus (aures) multiſque cum flexibus, quod his naturis relatus amplificatur ſonus.*

Non minus infelix cenſor *Hofmannus* in *Turnebum.* Hunc reprehendit, quod ad memorata vaſa ſcenica, hos verſus e poëmate *Ætna*, pertinere putet:

Carmineque irriguo magni cortina theatri

Imparibus numeroſa modis canit arte regentis.

Tota, inquit, *ſimilitudo eſt de Tritone, quomodo ille perſonet in mari*: propter hos verſus, qui præcedunt,

Nam veluti reſonante diu Tritone canoro
Pellit opes collectus aquæ, victuſque movere
Spiritus & longas emugit buccina voces,
Carmineque irriguo &c.

Hæc, inquam, omnia ad eandem pertinere παραβολὴν, ac ſimilitudine a Tritone deſumptam cenſet. Quorſum igitur ibi theatri mentio & cortinæ? quidve ſibi impares modi illi volunt? quanquam non placet mihi *Turnebi* interpretatio, ad ἠχεῖα ſcenica hos verſus referentis, malim cum *Scaligero* ad organa hydraulica transferre, quorum fuit in theatris uſus. quod ſane poſtulant verba hæc,

Imparibus numeroſa modis canit arte regentis.

Fortaſſis & *Triton* eodem loco nihil aliud niſi hydraulicum organum. Sed de his hactenus.

CAPUT XV.

De ratione dignoſcendi hominum ingenia, Terentii *locus aliorum collatione illuſtratus.*

INgenium & natura cujuſque hominis ex iis certiſſime perſpici poteſt, quæ in ſecreto & inobſervatus facit, ut ſi quis alicui domi de improviſo ſuperveniat. Hunc igitur modum conjecturæ de hominum moribus capiendæ, ſcite Comicus in *Heaut.* act. 2. Scen. 3. his verſibus tradit:

Hinc ſciri potuit, haud uſquam alibi Clinia,
Quo ſtudio vitam, ſuam te abſente exegerit,
Ubi de improviſo eſt interventum mulieri.
Nam ea res dedit exiſtimandi copiam

Quo-

Quotidianæ vitæ conſuetudinem,
Quæ cujuſque ingenium ut ſit, declarat maxime.
Texentem telam ſtudioſe ipſam offendimus.

Huic porro ſimilem plane rationem venandi mores hominum videre eſt apud *Livium* libro I. ubi de Tarquinii in Lucretiam facinore, & valde fallor niſi ad eum locum reſpexit, quem conſtat aliorum exemplo multa ex proprio ingenio *hiſtoriæ ſuæ* ad voluptatem legentium, & eruditionis atque eloquentiæ oſtentationem præter rerum geſtarum fidem inſeruiſſe. *Incidit de uxoribus mentio: ſuam quiſque laudare miris modis: inde certamine accenſo, Collatinus negat verbis opus eſſe, paucis id quidem horis poſſe ſciri, quantum ceteris præſtet Lucretia ſua. Quin ſi vigor juventæ ineſt, conſcendimus equos, inviſimuſque præſentes noſtrarum ingenia: id cuique ſpectatiſſimum ſit, quod inopinato viri adventu occurrerit oculis.* Et apud eundem lib. 37. Africanus cum fratre agens de explorando Philippi Macedonum Regis animo: *Itaque*, inquit, *prius Regis animum explorari placet: opportune explorabitur, ſi nihil ex præparato agentem opprimet, qui mittetur.* Sic quoque dignoſci vere fortem virum, ab eo qui videtur, notat *Philoſophus* in tertio *Moral. ad Nicom.* cap. XI. Διὸ καὶ ἀνδρειοτέρου δοκεῖ εἶναι, τὸ ἐν τοῖς αἰφνιδίοις φόβοις ἄφοβον καὶ ἀτάραχον εἶναι, ἢ ἐν τοῖς προδήλοις. ἀπὸ ἕξεως γὰρ μᾶλλον, ἢ καὶ ὅτι ἧττον ἐκ παρασκευῆς. τὰ προφανῆ μὲν γὰρ. κἂν ἐκ λογισμοῦ καὶ λόγου τις προέλοιτο· τὰ δ' ἐξαίφνης κατὰ τὴν ἕξιν. i. *Ideo etiam fortioris videtur, in improviſis terroribus manere intrepidum atque imperturbatum, quam in apertis. Ex habitu enim id magis provenit, minuſque ex præparatione. Nam quæ providentur, facile aliquis ex conſideratione & conſilio eligat. quæ repente accidunt, non niſi ex habitu.* Sed & *Lucretius* in tertio, adverſus quoſdam qui ſe ſe jactant minime iis moveri, quæ de inferis poſt mortem traduntur, & ſe ſcire nullum mortuo ſupereſſe neque bonum neque malum (quam ipſe opinionem ut Epicureus de-

defendit) proinde nihil ſibi eſſe opus Epicuri philoſophia ad eos metus depellendos; contra hos, inquam, arguit ex iis quæ ipſi faciunt in adverſis rebus & gravibus ærumnis. nam nihilo ſecius vitam quocumque modo retinere volunt, & quidvis perpeti malunt, quam mori,

Omnibus ærumnis affecti denique vivunt:
Et quocumque tamen miſeri venere, parentant,
Et nigras mactant pecudes, quas manibu' divis
Inferias mittunt: multoque in rebus acerbis
Acrius advertunt animos ad relligionem.
Quo magis in dubiis homines ſpectare periclis
Convenit, adverſiſque in rebus noſcere qui ſint.
Nam veræ voces tum demum pectore ab ipſo
Eliciuntur & eripitur perſona, manet res.

CAPUT XVI.

Obſervatio quædam Ariſtotelis, *uſurpata* Galeno *ſuppreſſo auctoris nomine.*

GAlenus in libello, quem προτρεπτικὸν πρὸς τὰς τέχνας inſcripſit, eos increpans, qui forma & viribus corporis gloriantur, animi autem bona negligunt, Homerum ſemel tantum Nirei qui inter Græcos forma excelluit, mentionem feciſſe notat: Καὶ γὰρ ὁ Νιρεὺς κάλλιστος μὲν ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθεν, ἀλλ᾽ ἀλαπαδνὸς ἔην. καὶ διὰ τοῦθ᾽ ἅπαξ αὐτοῦ μόνον ἐμνημόνευσεν Ὅμηρος ἐν νέων Καταλόγῳ. i. *Etenim Nireus vir quidem pulcherrimus ad Ilium venit, verum ignavus erat, atque ideirco ſemel tantum Homerus ejus mentionem fecit.* Atqui *Ariſtoteles* multis ante ſeculis, quam *Galenus* natus eſſet, hoc animadverterat: ut videre eſt in tertio libro *Rhetor.*

Rhetor. cap. 12. Ubi eorum vim conſiderat, quæ Græci magiſtri ἀσύνδετα hoc eſt *diſſoluta* vocant, huncque in modum explicat: ἔτι ἔχει ἴδιόν τι τὰ ἀσύνδετα· ἐν ἴσῳ γὰρ χρόνῳ πολλὰ δοκεῖ εἰρῆσθαι· ὁ γὰρ σύνδεσμος ἓν ποιεῖ τὰ πολλά. ὥστε ἐὰν ἐξαιρεθῇ, δῆλον ὅτι τοὐναντίον ἔσται τὸ ἓν πολλά. ἔχει οὖν αὔξησιν, ἦλθον, διελέχθην, ἱκέτευσα πολλά. δοκεῖ δ' ὑπεριδεῖν, ὅσα εἶπον, ὅσα φημί. τοῦτο δὲ βούλεται ποιεῖν καὶ Ὅμηρος, ἐν τῷ,

Νιρεὺς δ' αὖ Σύμηθεν,
Νιρεὺς Ἀγλαΐης,
Νιρεὺς ὃς κάλλιστος.

Περὶ οὗ γὰρ πολλὰ εἴρηται, ἀνάγκη καὶ πολλάκις εἰρῆσθαι. εἰ οὖν καὶ πολλάκις, καὶ πολλὰ δοκεῖ. ὥστε ηὔξησεν ἅπαξ μνησθεὶς διὰ τὸν παραλογισμόν, καὶ μνήμην πεποίηκεν, οὐδαμοῦ ὕστερον αὐτοῦ λόγον ποιησάμενος. i. *Præterea proprium aliquid habent aſyndeta: in æquali enim tempore, multa videntur dicta eſſe. Nam conjunctio unum, quæ multa ſunt, facit. Quamobrem ſi auferatur, manifeſtum eſt fore id, quod unum eſt, multa e converſo. Habet igitur amplificationem; veni, narravi, ſupplicavi multum; videtur autem contemnere quæcumque dixi, quæcumque ajo. Sed & Homerus idem vult facere in illo:*

Nireus autem ex Syma:
Nireus Aglajæ filius:
Nireus, qui pulcherrimus:

De quo enim multa dicta ſunt, neceſſe eſt & ſæpe eum dictum eſſe. Si igitur & ſæpe, etiam multa videntur. Quare amplificavit, cum ſemel ejus meminerit, propter fallaciam, & mentionem fecit, etiamſi haud quaquam poſterius de ipſo ſermonem habuerit. Porro initium cujuſque verſus ponere ad rem demonſtrandam ſatis habuit *Ariſtoteles*; ſi quis autem integros deſiderat, *Homeri* librum 2. *Iliad.* legat in recenſione navalis Græcorum exercitus. Ceterum ex his Homerici carminis majeſtatem æſtimare licet, ut cujus ſe interpretem ipſe philoſophorum, atque, ut quod ſentio, dicam, Græciæ inge-

ingeniorum princeps tam propalam fateatur; neque apud eum rhapſodi munere fungi indignum putet.

CAPUT XVII.

Quiddam apud Platonem *animadverſum de miniſtranda* cicuta *damnatis apud* Athenienſes, *& de ejus herba vi. Locus* Plinii *emendatus.*

NIhil eſſe arbitror apud magnos auctores, quod non dignum animadverſione videri debeat: ſæpe enim eorum libros legentes, egregia præterimus, quæ reſpicere non dignamur & parvi momenti eſſe putamus. Hoc præſens animadverſio cujuſdam loci *Platonis* in *Phædone* ſive de Immortalitate animi manifeſtabit. Cum Socrates ſupremo vitæ die in carcere cum familiaribus intentius de animæ immortalitate diſputaret miniſter publicus ad Critonem unum ex illo cœtu, acceſſiſſe dicitur, eumque admonuiſſe, ne ſineret Socratem prolixius atque ſtudioſius verba facere. Quod hæc intentio venenum ſumpturis inutilis eſſet, utpote quæ ſuſcitato calore nativo vim medicamenti impediret, interdumque hac cauſa cogerentur quidam bis & ter haurire idem medicamentum. *Platonis* verba hæc ſunt: Σω. πρῶτον δὲ Κρίτωνα τόνδε σκεψώμεθα, τί ἐστιν ὃ βούλεσθαί μοι δοκεῖ πάλαι εἰπεῖν. Τί δὲ, ὦ Σώκρατες, ἔφη ὁ Κρίτων ἄλλο γε, ἢ πάλαι μοι λέγει ὁ μέλλων σοι δώσειν τὸ φάρμακον, ὅτι χρή σοι φράζειν, ὡς ἐλάχιστα διαλέγεσθαι. φησὶ γὰρ θερμαίνεσθαι μᾶλλον διαλεγομένους. δεῖν δὲ οὐδὲν τοιοῦτον προσφέρειν τῷ φαρμάκῳ. εἰ δὲ μὴ, ἐνίοτε ἀναγκάζεσθαι καὶ δὶς καὶ τρὶς πίνειν τοὺς τί τοιοῦτον ποιοῦντας. Cum igitur hunc locum legerem, inceſſit me dubitatio, quid ſibi iſte miniſter hujuſmodi moni-

tu

tu vellet; quid ſcilicet ejus intereſſet bis aut ter alicui venenum, an ſemel daretur. Non enim videbatur mihi ex miſericordiæ affectu in carnifice hæc admonitio proficiſci; ne ſcilicet mors laborioſior Socrati eſſet; tametſi ipſe Socrates bonum virum fuiſſe hunc hominem minimeque omnium inhumanum, ut genus id mortalium eſſe ſolet, teſtatur eo loco: Immo vero hunc Socratis vicem bona fide doluiſſe atque illacrymaſse idem *Plato* refert, non ſine gravi inſectatione judicum & populi, qui talem virum necare ſuſtinuiſsent, cujus morti ipſi carnifices lacrymas darent. Sed tamen aliquid ſubeſse huic interpellationi ſuſpicabar.

Ita incertus aliquandiu hæſi, donec incidi in quendam *Plutarchi* locum in *vita Phocionis*, ubi viri illius probi & fortis exitum narrat, hunc in modum: Πεπωκότων δὲ ἤδη πάντων τὸ φάρμακον, ἀπέλιπε. καὶ ὁ δημόσιος, οὐκ ἔφη τρίψειν ἕτερον, εἰ μὴ λάβοι δώδεκα δραχμὰς, ὅσου τὴν ὁλκὴν ὠνεῖται. χρόνου δὲ γενομένου καὶ διατριβῆς, ὁ Φωκίων καλέσας τινὰ τῶν φίλων, καὶ εἰπών· ἐπεὶ μηδὲ ἀποθανεῖν Ἀθήνησι δωρεὰν ἐστιν. ἐκέλευσε τῷ ἀνθρώπῳ δοῦναι τὸ κερμάτιον. i. *Cum vero omnes jam medicamentum bibiſſent, defecit. Et miniſter publicus, negavit triturum ſe aliud, niſi acciperet duodecim drachmas, quanti libra conſtaret. Cum autem mora fieret, vocavit Phocion quendam ex amicis, & cum dixiſſet; ne mori quidem gratis Athenis licere, viro illi præcepit hanc pecuniam dare.* Ex his intelligimus morem fuiſse Athenis, ut miniſter publicus cicutam propria pecunia emeret. Quod cum ita eſset, nolebat aliquem morti addictum, ita ſe comparare, ut pluribus cicutæ potionibus opus eſset ad mortem illi conſciſcendam. Quod tunc plus pecuniæ in cicutam cogeretur impendere. Patet etiam quorſum miniſtri illius admonitio memorata, iſque metus ſpectet in *Phædone*. Poſtremo diſcimus ex hoc quidem *Plutarchi* loco; non minus cicutæ libra opus fuiſse ad hominem necandum eumque ſenem: item

item ſatis caram Athenis fuiſse, cujus libra duodecim drachmis, hoc eſt monetæ Romanæ ſeſtertiis octo & quadraginta; noſtræ, ut quidam putant, coronato ſolari cum quinta inſuper parte conſtaret. De cicutæ quidem facultate, quod in genere venenorum non ſit vehemens, neque toto quod ajunt, genere venenum, cum ex locis allatis *Platonis* & *Plutarchi* liquet, tum ex hiſtoria anus Atticæ apud *Galenum* lib. 3. cap. 18. de *Simpl. Medicam. viribus*, quæ magnam admodum cicutæ quantitatem ſemel vorabat, cum ἀπ' ἐλαχίςȣ incipiens mandere, paulatim majorem ſubinde copiam ſumeret, hocque modo mandendi ſibi conſuetudinem feciſſet. Sed tamen cum plurimum poſtea impune conſumpſiſſe dicat; vel hinc intelligatur, non eſſe ejuſmodi ejus herbæ vim, quæ a calore noſtro ſuperari non poſſit. Nec tamen inficias iverim, ut in aliis quæ terra naſcuntur, ſic & in expendendis cicutæ viribus habendam eſſe locorum rationem, in quibus cicuta provenit, quando conſtat experientia non parum ejuſdem generis plantas variare per loca: neç ſolum plantas, ſed animalia atque homines ipſos. Hæ ſunt varietates ſecundum *Plinium* lib. 25. cap. 13. qui locus in excuſis codicibus mendoſus mihi videtur. adſcribam igitur, ut emendem ſi potero: *Maxima vis* (cicutæ) *nata Suſis Parthorum, mox Laconica, Cretica, Aſiatica. In Græcia vero Megarica, deinde Attica.* Suſpectus, inquam, mihi mendæ hic locus. Sic namque cicutarum patrias ordine deducit, tanquam Laconia in Græcia non eſſet, neque item Creta. vitium autem in trajectione verborum. Sic legendum cenſeo: *Maxima vis nata Suſis Parthorum, mox Aſiatica. In Græcia vero Laconica, Cretica, Megarica, deinde Attica.* Juxta quem ordinem, poſtremum virtutis Attica tenere locum, ideoque aliis memoratis imbecillior ad nocendum eſſe videtur.

Galenus citato loco haud aliter cicutam homini pernicioſam cenſet, atque ſuccum lactucæ, celeritate videli-

cet

cet diſtributionis, qua ſtatim ad vitalia penetrat, & in iis caloris nativi fontem extinguit. Nam ſi in via moretur; in alimentum cedere. Hoc pacto nihil ſturnos lædere, ſed ab iis concoqui, quod meatus corporis habeant ſtrictiores. Ita quidem *Galenus* hanc difficultatem expedit: quem ſequitur ὁ ἐν ἁγίοις, *Baſilius Magnus*, homil. 5. in *Hexaemeron*: Τὸ μὲν γὰρ κώνειον (inquit) οἱ ψᾶρες βόσκονται, διὰ τὴν κατασκευὴν τοῦ σώματος τὴν ἐκ τοῦ δηλητηρίου ἀποδιδράσκοντες. λεπτοὺς γὰρ ἔχοντες τοὺς ἀπὸ τῆς καρδίας πόρους φθάνουσιν ἐκπέψαι τὸ καταποθὲν πρὶν τὴν ἀπ' αὐτοῦ ψύξιν τῶν καιρίων καθάψασθαι. *Cicutam ſturni depaſcuntur, exitialiſque medicamenti noxam corporis conſtitutionis beneficio effugiunt. Nam meatus, qui a corde pertingunt, tenues habent, quo fit ut prius, quod hujus hauſerunt, concoquant, quam ejus refrigeratio ad vitalia pervenire potuit.* Sed de cicutæ natura & vi alias plura.

CAPUT XVIII.

Quædam ex Theogoniæ Heſiodi *initio accuratius penſitantur. Loca* Ariſtotelis *ad eam rem pertinentia. Quid per* Chaos *intelligi debeat ſecundum* Simplicium.

NOti ſunt verſus *Heſiodi* in *Theogonia* non longe ab initio quibus propoſitum ſuum declarat ab his verbis χαίρετε τέκνα Διὸς, uſque ad hæc: Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος. quibus incipit propoſitum exequi. Sunt autem ii numero XI. & continent invocationem Muſarum, in qua declarat quid ſibi agendum ſit: quæ ſcilicet explicanda ſuſcipiat. Completa igitur invocatione rem aggreditur his verbis,

Ἤτοι μὲν πρώτιϛα χάος γένετ᾽ αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ᾽ εὐρύϛερν☉, πάντων ἕδ☉ &c.

A quo exordio cetera ſequuntur. Unde quidam exiſtimarunt, ſuperiores verſus non eſſe Heſiodi, ſed ab aliquo additos. Ita quidem *Franciſcus Gujetus*, *Notis* in *Heſiodum*, quas curavit *Jo. Georgius Graevius* vir de literis bene meritus, & meriturus, in ſua Heſiodi editione politiſſima. *Priores*, inquit, *centum quindecim verſus ſunt ſuppoſiti. Theogonia incipit a verſu* 116. Ἤτοι μὲν πρώτιϛα χάος γένετ᾽ &c. Non credo. cur non credam, paulo poſt patebit. Prius autem quomodo hi verſus paſſim ab *Ariſtotele* citentur, conſiderare operæ pretium eſt. Nam pro particula, ἤτοι, ſemper πάντων ſcribit: Ita in 4. φυσικῆς ἀκροάσεως, & in primo τῶν μετὰ τὰ φυσικά. Ac priore loco ita Heſiodum citat: δόξειε δ᾽ ἂν Ἡσίοδ☉ ὀρθῶς λέγειν, ποιήσας πρῶτον τὸ χάος. λέγει γοῦν,

Πάντων μὲν πρώτιϛα χάος γένετ᾽ &c.

ὡς δέον πρῶτον ὑπάρξαι χώραν τοῖς οὖσι. i. *Porro Heſiodus videri poteſt recte dicere, cum Chaos primum poſuit; ita enim canit:*

Omnium quidem primum Chaos exſtitit,
Poſtea tellus lata.

Tanquam locum rebus locandis principio ſubeſſe oporteat. Ad hunc modum & in primo *Metaphyſicorum*, ubi de antiquorum placitis, poſtquam aliorum opinionem propoſuit, veniens ad Heſiodum: Ἡσίοδ☉ δὲ (inquit.)

Πάντων μὲν πρώτιϛα χάος γένετ᾽ αὐτὰρ &c.

Sed & in libello qui inſcriptus eſt, de *Xenophane*, *Zenone*, *& Gorgia*: Ἀυτίκα δ᾽ Ἡσίοδ☉ (inquit) πρῶτον μὲν πάντων φησὶ, χάος ἐγένετ᾽, αὐτὰρ ἔπειτα γαῖ᾽ εὐρύϛερν☉ &c. Quæro igitur, temere id *Ariſtoteles* & lapſu memoriæ fecerit: an conſilio: temere factum nemo dixerit, quod tribus locis ſecutus eſt: ergo conſilio, aut quia ſic in libris quibus uſus eſt, ſcriptum habuit: aut qua alia cauſa. Sed neque Græcorum interpretum, neque aliorum quiſquam hanc

hanc ſcripturæ varietatem agnovit. *Simplicius* ad eum locum 4. *Phyſic.* Heſiodi verba recitans in *commentario*, citra animadverſionem, citat, ut ſcripta ſunt in noſtris libris: τοῦ Ἡσιόδου, inquit, ἐν τῇ Θεογονίᾳ λέγοντος· ἤτοι μὲν πρώτιστα &c. Ita & *Joannes Grammaticus* & alii.

Qua ergo ratione impulſum dicemus *Ariſtotelem*, ut pro ἤτοι, πάντων, ſcriberet, profecto aliam non video; niſi hanc: cum plures verſus qui hæc verba proxime præcedunt, hos ſcilicet undecim, quibus Poëta ſtrictim res ſibi exponendas proponit, per modum invocationis Muſarum, quæ in his verſibus deſinit

> Ταῦτά μοι ἔσπετε Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι
> Ἐξ ἀρχῆς, καὶ εἴπαθ' ὅ, τι πρῶτον γένετ' αὐτῶν.

ὅ, τι αὐτῶν hoc eſt, eorum quæ ſunt propoſita, dicite quodnam primum exſtiterit; hos, inquam, verſus tam multos *Philoſophos* nolens citare, hanc invenit rationem compendii, qua verborum contextu ſervato, dilectæ ſibi breviloquentiæ inſerviret, ut nimirum, iis omiſſis verſibus, atque etiam pronomine αὐτῶν: his omnibus nomen πάντων ſubſtitueret, quo omnia illa comprehenſa intelligerentur. Hoc ſi verum eſt, ut videtur; male *Gujetus*, eos verſus præcedentes, ut ſuppoſitos, expungit, quos *Ariſtoteles* hac ipſa interpolatione ſe agnoſcere fateatur.

Ceterum hæc verborum *Heſiodi* interpolatio Ariſtotelica, mihi in memoriam redigit, aliam *Reuchlini*, in 3. libro de *Cabala Hebræorum*, ſed minime ferendam. Nam illa quidem *Ariſtotelis*, nihil de ſententia *Heſiodi* mutat: iſta autem *Reuchlini* plurimum. Ad hunc verſum,

> Ταῦτά μοι ἔσπετε Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.

Poſt participium ἔχουσαι, interpungit, tanquam completa invocatione. Tum exordium tractationis ſumit in verſu ſequenti, quem interpolat,

> Ἐξ ἀρχῆς, καὶ εἴπαθ' ὅτι πρῶτον γένετ' αὐτῶν
> Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ' &c.

Into-

Intolerabilis audacia; verbum εἴπατε, quod omnes editiones habent, nobis transformat in εἴ, ποτε, peſſimo exemplo: nam ſi omnes idem ſibi in bonis auctoribus juris arrogent, actum fuerit prope diem de re literaria. Qua autem cauſa impulſus; ne quis nullo ex principio Chaos eſſe putaret in ſententia Heſiodi: idcirco ita verba componit, tanquam hæc jungi debeant ἐξ ἀρχῆς γένετο. Quod præter audaciam mutandi, per ſe vanum eſſe liquet. Qui enim dicit χάος γένετο, ſatis hoc ipſo indicat non eſſe Chaos primum principium, ſed primum omnium quæ facta ſunt, apparuiſſe, ut aliorum locus & fundamentum eſſet.

Quanquam diverſa admodum hujus vocis χάος fertur interpretatio. Nam quidam pro loco acceperunt; & forte in his *Ariſtoteles*, ut verba ejus ſupra allata e quarto *Phyſicorum* ſonant. & vulgatam admodum fuiſſe hanc expoſitionem *Simplicius* teſtatur in *commentario*: Ἔοικε δὲ τοιαύτη τις τότε τῶν Ἡσιόδου ἐπῶν ἐπιπολάζειν ἐξήγησις, τὸ χάος εἰς χώραν μεταλαμβάνουσα. *Videtur autem viguiſſe in primis talis quædam carminum Heſiodi interpretatio, quæ ſcilicet Chaos pro loco accipit.* Hujus & *Sextus Empiricus* meminit lib. 3. cap. 16. *Pyrrhon Hypotheſ.* Εἶναι γὰρ φασι χάος τὸν τόπον, ἀπὸ τοῦ χωρητικὸν αὐτὸν εἶναι τῶν ἐν αὐτῷ γινομένων. i. *Dicunt enim Chaos eſſe locum, eo quod comprehendat illa quæ in ipſo ſunt.* Altera interpretatio μυστικωτέρα eſt; quam & *Simplicius* ibidem attingit: & philoſophiæ altioris ſenſum e verbis *Heſiodi* eruit. Nempe & primi principii vim ſupremam, ſed occultam adumbrare, dum Chaos genitum dicit: nihil enim abſque cauſa fieri: tum ipſam radicem proceſſus rerum a primo, nempe τὸ ἄπειρον, ſive ἀπειροειδῆ συστοιχίαν, quod ergo interpretor, potentiam in multitudinem, varia & perpetua infiniti & termini compoſitione diductam inſinuare: Ὁ μέντοι Ἡσίοδος τὴν πρώτην τῶν πάντων αἰτίαν σιγῇ τιμῶν, ἠνίξατο μόνον αὐτὴν, διὰ τοῦ εἰπεῖν, γενέσθαι τὸ χάος. παντὶ γὰρ γενομένῳ ὑπ᾽ αἰτίου τινὸς ἀνάγκη τὴν γένεσιν ἔχειν, ὡς ὁ Πλάτων φησί. Τὴν δὲ πληθοειδῆ πρόοδον τῶν θεῶν ἐκφῆναι βουλόμε-

λόμενος, διὰ τοῦ ἀπειροειδοῦς συστοιχίας προήγαγε τὴν θεογονίαν, τὸ χάος πρῶτον εἰπὼν, καὶ μετ' αὐτὸ γῆν.

Quæ doctiſſimi viri animadverſio in *Heſiodi* verbis pulcherrima eſt, & in primis notanda contra *Plutarchum* & alios, qui Chaos, materiamque primam in veterum Theologorum ſententia a Deo conditam aut factam omnino fuiſſe inficiantur. Notanda inſuper ejus principii, quod Chaos dicitur, expoſitio, ex eodem *Simplicio:* ne quis putet nihil aliud hoc vocabulo intelligi præter μίγμα *Anaxagoræ*, aut *Democriti* πανσπερμίαν aut noſtris *Peripateticis* decantatam rerum naturalium materiam primam. Cum ibi Chaos longe omnium materia concretorum, & quæ naturalia entia proprie dicuntur, ambitum ordinemque tranſcendat. Quippe illud ipſum principium, quod *Platoni* τὸ ἄπειρον dicitur in *Philebo*, & aliis locis paſſim. Tria namque is omnium ſub primo, rerum poſuit principia ſimpliciſſima, & maxime tranſcendentia: infinitum, terminum, unum. Quorum τὸ ἄπειρον infinitum tanquam materia eſt, nempe potentia. Terminus autem ſive ut vocat, πέρας, id, quod terminat potentiam ex ſe infinitam. Ex quibus quod proprie ens dicitur & unum, conſtituitur: nempe ex infinito & termino, potentia & actu concretum. Hæc autem principia *Plato*, ut dixi, apertiſſime atque diligentiſſime in *Philebo* explicat, ac per univerſum rerum ambitum fuſa eſſe probat.

Hæc igitur tam abſtruſæ eruditionis, ſi *Heſiodus* viderat, ſuamque ex talibus principiis *Theogoniam* deduxit, excellentem metaphyſicum, atque etiam theologum fuiſſe oportet: ſi nihil aliud voluit, præter id quod verba ſonant, ſtultiſſimum: quod idem de *Homero* dicendum eſt in pleriſque eorum quæ de Diis fabulatur. Sed cum cogito antiquitus, & diu penes poëtas fuiſſe theologiæ arcana, & quam ſancta Græcis omnibus habita ſint *Orphei* carmina, quantaque ex iis & *Plato* & *Platonici* theologiæ myſteria

ſub fabularum cortice latentia eruant, non induco in animum, horum fuiſſe expertem *Heſiodum* aut *Homerum* & quotquot habiti ſunt in Græcia ſapientes. Quid autem æther in *Orphei* carmine, quid Chaos ſignificet, ex his etiam, quæ eodem loco habet *Simplicius* cognoſci poteſt; neque talia ad literam poſſe accipi: Δηλοῖ δὲ οὐ χώραν, ἀλλὰ τὴν ἀπειροειδῆ καὶ πεπληθυσμένην τῶν θεῶν αἰτίαν· ἣν Ορφεὺς χάσμα πελώριον ἐκάλεσε. μετὰ γὰρ τὴν μίαν τῶν πάντων ἀρχὴν ἣν Ορφεὺς καὶ χρόνον ἀνυμνεῖ, ὡς μέτρον οὖσαν τῆς μυθικῆς τῶν θεῶν γενέσεως αἰθέρα, καὶ τὸ πελώριον χάσμα προελθεῖν φησὶ, τὸν μὲν τῆς περατοειδοῦς προόδου τῶν θεῶν αἴτιον, τὸ δὲ τῆς ἀπειροειδοῦς καὶ λέγει περὶ αὐτοῦ,

Οὐδέ τι πεῖρας ἔην, οὐδὲ πυθμὴν, οὐδέ τις ἕδρα.

Καίτοι πῶς ἄν τις περὶ τόπου ταῦτα λέγοι, οὗ καὶ τἆλλα περαίνοντος καὶ ἑδράζοντος. hoc eſt: *Significat autem* (voce hac *Chaos*) *non regionem quidem & ſpatium, quale eſt locus: ſed cauſam & principium Deorum multitudinis, quam cauſam Orpheus hiatum ingentem & prodigioſum vocat. Etenim poſt unam omnium cauſam, quam idem Orpheus ſimul cum tempore celebrat, menſura videlicet fabuloſæ Deorum procreationis, ſtatim ætherem & prodigioſum hiatum proceſſiſſe in ortum dicit, illum quidem* (*ætherem*) *finiti, & formalis Deorum proceſſus cauſam: hunc autem ejuſdem proceſſus, qua eſt infinitus cauſam, de quo hoc canit,*

Neque terminus erat aliquis, neque fundamentum, neque ſedes.

Quod quis de loco dictum putet, cujus maxime proprium terminare alia, & locare. Sed de his, ut quiſque volet, ad literam omnia apud poëtas interpretari cui viſum erit. Nam *Galenus* in *comment.* ad librum *Hippoc.* de *Natura Humana*, partic. 26. verſus *Heſiodi* quibus paulo poſt, terram non modo omnium firmamentum & ſedem; ſed etiam principium, ac cælum, maria atque ipſos Deos produxiſſe, ad literam accipit, & quoſdam tempore *Heſiodi* philoſophos

exſti-

exſtitiſſe putat, qui talem de terra opinionem defenderent, quam & ipſe *Heſiodus* ab iis acceptam, probatamque carmini inſeruerit; hocque modo poëtæ eximii beneficio conſervatam ad nos perveniſſe, cum ejus qui hanc opinionē primus attulit, nomen pridem cum ſcriptis interciderit: Καὶ γὰρ καὶ νῦν οἶδα τινὰς ἄλλα γράφοντας, ὧν τὰ συγγράμματα, τοῖς μὲν δὴ συναπέθανον, τοῖς δὲ συντεθνήξεται, καθάπερ καὶ τοῦ λέγοντος ἁπάντων εἶναι μητέρα καὶ τιθήνην, καὶ ἀρχὴν καὶ στοιχεῖον τὴν γῆν. αὐτὴν γὰρ καὶ τὸν οὐρανὸν γεννῆσαι, καθάπερ Ἡσίοδος φησὶ, καὶ τὰ ζῶα τὰ κατ᾽ αὐτήν. i. *Etenim nunc etiam quoſdam novi, qui alia ſcripſerunt, quorum opera partim cum ipſis perierunt, partim peribunt: ſicut ejus qui terram omnium eſſe matrem, nutricem, principium & elementum affirmant. Ipſam namque etiam cœlum generaſſe, & animantia, quæ in ea habentur, uti Heſiodus tuetur.*

Hanc quoque vetuſtiſſimam eſſe opinionem, maximeque vulgatam, primum corporum eſſe terram, & aliorum omnium cauſam, quam *Heſiodus* ſecutus ſit, *Ariſtoteles* teſtatur in j. *Metaphyſ.* cap. 7. Καίτοι διὰ τί ποτ᾽ ἂν καὶ τὴν γῆν λέγουσιν (στοιχεῖον πρῶτον καὶ μόνον) ὥσπερ οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων; πάντα γὰρ εἶναί φασι τὴν γῆν· φησὶ δὲ καὶ Ἡσίοδος τὴν γῆν πρώτην γενέσθαι τῶν σωμάτων· οὕτως ἀρχαίαν καὶ δημοτικὴν συμβέβηκεν εἶναι τὴν ὑπόληψιν. i. *At cur non dicunt & terram (elementum eſſe) ut multi hominum? omnia etenim terram eſſe dicunt. Heſiodum quoque primam corporum terram eſſe dicit, adeo antiquam & popularem eſſe hanc opinionem accidit.* Ita eo loco *Ariſtoteles* more ſuo veterum dicta ad literam expendit, ut in iis populares ſenſus confundat. Quippe id dogma maxime a ratione eſſe abhorrens & perabſurdum, ideoque ab iis qui ſecuti ſunt, phyſiologis, & unum omnium elementum profeſſis, unanimi conſenſu damnatum fuiſſe refert. Quippe id maxime elementi nomen meretur, quod in compoſitione eſt primum: hujuſmodi autem magis, ὃ μικρομερέστατον καὶ λεπτότατον ἂν

εἴη τῶν σωμάτων, *quod minutiſſimarum eſt partium & tenuiſſimum corporum.* paulo poſt: Οὐθεὶς γοῦν τῶν ὑϛέρων ἠξίωσε, καὶ ἓν λεγόντων, γῆν εἶναι ϛοιχεῖον, δηλονότι διὰ τὴν μεγαλομέρειαν. i. *Quare nemo ſequentium philoſophorum, qui unum elementum ponebant, terram elementum arbitrati ſunt; nempe propter ejus partium magnitudinem.*

Quorum igitur hæc tam multa? Ut ex opinionis abſurditate intelligatur, in veterum ſapientum dictis non quod verba ſonant, ſed qui iis ſubeſt ſenſus, eſſe ſpectandum; quia nullo modo veriſimile eſt, viros in iis quæ intelligimus, plane ſapientes & admirandos, ut omnes fatentur, in aliis quæ ſunt majoris momenti, cum vulgo vel etiam infra vulgus ſenſiſſe atque ita ſe comparaſſe, ut meris deliramentis ſeſe poſteritati deridendos præberent. Hoc magis pateret ſi *Joannis Pici* libros *Theologiæ poëticæ* haberemus, in quibus priſcorum vatum vela removebat. Poſſem & ipſe aliquid cum de prima terra, tum aliis veterum ſapientum ænigmatis. Sed hæc non ſunt præſentis inſtituti.

CAPUT XIX.

Memoriæ σφάλμα *indicatum apud* Maximum Tyrium: *& de iis qui* αὐτοδίδακτοι *Græcis dicuntur.*

NOn arbitramur nos injuriam facere bonis auctoribus, cum eorum errores aut μνημονικὰ ἁμαρτήματα indicamus, non magis quam ſi eos homines fuiſſe dicamus. Nihil enim magis hominis quam labi interdum, præſertim memoria: qua nihil (inquit *Plinius*) æque fragile

in

in homine. Intereſt autem communium ſtudiorum ejuſmodi peccata notari, ne quem incautum magnorum virorum auctoritas fruſtra habeat. Quam igitur mihi notavi ejus generis hallucinationem apud *Maximum Tyrium*, haſce inter obſervationes indicare viſum eſt. Hic in *Diſſertatione* 22. quæ inſcripta eſt, Εἰ γένοιτό τις θείᾳ μοίρᾳ ἀγαθός; *an aliquis divinitus fiat bonus?* exemplum ex *Homero* adducit hominis divinitus artem muſicam edocti. Hic Demodocus eſt citharœdus, de quo *Homerus Odyſſ.* θ. hos verſus fecit,

> Τὸν περὶ Μοῦσ᾽ ἐφίλησε δίδου δ᾽ ἀγαθόν τε κακόν τε.
> Ὀφθαλμῶν μὲν ἄμερσε, δίδου δ᾽ ἡδεῖαν ἀοιδήν.

hoc eſt: *Quem ſupra modum Muſa dilexit, dedit vero bonum & malum; oculis quidem eum privavit, dedit autem cantus ſuavitatem.* Recte igitur hoc *Maximus* de Demodoco citharœdo proditum refert; At non recte ſequentes verſus ex eodem poëmate, ad hunc ipſum cantorem pertinere putat. Hæc ſunt ejus verba: Ἐγὼ δὲ αὐτῷ περὶ μὲν τῆς ᾠδῆς συντίθεμαι, περὶ δὲ τῆς συμφορᾶς οὐ συντίθεμαι. οὐ γὰρ μουσικὸν τὸ δῶρον. ἀπίθανος δὲ καὶ ὁ Δημόδοκος οὑτοσὶ περὶ αὑτοῦ λέγων,

> Αὐτοδίδακτος δ᾽ εἰμὶ, θεοὶ δέ μοι ὤπασαν ὀμφήν.

Ita quidem hunc verſum *Homeri* citat: qui in noſtris libris paulo aliter ſcriptus extat, Odyſſ. χ. neque ibi Demodocus loquitur, ſed Phemius ejuſdem artis magiſter: quem Ulyſſes redux, ut procorum amicum vult occidere, is autem ad Ulyſſis genua accidens mortem his verbis deprecatur:

> Γουνοῦμαί σ᾽ Ὀδυσσεῦ· σὺ δὲ μ᾽ αἴδεο, καί μ᾽ ἐλέησον.
> Αὐτῷ τοι μετόπισθ᾽ ἄχος ἔσσεται, εἴ κεν ἀοιδὸν
> Πέφνῃς, ὅς τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισιν ἀείδω.
> Αὐτοδίδακτος δ᾽ εἰμί· θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἴμας
> Παντοίας ἐνέφυσεν. ἔοικα δέ τοι παραείδειν

Ὥστε θεῷ· τῷ μή με λιλαίεο δειροτομῆσαι.

Oro te Ulyſſes, tu autem me verere ac miſerere. Tibi ipſi in poſterum dolebit, ſi cantorem interfeceris, qui Deis & hominibus cano. Ipſe per me doctus ſum: Deus autem mihi in mentibus cantilenas omnes produxit, me autem par eſt tibi accinere ut Deo. proinde ne mihi caput velis amputare.

Duplex igitur *Maximi* erratum; & quod hæc Demodocum dicere putat; quæ *Homerus* Phemio tribuit: & quod quartum verſum interpolat θεοὶ δέ μοι ὤπασαν ὀμφήν. pro θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἴμας &c.

Ceterum pulcherrimam deinceps ibidem quæſtionem movet, de iis qui αὐτοδίδακτοι, hoc eſt, a ſeipſis edocti Græcis dicerentur: quomodo ſcilicet per ſe dicidiſſe dicantur, quæ Deorum munere atque afflatu acceperunt, ſi enim a Deo hæc iis tributa; ergo Deo id, non proprio ingenio debent: neque ex ſe edocti, ſed a Deo. Multa autem ibi ad eam dubitationem præclara habet, ut eſt is auctor in primus elegans in philoſophia & diſertus. Primumque hac ſimilitudine nos introducit: Ἀποκρίνεται ὁ Δημοδόκος (immo Φήμιος) ὅπερ ἂν τῶν πλουσίων οἱ λαβόντες κλῆρον πατρῷον πρὸς τοὺς χρηματιστὰς, ἀποκρίναιντο, ὡς ἐστιν αὐτοῖς αὐτογενὴς ὁ πλοῦτος, οὐ παρ' ἄλλων τέχνῃ καὶ πόνῳ συνενηνεγμένος. i. *Reſpondere poſſet Phemius, quod divites, qui ex hæreditate opes ſuas conſecuti ſunt, reſponderent iis, qui rei quærendæ toti incumbunt, ſpontaneas ſe opes poſſidere nulla aut arte congeſtas aut labore.*

Addit de *Heſiodo*, qui & ipſe αὐτοδίδακτος fuit, non Lauri ramo a Muſis in Helicone tradito poëtam ex paſtore evaſiſſe, ſed ipſum hoc figmento ingenio ſe natum apto ad poëticam indicare voluiſſe: Ἀλλ' ἠνίξατο, οἶμαι, ὁ Ἡσίοδος τὸ αὐτοφυὲς τῆς αὐτοῦ τέχνης, ἀναθέμενος αὐτῆς τὴν αἰτίαν τῷ Μουσῶν χορῷ, ὥσπερ ἂν εἰ καὶ χαλκευτικὸς γενόμενός τις τέχνης ἄνευ, ἀνετίθετο Ἡφαίστῳ φέρων τὸ αὐτόματον

τῆς

τῆ δημιουργίας. i. *Nihil aliud, ut arbitror, indicare Heſiodus voluit, quam naturæ beneficio eam ſe artem conſecutum fuiſſe, cujus tamen fontem originemque ad Muſas referre voluit. Plane ut ſi quis ferrariam ſine præceptore conſecutus, Vulcano artem adſcriberet, quam ſuamet opera citra magiſtri opem didiciſſet.* Confer hunc locum *Maximi* cum illo *Ariſtotelis* in primo de *Arte dicendi* cap. 7. ubi de comparatione bonorum: Καὶ τὸ αὐτοφυὲς τοῦ ἐπικλήτου, (ſupple μεῖζον) ἀγαθόν. χαλεπώτερον γάρ. Ὅθεν καὶ ὁ ποιητής φησιν,

Αὐτοδίδακτος δ᾽ εἰμί.

Et nativum bonum majus eo, quod induſtria quæſitum. Difficilius enim. Unde & poeta ait: Sum a me ipſe edoctus. Nota obiter locutionem, χαλεπώτερον, difficilius. Immo nulla difficultas in eo, quod naſcitur. Hoc enim ingenitum a quæſito diſſeat, quod nullo labore provenit. Sed ibi χαλεπὸν ſignificat rarum & pretioſum. Nam quod raro & paucis contingit, ob id rarum cenſetur, quia aliqua cauſa impedit, quo minus frequenter contingat. quod impedimentum quia vix tollitur, & in paucis admodum, idcirco quod rarum eſt, idem & difficile cenſetur. Hoc ſenſu accipere ibi *Ariſtotelem* verba ejuſdem ſupra indicant: Ἐπεὶ δὲ τὸ χαλεπώτερον καὶ σπανιώτερον μεῖζον, καὶ οἱ καιροὶ &c. *Quoniam vero difficilius & rarius eſt majus, etiam occaſiones.* &c. Tales ſine Præceptore doctos Græci μουσωθῆναι dicunt. *Phavorinus*: μουσωθῆναι, παρὰ μουσῶν διδαχθῆναι *Ælianus* lib. 12. *variæ hiſtoriæ* cap. 4. Φησὶν Αἰγύπτιοι Σέσωστριν παρ᾽ Ἑρμοῦ τὰ νόμιμα ἐκμουσωθῆναι. De autodidactis plura in noſtris libris de *Humano Ingenio*.

CAPUT XX.

Philoponus *memoria lapſus in citando* Platonis *loco oſtenditur.* Ficini *error.*

IOannes a profeſſione *Grammaticus*, a ſtudiorum contentione & patientia invicta *Philoponus* dictus, eodem memoriæ lubrico lapſus in *Platonis* loco indicando deprehenditur. In *commentario* ſcilicet ad lib. 2. *de Anima*, ubi de viſu & iis quæ ſunt viſioni obeundæ neceſſaria diſputat: & quamobrem hic ſenſus omnium ſumptuoſiſſimus a *Platone* dicitur, exponit: locum ubi *Plato* id dicit hunc in modum citat: Διὸ καὶ πολυτελεστάτην τῶν αἰσθήσεων τὴν ὄψιν φησὶν ὁ Τίμαιος εἶναι, διὰ τὸ πολλῶν δεῖσθαι εἰς τὸ ἐνεργῆσαι τὰς οἰκείας ἐνεργείας, ἤπερ αἱ ἄλλαι. i. *Quapropter omnium ſenſuum maxime ſumptuoſum eſſe* Viſum *Timæus dicit, quod pluribus opus habeat ad proprias operationes obeundas.* fallitur autem: non enim in *Timæo* id ſcriptum eſt, ſed in ſexto πολιτειῶν. verba adſcribam: Ἆρ' οὖν (ἦν δ' ἐγώ) ἐννενόηκας τὸν τῶν αἰσθήσεων δημιουργὸν, ὅσῳ πολυτελεστάτην τὴν τοῦ ὁρᾶν τε καὶ ὁρᾶσθαι δύναμιν ἐδημιούργησεν. i. *age non animadvertiſti quam ſumptuoſam præ aliis, ſenſuum opifex effecerit potentiam qua aſpicimus & aſpicimur.* Eleganter ſane & venuſte. Quomodo autem viſus majores ſumptus faciat, ibidem paulo poſt declarat his verbis: Ἐνούσης που ἐν ὄμμασιν ὄψεως, καὶ ἐπιχειροῦντος τοῦ ἔχοντος χρῆσθαι αὐτῇ, παρούσης δὲ χρόας ἐν αὐτοῖς, ἐὰν μὴ παραγένηται γένος τρίτον ἰδίᾳ ἐπ' αὐτὸ τοῦτο πεφυκός, οἶσθα ὅτι ἥ τε ὄψις οὐδὲν ὄψεται, τά τε χρώματα ἔσται ἀόρατα. τίνος δὴ λέγεις (ἔφη) τούτου; ὃ δὴ σὺ καλεῖς (ἦν δ' ἐγὼ) φῶς. i. *Præſente oculis viſu, ipſiſque ad ſpectandum intentis, præſente item colore, niſi adſit & genus ter-*

tertium proprie ad hoc natura aptum, neque viſus videbit quicquam, neque videri colores poterunt. Quidnam id eſſe dicis; quod tu lumen vocas. Nempe hoc ſupra alios ſenſus requirit viſus, & eo nomine ſumptuoſus, quod cum aliis naturalis poteſtas, & ſenſile ad operandum ſufficiat, viſus præter hæc duo, lumen inſuper requirat, ſine quo fruſtra eſt potentia, fruſtra ſenſile. Cæterum in hac voce πολυτελεστάτην, vertenda, non mediocriter hallucinatus eſt *Ficinus*; neque Platonis prorſus ſententiam intellexit. Ita enim priorem locum interpretatur: *Nunquid animadvertiſti quam perfectam ſenſuum auctor vim fabricavit, ad id quod videre, & id quod videri dicimus?* ceu πολυτελὲς quod eſt ſimpliciter perfectum ſignificet. Sed hæc & alia ejusmodi παροράματα in ſcriptis magnorum Virorum, non tam ipſorum, quam humanitatis eſſe decrevi. Quæ ut de eorum gloria nihil minuunt; Sic vitio verti non debet cuiquam, quod talia obſervet publicæ utilitatis cauſa.

CAPUT XXI.

Loca duo Plinii *emendata.*

LIbro *hiſtor. nat.* 35. cap. XI. in catalogo nobilium pictorum, nonnullas & feminas eadem arte illuſtres celebrat: *Lala Cyzicena* (inquit) *perpetua virgo, Marci Varronis juventa, Romæ & penicillo pinxit, & ceſtro in ebore, imagines mulierum maxime, & Neapolitanum in grandi tabula: ſuam quoque imaginem ad ſpeculum.* Quid eſt *Neapolitanum?* ſubeſt menda; ſed levi opera reſtituo: & *Neapoli anum*, ſupple pinxit. Alter locus eſt in trigeſimo ſexto cap. 5. *Non poſtferuntur & charites in propylæo Athenienſium, quas Socrates fecit, alius ille, quam pictor, idem ut aliqui putant.* Et ibi mendoſe ſcriptum *pictor*, qua voce expuncta, reſcribe, *Philoſophus*. Vera enim lectio eſt: *quas Socrates fecit, alius*

alius ille, quam Philoſophus. Significat autem fuiſſe etiam pictorem, qui Socrates vocaretur, Philoſophi cognominem: de utroque olim dubitatum, utrius eſſent opus Charites, quæ in propylæo Athenienſium: philoſophi an pictoris, quibusdam viſum ab alio factas, quam a philoſopho; nonnullis ab eodem, hoc eſt, a Socrate, illo ipſo, qui ſapientia inter Græcos claruit. Præterea non agitur hic de pictura, ſed de ſculptura. Nec porro mirum videatur de hac ambiguitate. Nam Socratem ſculptoriæ artis peritum fuiſſe, non deſunt qui teſtentur. In his Duris apud *Laertium* vita Socratis: Δοῦρις δὲ καὶ δουλεῦσαι αὐτὸν (Σωκράτη) καὶ ἐργάσασθαι λίθους (ſupple φησίν) εἶναί τε αὐτοῦ καὶ τὰς ἐν ἀκροπόλει χάριτας ἔνιοι φασὶν, ἐνδεδυμένας οὔσας· ὅθεν καὶ Τίμωνα ἐν τοῖς Σίλλοις εἰπεῖν,

Ἐκ δ᾽ ἄρα τῶν ἀπέκλινε λιθοξόος, &c.

i. *Porro Duris ſerviſſe illum ait, & ſculpſiſſe lapides: opus illius eſſe Gratias, quæ ſunt in arce, veſtitas, plerique aſſerunt. Unde illum & Timon in Sillis ita depingit his verſibus,*

Fluxit ab his ſculptor lapidum &c.

Confirmat *Pauſanias* in *Atticis*: ſed & *Scholiaſtes Ariſtophanis* in *Nubibus* ad hæc verba;

Σω. σεφῶς γε νὴ τὰς χάριτας,

verba *Scholiaſtæ*, Οὐχ ἁπλῶς ὄμνυσι κατὰ τῶν χαρίτων. ὀπίσω γὰρ τῆς Ἀθηνᾶς ἦσαν γλυφεῖσαι αἱ χάριτες ἐν τῷ τοίχῳ, ἃς ἐλέγετο ὁ Σωκράτης γλύψαι. i. *Non ſimpliciter jurat per Gratias. Erant enim retro ſimulacrum Minervæ, gratiæ ſculptæ in pariete, quas Socrates dicebatur feciſſe.* Ex his, quiddam ſuſpicor deeſſe apud *Plinium*, loco poſterius citato: nempe nomen arcis in gignendi caſu, atque legendum: *in propylæo arcis Athenienſium*: quod melius, quam ſimpliciter, *in propylæo Athenienſium.*

C A-

CAPUT XXII.

Apuleji *locus e prima Apologia explicatur. Quid ſit* querquerus morbus, *quæ in genere aquatilium* ſpuria *&* faſcina *dicantur.*

INter alia magiæ argumenta, quibus *Apulejum* inimici inceſſebant, quæſita ab eo ad amoris illecebras ſpuria a mari & faſcina jactabant: *Poſſe dicitis* (inquit) *ad res venereas ſumpta de mari ſpuria & faſcina, propter nominum ſimilitudinem.* Nempe quia genitalium utriuſque ſexus hæc nomina ſunt. Ut nemini non clarum. Nam *ſpuria* in feminis dicuntur partes generationi dicatæ παρὰ τὸ σπείρειν. *faſcina* autem virorum ſunt. Quod argumentum ſola nominum ſimilitudine inductum ſic deinceps levi manu *Apulejus* repercutit: *Qui minus poſſit ex eodem litore calculus ad veſicam, teſta ad teſtamentum, cancer ad ulcera, alga ad querquerum?* Senſus eſt: ſi nominum ſimilitudo idoneum eſt argumentum, cur iis aquatilibus quæ ſpuria & faſcina dicuntur, aliqua ineſſe amotoria facultas credatur, pari jure, eadem in aliis nominum ſimilitudo præbebit argumentum aliarum naturæ virium. Sed ſi ita eſt, ſequetur calculum e littore petitum prodeſſe contra veſicę calculum; & teſtam ad hoc, ut teſtamentum ab aliquo rationibus noſtris accommodatum relinquatur: & cancrum ulcera ejuſdem nominis emendare, & algæ vim ineſſe ad querquerum ſanandum. In aliis igitur, quæ ibi adducuntur, non obſcura eſt nominum convenientia, in alga & querquero non item: quæ vocabula neque litera ulla convenire, neque numero Syllabarum palam eſt.

Verum hoc quicquid eſt caliginis, nominis hujus *querquerus* ſignificatio intellecta ſtatim purgabit. Grammatici du-

duplicem hujus notionem tradunt, unam quidem qua durities & magnitudo intelligatur, alteram qua frigus. Feſtus *Querqueram febrem gravem & magnam. Nam quidam quercum dictam volunt, quod id genus arboris cum grave ſit, ac durum, tum etiam in ingentem evadat altitudinem. Aurelius autem Opilius frigidam ait dici & cum horrore trementem. Santra eam ex Græco deducit, qui tremorem ejuſmodi κάρκαρον dicunt.* Plauti etiam verba adducit e *Frivolaria*; *Is mihi erat bilis, querquera, tuſſis*, &c. Item Lucilii, *jactam me ut febris querquera terret.* Alibi

Querquera conſequitur febris, capitiſque dolores.

Atque ex poſteriori acceptione apparet, quamobrem *Apulejus* algam & querquerum, ut ſimilia nomina conjungat. Nam alga quidem, cum ſit marinæ herbæ nomen, literis & pronuntiatione minimum ab algore, quod ſignificat frigus, diſcrepare palam eſt; cum querquero autem literis & pronuntiatione multum, nec minus, ſignificatione. tamen ſecundum iſtos, qui ex vocabulorum alluſione medicamentorum opportunitates captabant, oporteret algam, quia literis & ſono cum algore convenit, valere ad querqueræ febris algorem ſolvendum.

Hæc meo judicio, vera interpretatio eſt horum *Apuleji* verborum, quidquid dicat *Pricæus* in notis ad *Apologiam* hanc; negat enim ex hoc loco *Apuleji* querquerum eſſe frigidum. Sed ipſum audiamus: *Si querquerum*, inquit, *ex ſe frigidum ad quid alga? ut intendatur frigus? nugæ. algam facete Apulejus ut remedium caloris poſuit: querquerum itaque cenſeamus oportet febrem calidam & ſiccam.* Quaſi de legitimi remedii inventione ibi ageretur; & non ad hominem eſſet argumentum, ad eorum ſcilicet redarguendam abſurditatem, qui ex ſola nominum convenientia & alluſione dijudicarent, quod cuique morbo opportunum eſſet remedium. Nam ſi querquerus morbus vehementi frigore eſt infeſtus, tanto minus algida, & quicquid algori quocumque modo

eſt

eſt affine, ei convenire par eſt. Et tamen captanti remedia ex ea ſimilitudine, quam nomina quarundam rerum præferunt morborum nominibus collata, conſentaneum eſt algam ob hoc ipſum, quia algorem ſonat, rigoris illius a quo querquera febris dicta eſt, optimum eſſe remedium: perinde ut calculus litoralis eadem vocum veſtigia ſequenti, efficax eſſet veſicæ calculi medicamentum, cancer animal ulceris cognominis. Quæ ſimilitudo nominum morbi & remedii, manifeſta in verbis *Apuleji*, *Priscum* admonere poterat, querquerum ibi induci eo ſenſu quo veteres acceperunt, pro ea ſcilicet febre, quæ ægrotos frigore quatit; ab eo frigore & importuno tremore nomen adepta. Nam κάρκαρον, unde querquerum, *tremorem* Græci vocant auctore *Santra* apud *Feſtum*, citato loco; & *Homero* κεκρκαίρειν idem quod tremere:

—— *κάρκαιρε δὲ γαῖα πόδεσσι:*

Ita & *Maro* accepit, ad eum *Homeri* locum alludens

Pulſuque pedum tremit excita tellus:

Ab eodem tremore & quercum dictam ſuſpicor, non ſolum a ventorum impulſu, ſed etiam quod rudi ævo a mortalibus adhuc glande veſcentibus, ſæpius quateretur, quod fortaſſe *Maro* innuit hoc verſu,

Concuſſaque famem in ſilvis ſolabere quercu.

In quercum enim aſcendentes ramos concutiebant. Sed & carceri inde nomen inditum, quem qui ingrederentur, ſubterranei loci frigore tremerent. Qualem frigoris rigorem expertum Jugurtham Numidarum Regem captivum, cum in barathrum conjectus eſſet, *Plutarchus* tradit, atque ex dolore inſanientem, ceu in balneum frigidum demiſſus eſſet, dixiſſe: Ἡράκλεις, ὡς ψυχρὸν ὑμῶν τὸ βαλανεῖον. Nec quenquam porro *Heſychii* gloſſa perturbet; qui καρκαίρει, exponit ψοφεῖ, idque verbum *ἰδίωμα ἤχου Soni proprietatem* ſignificare. Parum enim refert de ſono an de motu intelligas. Quæ res adeo ſunt natura affines &

conjunctæ, ut cum motus abſque ſono, qui quidem ſenſu percipiatur, eſſe poſſit, nunquam tamen ſonus abſque motu aut excitari aut conſervari poſſit. Quod ad *ſpuria* & *faſcina* attinet, ibi relata ab *Apulejo*, ſatis quidem conſtat in cenſu eſſe aquatilium, atque ita nominata, quod partes viri & feminæ genitales figura exprimant, ut jam dictum eſt: de genere autem aliqua ambiguitas eſſe poteſt; an ſint conchylia, ut vult *Turnebus*, an alterius generis. *Conchas* (inquit lib. 17. *Adverſ.* cap. 15.) *quaſdam propter ſimilitudinem pudendorum virilium & muliebrium virginalia & veretilla vocat Apulejus.* Rurſus lib. 29. *Adverſ.* cap. 13. *His nominibus intelligit conchylia quædam, quæ partes illas, quas dixi, figura referunt.* Contra *Ariſtoteles* lib. 4. *hiſtor.* cap. 8. pinnas iis tribuens, non obſcure hac nota e conchyliorum cenſu excludere videtur: Ἔστι δὲ, inquit, ἔνια ζῶα περιττὰ καὶ ἐν τῇ θαλάττῃ, & paucis interjectis: ἀλλα δὲ ὅμοια αἰδοίῳ ἀνδρὸς, τότε εἶδος, καὶ τὸ μέγεθος, πλὴν ἀντὶ τῶν ὀρχέων πτέρυγας ἔχειν δύο. Hæc ibi *Ariſtoteles.*

CAPUT XXIII.

Vox reſtituta in verſu Empedoclis*: emendatio auctoritate* Ariſtotelis *confirmata.*

SIc in pleriſque codicibus excuſis atque etiam in collectaneis philoſophicæ poëſis ab *Henrico Stephano* editis, leguntur hi verſus *Empedoclis*,

Ἤδη γάρ ποτ᾽ ἐγὼ γενόμην κούρη τε κόρος τε,
Θάμνος τ᾽ οἰωνός τε, καὶ εἰν ἁλὶ ἔλλοπος ἰχθύς.

Unus *Conradus Rittershuſius* corruptum in voce ἔλλοπος ver-

verſum vidit, & ex *Anthologiæ* ſect. 1. tit. 89. reſtituit: quo loco in iisdem verſibus ἔμπυρος pro ἔλλοπος legitur. Cum enim librorum corruptores *Empedoclis* placita ignorarent; epithetum ἔμπυρος, ut ab aquitilium natura alienum; alio, quod iis aptius viſum eſt, mutarunt. Verum ſi ſaltem librum *Ariſtotelis* περὶ ἀναπνοῆς legiſſent, & rationem hujus epitheti apud *Empedoclem* intellexiſſent; & criticos ungues ab ea voce abſtinuiſſent.

Quem locum philoſophi quo emendatio iſta mirifice confirmatur, quia *Rittershuſium* fugit, adſcribere operæ pretium viſum eſt. Ἐμπεδοκλῆς δὲ οὐ κακῶς τοῦτ' εἴρηκε, φάσκων τὰ θερμότατα καὶ πῦρ ἔχοντα μάλιστα πλεῖστον τῶν ζώων ἔνυδρα εἶναι, φεύγοντα τὴν ὑπερβολὴν τῆς ἐν τῇ φύσει θερμότητος ὅπως ἐπειδὴ τοῦ ψυχροῦ καὶ ὑγροῦ ἐλλείπει, κατὰ τὸν τόπον ἀνισάζῃ ἐνάντια ὄντα. i. *Empedocles autem non recte hoc dixit, ſtatuens calidiſſima animalium, ignemque habentia plurimum, aquatilia eſſe, ejus quæ in eorum natura ineſt, caliditatis, exceſſum fugientia, ut quoniam frigido & humido deficiuntur, contraria illa ſibi inſita, loci beneficio ad mediocritatem redigant.* Ex quibus philoſophi verbis, quæ *Empedoclis* de piſcium temperamento ſententia fuerit, intelligi poteſt, & cur in eo verſu ἔμπυρον ἰχθύν dixerit. De re autem ipſa quid ſentiendum ſit, videnda quæ eodem loco *Ariſtoteles* contra eam opinionem diſſerit.

CAPUT XXIV.

Ejuſdem Empedoclis *verſus a* Plutarcho *citati & explicati præter auctoris mentem. Genuina eorum verſuum ſententia explanatur.*

Plutarchus merito quidem *Eunapio* dictus φιλοσοφίας ἁπάσης ἀφροδίτη καὶ λύρα, hoc eſt *univerſæ philoſophiæ venus & lyra.* quod omnia philoſophorum complexus, miram ex iis pulchritudinem & concentum in ſuis libris exhibet iis, qui hujusmodi eruditionis ornatum & dignitatem capere poſſunt; interdum tamen citans veterum ſapientum dicta, quo ſenſu ab iis prolata ſint, parum curæ habuiſſe videtur, modo verba ad propoſitum ſuum quadrare & convenire videantur. Hujus licentiæ & abuſus exemplum inſigne mihi notavi in libello eruditiſſimo, quem inſcripſit *de facie quæ in globo Lunæ apparet.* Ibi in eos diſputans qui in diſpoſitione univerſi rationem non agnoſcebant, ſed ſolam materiæ neceſſitatem, ut vocat *Ariſtoteles*; motum, ſcilicet elementorum, quo alia ſuapte natura ſurſum, alia deorſum feruntur; neque aliam eſſe cauſſam rerum conſtitutionis arbitrabantur. ad hunc errorem confutandum, adducit exemplum hujus, qui in hominis corpore apparet, membrorum ordinis ac ſtructuræ: in qua natura non videtur talem legem ſecuta. Oſſa enim capitis ſolida & gravia, cerebrumque humidum & denſum, locum ſuperiorem tenent; ſpiritus quibus nihil ſubtilius, neque pronius ad motum, ſubtus in corde habitant, quemadmodum & laxi pulmonum folles. Quod idem & in teſtudinum conformatione videre eſt: in quibus & teſta ſupra eſt, infra caro & humores. Ipſamet *Plutarchi* verba adſcri-

ſcribere operæ pretium eſt. Nam clare ex his, id quod dixi patebit, parum curaſſe hunc eo quidem loco, de ſententia *Empedoclis*, modo litera quo quo modo quadraret. Ὁ γοῦν ἄνθρωπος, ὡς ἐπὶ τῶν ὄντων, ἕτερον, κατὰ φύσιν γεγονὼς, ἄνω μὲν ἔχει τὰ ἐμβριθῆ. καὶ γεώδη μάλιστα περὶ τὴν κεφαλήν· ἐν δὲ τοῖς μέσοις τὰ θερμὰ καὶ πυρώδη· τῶν δὲ ὀδόντων, οἱ μὲν ἄνωθεν, οἱ δὲ κάτωθεν ἐμφύονται· καὶ οὐδέτεροι παρὰ φύσιν ἔχουσιν· οὐδὲ τοῦ πυρὸς τὸ μὲν ἄνω περὶ τὰ ὄμματα ἀποστίλβον, κατὰ φύσιν ἐστὶ, τὸ δὲ ἐν κοιλίᾳ καὶ καρδίᾳ παρὰ φύσιν, ἀλλ᾽ ἕκαστον οἰκείως καὶ χρησίμως τέτακται. Quod poſtquam hunc in modum de naturæ inſtituto propoſuit, deinceps hos verſus *Empedoclis* ad id confirmandum ſubjungit,

Καὶ μὴν κηρύκωντε, λιθορρίνωντε χελωνῶν.

Καὶ πάντως (inquit) ὀστρέων φύσιν, ὥς φησιν ὁ Ἐμπεδοκλῆς καταμανθάνων,

Ἔνθ᾽ ὄψει χθόνα χρωτὸς ὑπέρτατα ναιετάουσαν.

Quæ ſic latine ſonant: *Etenim homo quo non ulla alia res magis juxta naturam eſt poſita, in ſublimi habet maxime gravia & terreſtria, circa caput: in mediis calida, & ignita. Dentium ſuperne alii, alii inferne ſunt innati; neutri contra naturam. Neque ignis qui ſupra ex oculis emicat, ſecundum naturam eſt, contra naturam is, qui in corde & ventriculo: ſed quodvis horum congrue eſt utiliterque ordinatum. Quin omnium oſtreorum conſidera naturam, atque (ut utar verbis Empedoclis)*

Inſpice tergigraves conchas, quandoque marinas:
Buccinus, exemploque obducta chelys tibi ſano.
Eſſe poteſt, ſummo ut videas in corpore terram.

ita hos verſus ut potuit reddidit interpres.

Sed & eoſdem citat Συμποσιακῶν lib. I. quæſt. 2. Καὶ τὸν θεὸν ὁρᾷς, τὸν ἀριστοτέχναν ἡμῶν ὁ Πίνδαρος προσεῖπεν, οὐ πανταχοῦ τὸ πῦρ ἄνω τάττοντα, καὶ κάτω τὴν γῆν. ἀλλ᾽ ὡς ἂν χρείαν τῶν σωμάτων ἀπαιτῶσι;

Τοῦτο μὲν ἐν κογχαίσι θαλασσονόμοις, βαρυνώτοις
Καὶ μὴν κηρύκωντε, λιθορρίνωντε χελωνῶν.

 Φη-

φησιν Εμπεδοκλῆς,

Ε'νθ' ὄψει χθόνα χρωτὸς ὑπέρτατα ναιετάουσαν.

hoc eſt: *Ipſam adeo vides, quem Pindarus noſter optimum artificem cognominavit, non ubique ſupra ignem, infra terram poſuiſſe: ſed in eo uſum atque opportunitatem corporum ſecutum.* Empedoclem audi:

Inſpice tergigraves conchas &c.

Quis igitur ex his non putet, idem *Empedocli* viſum, quod *Ariſtoteli*, naturam ſcilicet agere propter finem, & in omnibus, qua licet, id quod eſt melius, ſequi; Juxta illud *Ariſtotelis* lib. 2. de *Partibus* cap. 14. Α'εὶ γὰρ φύσις ἐκ τῶν ἐνδεχομένων, αἰτία τοῦ βελτίστου ἐστίν. Atqui notum eſt ex eodem *Ariſtotele*, *Empedoclem*, ut pleroſque omnes vetuſtiores phyſicos aliam in animalium & ſtirpium conſtitutione, ejus diſpoſitionis partium quam videmus cauſſam non agnoviſſe, præter gravitatem & levitatem primorum corporum ex quibus conſtituuntur. Indidem & accretionis plantarum rationem conatum, ex his verbis patet in 2. *de Anima*: Εμπεδοκλῆς δ' οὐ καλῶς εἴρηκε τοῦτο προστιθεὶς αὔξησιν συμβαίνειν τοῖς φυτοῖς, κάτω μὲν ῥιζουμένων, διὰ τὸ τὴν γῆν οὕτω φέρεσθαι κατὰ φύσιν· ἄνω, διὰ τὸ πῦρ, ὡσαύτως. i. *Empedocles vero non recte dixit, cum addit auctionem in plantis accidere, deorſum quidem, dum radices emittunt, quia terra ſic fertur ſecundum naturam; ſurſum autem propter ignem ſimili ratione.* Et generaliter in antiquos naturæ interpretes lib. 2. *Natural. Auſcultationis*: Νῦν μὲν γὰρ (inquit) οἴονται τὸ ἐξ ἀνάγκης εἶναι ἐν τῇ γενέσει, ὥσπερ ἂν τις τὸν τοῖχον γεγενῆσθαι ἐξ ἀνάγκης νομίζοι, ὅτι τὰ μὲν βαρέα κάτω πέφυκε φέρεσθαι· τὰ δὲ κοῦφα ἐπιπολῆς. i. *Nam nunc quidem fieri ex neceſſitate hoc modo in rerum generatione eſſe putant, ut ſi quis parietem neceſſario perfectum dicat, eo quod gravia deorſum nata ſunt ferri, levia autem ſurſum &c.*

Rurſus in primo de *Partibus*: Οἱ μὲν οὖν ἀρχαῖοι καὶ πρῶτοι φιλοσοφήσαντες περὶ φύσεως, περὶ τῆς ὑλικῆς ἀρχῆς, καὶ τῆς τοιαύ-

τοιαύτης αἰτίας ἐσκόπουν, τίς καὶ ποία τις, καὶ πῶς ἐκ ταύτης γίνεται τὸ ὅλον, καὶ τίνος κινοῦντος, οἷον νείκους, ἢ φιλίας, ἢ νοῦ, ἢ τοῦ αὐτομάτου, τῆς ὑποκειμένης ὕλης, τοιάνδε τινὰ φύσιν ἐχούσης ἐξ ἀνάγκης· οἷον τοῦ μὲν πυρὸς θερμὴν, τῆς δὲ γῆς ψυχρὰν, τοῦ μὲν κούφην, τῆς δὲ βαρεῖαν. οὕτως γὰρ καὶ τὸν κόσμον γεννῶσιν. i. *Veteres igitur illi, & primi naturæ interpretes, materiale principium, atque ejusmodi cauſam, quænam, qualiſque eſſet, indagarunt: & quonam pacto hinc tota oriretur, & quo movente, ut diſcordia & concordia, aut mente, aut caſu, docuerunt: cum ſubjecta materia talem quandam præ ſe ferre naturam videretur, ut fervidam ignis, gelidam terræ; & alter levem, altera gravem: Sic enim Mundum etiam generant.* Idem teſtatur *Euſebius* in primo *de præparatione Euangelica:* Τοιαύτη (inquit) καὶ τῶν πανσόφων Ἑλλήνων τῶν δὴ φυσικῶν φιλοσόφων ἐπικληθέντων ἡ περὶ τῆς συστάσεως τοῦ παντὸς καὶ τῆς πρώτης κοσμογονίας διάληψις, οὐ δημιουργὸν, ἢ ποιητήν τινα τῶν ὅλων ὑποστησαμένων, ἀλλ' οὐδ' ὅλως θεοῦ μνήμην ποιησαμένων· μόνη γὰρ τῇ ἀλόγῳ φορᾷ, καὶ τῇ αὐτομάτῳ κινήσει τὴν αἰτίαν τοῦ παντὸς ἀνατεθειμένων. *Talis, & ſapientia omni gloriantium Græcorum, eorum ſcilicet, qui philoſophi naturales dicti ſunt, ſententia eſt; de univerſi conſtitutione, & ortu Mundi. Non enim aliquem ponunt hujus opificem & factorem, neque omnino Dei mentionem faciunt: ſed ſola irrationali elementorum propenſione & niſu, aut motu ſpontaneo & fortuito, cauſam Mundi aſſignant.*

Cum ergo ex his clarum ſit, hanc fuiſſe veterum illorum atque etiam *Empedoclis* opinionem, ut omnia neceſſariis elementorum motibus, vel etiam caſu facta eſſe dicerent, nullam ejus quod melius eſt ac finis, rationem valere in omni naturæ effectione putarent; eſt ſane quod miremur, *Plutarchum*, tam diligenter in omnibus philoſophorum ſectis verſatum, qui *de eorum placitis* volumina edidit auſum eſſe verſibus *Empedoclis* contrariam illi ipſi

tueri opinionem, nempe naturam in agendo haud ſequi neceſſarios elementorum motus, ſed finem, & quod magis eorum quæ fiunt, conditioni, atque perfectioni conſentaneum, ſpectare. has primordiorum vires, hancque materiæ indolem & motus ad id quod melius eſt, quantum poteſt, accommodare. Nec porro video quid, ad hanc, inter hanc & *Ariſtotelem* de opinione *Empedoclis* controverſiam, ſi tamen controverſia ibi ulla eſt opinionis; afferi poſſit, niſi id, quod dixi, id ſibi juris arrogare *Plutarchum*, ut in dictis veterum ſophorum ſeorſim modo ſententiam, modo verba duntaxat uſurpet, hæcque præter eorum mentem ad ſuum propoſitum transferat. Quod ne cui incredibile videatur, mox id libro ſequenti, idem alios, immo ipſos in ſcientiis heroas feciſſe oſtendam. Sed quæ ex dictis exoritur difficultas tollenda eſt. Nam clarum eſt, ex allato *Ariſtotelis* loco vere exiſtimaſſe *Empedoclem* partium ſitum ac diſpoſitionem in animalibus & plantis ſequi motus neceſſarios elementorum; quomodo igitur, ejuſdem ſententia, poteſt pars terrea & gravis in teſtudinis compoſitione ſuperiorem corporis tenere locum, carnem autem molliorem & leviorem graviori illi, ſubeſſe? immo vero quomodo *Empedocles* talem modum generationis, rerum ut naturæ magis conſentaneum ponere potuit, cui modo tam contrariam in teſtudinum atque oſtreorum genere legem ab ipſa natura poſitam videret? Quid igitur *Empedocles* ad hanc difficultatem?

Nodum hunc ex ſententia ejus ſolvit *Ariſtoteles* in 2. *Natural. Auſcult.* text. 43. ubi expreſſe teſtatur, ſic compoſitum ab *Empedocle* naturæ drama, ut ubi non ſufficerent poteſtates elementorum, quæ ſemper eodem modo ſe habent & moventur, præſto eſſet Fortuna & partes ſuas ageret. Ἐμπεδοκλῆς, οὐκ ἀεὶ τὸν ἀέρα ἀποκρίνεσθαι ἀνωτάτω φησὶν, ἀλλ' ὅπως ἂν τύχῃ. λέγει γοῦν ἐν τῇ κοσμοποιΐᾳ,

Ὡς οὕτω συνέκυρσε θέων τότε, πολλάκι δ' ἄλλως.

ſub-

ſubdit: Καὶ τὰ μόρια τῶν ζώων, ἀπὸ τύχης γενέσθαι τὰ πλεῖστα φησιν. id eſt, *Empedocles non ſemper aërem ſegregari ſuperius dicit, ſed ut accidit. Dicit enim in Mundi ſabrica;*

Sæpe alias aliter; ſed tunc ſic forte cucurrit.

Et partes animalium a fortuna fieri quamplurimas ait. Adhuc apertius in primo de *Partibus* cap. 1. Διόπερ Ἐμπεδοκλῆς, οὐκ ὀρθῶς εἴρηκε λέγων, ὑπάρχειν πολλὰ τοῖς ζώοις, διὰ τὸ συμβῆναι οὕτως ἐν τῇ γενέσει. *Quamobrem Empedocles non recte dixit, ineſſe multa in animalibus, ob id tantum, quia ut hac, tum cum gigneremur, inibi eſſent, accidit.*

Ex his patet, quam nihil memorati verſus *Empedoclis* ad naturæ providentiam, in omnibus ad finem & quod melius eſt, reſpicientis pertineant, quamque ἀπροσδιονύσως a *Plutarcho* iis locis citentur. Patet etiam captus ejus ætatis phyſicorum; quam pingui Minerva naturæ opera interpretarentur, qui ex principiis ab ſe poſitis aliquid explicare non valentes, ad fortunam & caſum confugere non dubitarent. Quid enim turpius phyſico, quam evocare ad naturæ opus fortunam aut caſum penuria cauſſarum? Ceu non cuivis e vulgo talis cauſſa ſuppetat. Poſtremo *Empedocles* cum ſpinæ in dorſo naturam conſideraret, nec plauſibilem ſaltem hujus cauſam ex ſuis principiis reddere poſſet, quamobrem in plures vertebras diſtincta eſſet, perquam ridicule unicuique animali diſſilire motu, dum ſe convertit, dicebat. *Ariſtoteles* eodem loco, οἷον καὶ ῥάχιν τοιαύτην ἔχειν (ἄνθρωπον) ὅτι στραφέντος κατεαγῆναι συνέβη. Hæc cognoſcere ſalus eſt adoleſcentibus ſcientiarum cupidis, ut intelligant, quid præſtiterit philoſophiæ *Ariſtoteles*, quantum illi debeamus, qui rudes antiquorum opiniones, partim melioribus mutavit; partim emendavit, & ad exactam judicii normam perpolivit: quam infelices ſint, qui rebus philoſophiæ jam

pridem incomparabili ſummi illius herois ingenio & ſolertia in melius compoſitis, atque in optimo ſtatu conſtitutis, ad primos ejus ortus & cunabula revolvuntur: tales enim profecto hodierni ſophiſtæ, qui neceſſarios materiæ multifariam diſſectæ motus & vertigines ſomniant; vel etiam fortuitos atomorum motus, plagas, complicationes ex *Democriti* aut *Epicuri* officinis recoquunt.

FINIS LIBRI I.

PETRI PETITI,
PHILOSOPHI & MEDICI,
MISCELLANEARUM OBSERVATIONUM
LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De Poëmate Homeri, *quod* Margites *inſcriptum. quid* Margites *ſignificet: loca* Platonis *&* Ariſtotelis *de eo plane diſſentanea & contraria. Veterum audacia in detorquendis aliorum dictis atque interpolandis.*

NEmo eſt paulo humanior, qui non *Margitem* inter *Homeri* poëmata ſæpius ab antiquis citatum meminerit: *Plato* quidem hujus nonnulla affert in *Alcibiade* 2. ſive *de Voto*: *Ariſtoteles* in libris *Moralium* & in *Poëtica*: *Plutarchus* in *Demoſthene* refert ab eo oratore vocatum eo nomine Alexandrum per contumeliam: quod & *Harpocratio* teſtatur. Sed & *Dio Chryſoſtomus oratione* 53. de *Homero*, ſic hujus

jus poëmatis mentionem fecit: Γέγραφε δὲ καὶ Ζήνων ὁ φιλόσοφος εἴς τε τὴν Ἰλιάδα, καὶ τὴν Ὀδυσσείαν, καὶ περὶ τοῦ Μαργίτου δέ· δοκεῖ γὰρ καὶ τοῦτο τὸ ποίημα ὑπὸ Ὁμήρου γεγονέναι νεωτέρου καὶ ἀποπειρωμένου τῆς αὐτοῦ φύσεως πρὸς ποίησιν. i. *Scripſit autem & Zeno philoſophus, & in Iliadem & in Odyſſeam, & de Margite. Videtur enim & hoc poëma ab Homero eſſe factum adhuc juniore, atque ſuam explorante naturam ad poëſim.* Omnes autem conſentiunt, jocoſum fuiſſe id poëma, hocque conſilio propoſitum, *Margiten* in exemplum extremæ fatuitatis, ut haberent, qui comœdias ſcribere vellent, quod in eo genere imitarentur. Scilicet *Homerus*, ut in aliis tragicæ virtutis, ſic in iſto comici generis ſpecimen dare voluit. Ita *Ariſtoteles* in *Poëtica* cap. 4. Ὥσπερ δὲ καὶ τὰ σπουδαῖα μάλιστα ποιητὴς Ὅμηρος ἦν, οὕτω καὶ τὰ τῆς κωμῳδίας σχήματα πρῶτος ὑπέδειξεν, οὐ ψόγον, ἀλλὰ τὸ γελοῖον δραματοποιήσας. ὁ γὰρ Μαργείτης ἀνάλογον ἔχει, ὥσπερ Ἰλιὰς καὶ Ὀδύσσεια πρὸς τὰς τραγῳδίας, οὕτω καὶ οὗτος πρὸς τὰς κωμῳδίας. i. *Quemadmodum autem & in gravibus maxime poëta fuit Homerus, ſic & comœdiæ figuras primus ſubmonſtravit: non vituperationem, ſed ridiculum dramate complectens. Nam Margites proportionem habet, ut Ilias & Odyſſea ad tragœdias, ſic & ipſe ad comœdias.* Hoc igitur nomine ἀνοήτους vocabant. *Heſych.* Μαργίτης, μωρός τις, ὃς μὴ εἰδὼς μίξιν γυναικὸς, καὶ γυνὴ προτρέπεται αὐτόν. *Margites fatuus quidam, qui nec uxore uti ſciret, & id a muliere docendus eſſet.* Dio Chryſoſtomus orat. 66. Οὐ πολύ γε ἂν εἴη τοῦ Μαργίτου σοφώτερος, ἀγνοοῦντος, ὅτι χρὴ γήμαντα χρῆσθαι τῇ γυναικί. *Haud multo utique eſſet Margite ſapientior, qui ducta uxore, neſciebat ea uti oportere. Lucianus* item pro hebeti & fatuo accipit in *Hermotimo*, ſive de *Sectis*: Ὁρᾷς ὅπως αὖθις ἐξαπατᾷς με, καὶ οὐ λέγεις τἀληθὲς, ἀλλ' οἴει Μαργίτῃ διαλέγεσθαί τινι. i. *Vide obſecro; ut iterum me decipis, neque verum ſermonem exponis, ſed exiſtimas te cum Margita quopiam inſulſo & ſtupido verba facere. Harpocratio* in hac voce:

Καὶ

Καὶ Μαρσύας ἐν πέμπτῳ τῶν περὶ Ἀλεξάνδρου ἱστορεῖ λέγων, Μαργίτην ὑπὸ Δημοσθένους καλεῖσθαι τὸν Ἀλέξανδρον· ἐκάλουν δὲ τοὺς ἀνοήτους οὕτω, διὰ τὸν εἰς Ὅμηρον ἀναφερόμενον Μαργίτην. i. *Et Marſyas in quinto hiſtoriarum de Alexandro, hunc a Demoſthene Margitem nuncupatum ait, quo nomine ſtultos vocarent, ducta appellatione ab iſto, qui ad Homerum refertur, Margite.* Quidam hominis originem deducunt a μὴ, & ἔργον quod nulli muneri, nulli officio obeundo eſſet idoneus.

Ex his patet nomen hoc de fatuis uſurpari ſolitum. Verumtamen *Plato* citato loco aliter accipit; neque hominem ſtolidum ibi ab *Homero* deſcriptum cenſet, ſed pravum qui multa quidem ſciret, ſed κακῶς, hoc eſt, in malum, quod male ſcientia uteretur. Hæc autem ex eo carmine verba affert: Ὥστε συμβαίνειν μοι δοκεῖ καὶ ἐνταῦθα τὸ τοῦ ποιητοῦ, ὃ λέγει κατηγορῶν πού τινος. ὡς ἄρα πολλὰ μὲν ἠπίστατο ἔργα, κακῶς δέ φησιν ἠπίστατο πάντα. i. *Huic certe convenire videtur illud poëtæ carmen, quo quendam vituperans inquit; multa quidem noverat: ſed male noverat omnia.* Et paulo poſt cujus poëtæ ea verba, & de quo declarans, ſuddit: Οὐ γὰρ δήπου Ὅμηρόν γε τὸν σοφώτατόν τε καὶ θειότατον ποιητὴν ἀγνοεῖν δοκεῖς, ὅτι οὐχ οἷόν τε ἦν ἐπίστασθαι κακῶς. ἐκεῖνος γάρ ἐστιν ὁ λέγων τὸν Μαργίτην πολλὰ μὲν ἐπίστασθαι, κακῶς δὲ πάντα ἐπίστασθαι. Tum poëtæ ſententiam hunc in modum declarat: Ἀλλ᾽ αἰνίττεται, οἶμαι, παράγων τὸ κακῶς μὲν, ἀντὶ τοῦ κακοῦ. τὸ δὲ ἠπίστατο, ἀντὶ τοῦ ἐπίστασθαι. γίγνεται οὖν συντεθὲν ἔξω μὲν τοῦ μέτρου. ἔστι δ᾽ ὅτι βούλεται, ὡς πολλὰ μὲν ἠπίστατο ἔργα, κακὸν δὲ ἦν αὐτῷ ἐπίστασθαι ταῦτα πάντα. Unde infert mox, pravo ingenio fuiſſe hunc hominem & malum, qui ſcientia in propriam dedecus ac perniciem abuteretur. Δῆλον οὖν ὅτι εἴπερ ἦν αὐτῷ κακὸν τὸ πολλὰ εἰδέναι, φαῦλός τις ὢν ἐτύγχανεν, εἴπερ γε πιστεύειν δεῖ τοῖς προειρημένοις λόγοις. i. Quæ ſic Latine Ficinus vertit: *Neque enim* Homerum *diviniſſimum ſapientiſſimumque Poëtam ignoraſſe putes, quod ſcire male impoſſibile ſit: ipſe enim eſt, qui inquit,*

quit, Margitem multa quidem ſcire, male autem ſcire omnia. Sed ænigmate ſenſum occultat, ut arbitror, male pro malum ponens, ſcit autem pro ſcire: unde compoſitio quædam extra carminis menſuram conficitur. Quod vero ſenſit, hoc eſt: multa quidem ſcivit, ſed malum ipſi fuit, hæc omnia ſcire. Patet igitur quod ſi erat illi malum multa ſcire, ipſe quoque malus erat, ſi qua fides iis quæ ſuperius dicta ſunt, adhibenda eſt. Hæc eſt igitur *Platonis* interpretatio, quæ quam diverſa ab aliorum ſenſu abeat, palam eſt. Nam alii *ἀνόητον*, hoc eſt, *vecordem & fatuum*, *Margitis* nomine intelligunt; *Plato* multa edoctum, quod eſt ingenii, ſed cui ſcientia in malum verteret, quod ea ob ingenii pravitatem male uteretur.

Ceterum non mihi perſuadet *Plato*, ænigma ſubeſſe ullum iis quæ affert, *Homeri* verbis: neque hunc tantum artificem alio fine dixiſſe *κακῶς ἠπίσατο*, pro *κακὸν ἦν αὐτῷ ἐπίστασθαι* quam ad ſenſum involvendum. Pace tanti Philoſophi dicam, nimis hoc quidem loco, mihi acutus videtur *Plato*: plus adeo in verbis *Homeri* ſapere, quam ipſe *Homerus*. Quod autem negat fieri poſſe, ut quiſquam male aliquid ſciat; idque *Homerum* potuiſſe ignorare; nihil aliud eſt, quam, quod vulgo dicitur, nodum quærere in ſcirpo. Hoc quod *Plato* dicit fatemur eſſe verum de ſcientia ſimpliciter dicta, quam demonſtratio parit ex primis & propriis principiis aliquid concludens. quo pacto qui aliquid ſcit, ſcit bene & ſimpliciter: non autem male. ceterum eſt alius modus ſciendi imperfecte. Ut ſi quis noverit triangulum iſoſceles habere tres angulos æquales duobus rectis, & putet hoc illi ineſſe, qua eſt iſoſceles, neque aliam hujus rationem videat; hic non eſt plane ignarus hujus quod iſoſceli convenit: ſcit igitur quodammodo, ſed male, quia per accidens. Non enim iſoſceli, ſed triangulo ipſi primo & per ſe id competit neque iſoſceli proinde, qua eſt iſoſceles, ſed qua eſt triangulum. Quam multa porro

porro ejuſmodi incidant adverſa ſcientiam quærentibus, declarat ex profeſſo *Ariſtoteles* in libris ὑστέρων ἀναλυτικῶν. Ibi expreſſe duplicem ſciendi modum diſtinguit; Unum eorum qui ſciunt aliquid ἁπλῶς: alterum, eorum qui ſophiſtico modo & per accidens. Ἐπίστασθαι δὲ οἰόμεθα ἕκαστον ἁπλῶς, ἀλλὰ μὴ σοφιστικὸν τρόπον, τὸν κατὰ συμβεβηκός, ὅταν τήν τ' αἰτίαν οἰώμεθα γινώσκειν. &c.

Patet igitur fruſtra eſſe *Platonem* ſua iſta tam arguta & ſubtili interpretatione *Homeri* verborum: non ſolum quia ex falſa hypotheſi, quod unus tantum ſit modus ſciendi, accurate ſcilicet atque ἁπλῶς: quod falſum eſſe oſtendi; ſed eitam quia ridiculum eſt ad exactam intelligendi ac loquendi normam poëtarum dicta exigere, qui profecto res ad vivum, quod ajunt, unguem non reſecant, ſed in pleriſque populariter loqui amant. Et de Platonica verborum *Homeri* interpretatione hactenus.

Venio ad *Ariſtotelem*, qui & ipſe de *Margite* verſus *Homeri* affert lib. 6. *Moral. ad Nicomachum* cap. 7. & libro 5. *Moral. ad Eudemum* cap. 7. hos ſcilicet,

> Τὸν δ' οὔτ' ἄρ σκαπτῆρα θεοὶ θέσαν οὔτ' ἀροτῆρα,
> Οὔτ' ἄλλως τι σοφόν.

hoc eſt,

> *Is nec foſſor erat, nec erat robuſtus arator,*
> *Aut alia re aliqua ſapiens, nec numina Divum*
> *Conceſſere.*

Qui verſus pulchre eorum opinioni quadrant, qui *Margitem* ut fatuum carmine illo *Homeri* traductum volunt. Quam omnium fere, qui ejus Poëmatis mentionem fecere, communem fuiſſe ſententiam docui. At vero *Ariſtoteles* longe aliter hæc verba accipit. Qui tantum abeſt ut ullam ſubeſſe his ſtultitiæ aut inertiæ exprobrationem agnoſcat, ut ſublimioris & ſimpliciter dictæ ſapientiæ in eo viro commendationem intelligat. Quæ cum expoſitio immane quantum ab aliorum ſenſu diſcrepet, ipſamet

ejus verba adſcribere opere pretium duxi: Τὴν δὲ σοφίαν ἐν ταῖς τέχναις, τοῖς ἀκριβεστάτοις τὰς τέχνας ἀποδίδομεν· οἷον Φειδίαν, λιθουργὸν σοφὸν καὶ Πολύκλειτον, ἀνδριαντοποιόν. ἐνταῦθα μὲν οὖν οὐθὲν ἄλλο σημαίνοντες τὴν σοφίαν ἢ ὅτι ἀρετὴ τέχνης ἐστίν· εἶναι δέ τινας σοφοὺς οἰόμεθα ὅλως οὐ κατὰ μέρος, οὐδ᾽ ἄλλο τι σοφοὺς, ὥσπερ Ὅμηρός φησιν ἐν τῷ Μαργίτῃ,

Τὸν δ᾽ οὔτ᾽ ἂρ σκαπτῆρα &c.

i. *Sapientiam autem in artibus attribuere illi conſuevimus, qui in iis ſunt conſummatiſſimi. Unde Phidiam ſapientem marmorarium, Polycletum ſtatuarium ſapientem dicimus, nihil aliud hic ſapientiæ nomine, quam artis ipſius virtutem ſignificantes. Cæterum eſſe alios quosdam omnino, non ex parte ſapientes, exiſtimamus, neque alia aliqua in re ſapientes: quemadmodum inquit Homerus in Margite:*

Is neque foſſor erat &c.

Ibi namque de mentis habitibus diſputans, inter quos primum ſapientia ſibi vindicat locum. modo late hanc uſurpari docet & ſecundum quid, de artis cujuſque perfectione & cum additione, ut cum aliquem ſapientem architectum aut ſculptorem dicimus: modo ſimpliciter, de iis qui altiorem rerum omnium ſcientiam profeſſi non ea modo, quæ ex principiis ſequuntur, ſed etiam ipſa principia acute vident. Quales non in aliquo genere ſapientes, ut ſapientes geometras, medicos, aſtronomos, architectos, ſed ſimpliciter ſapientes ſciſcit, utpote qui ſupra hominem mente aſſurgant, quæ humana ſunt, parum curantes, quærentesve: ſed, ut ibi habet; Περιττὰ, καὶ θαυμαστὰ καὶ χαλεπὰ, καὶ δαιμόνια. *Excellentia, & admiranda, ardua & plane divina.* Sic autem ſapientem proprie ſumptum definit: Δεῖ ἄρα τὸν σοφὸν μὴ μόνον τὰ ἐκ τῶν ἀρχῶν εἰδέναι, ἀλλὰ καὶ περὶ τὰς ἀρχὰς ἀληθεύειν, ὥστ᾽ εἴη ἂν ἡ σοφία, νοῦς καὶ ἐπιστήμη, καὶ ὥσπερ κεφαλὴν ἔχουσα ἐπιστήμη τῶν τιμιωτάτων. *Sapientem igitur non ſolum ea, quæ ex principiis nexa ſunt, ſed & circa principia ipſa verum dicere oportet. Quare ſapientia*

erit

erit intellectus & ſcientia, ac quaſi caput habens ſcientia rerum præſtantiſſimum.

Ergo hujus mentis præſtantiæ & ſublimitatis, quæ meliorum ſibi rerum conſcia nulli ſe arti, aut particulari diſciplinæ addici patitur, exemplum *Margitem Homericum* proponit ex citatis ſupra verſibus: propterea quod *Homerus* hunc neque foſſorem fuiſſe, hoc eſt fodiendi peritum, neque aratorem, neque ἄλλως τι σοφὸν, aliqua in re particulari ſapientem. Sane enim hunc ſenſum verborum ſeries & contextus præfert. Sed & *Euſtratius* in commentario ad hunc locum, ita exponit, Παράγει δ' εἰς μαρτυρίαν τοῦ εἶναι τὸν ὅλως σοφὸν, καὶ τινα ποίησιν, Μαργίτην, ὀνομαζομένην, Ὁμήρου &c. & paulo poſt; Εἰπὼν οὖν ὁ Ἀριστοτέλης ὅτι τῶν κατὰ τέχνας σοφῶν λεγομένων ἕκαστος λέγεται σοφὸς, ὡς ἀρετὴν ἔχων ἐν τῇ τέχνῃ αὐτοῦ καὶ ὀρθωτικὴν τοῦ κατ' αὐτὴν εὖ, καὶ λέγεται οὗτος κατά τι σοφός· ἵνα δείξῃ ὅτι οὐ τοιαύτη ἐστὶν ἡ σοφία, ἡ νῦν παρ' αὐτοῦ λεγομένη, ἐπάγει· ὅτι οἰόμεθά τινας σοφοὺς ὅλως, οὐ κατὰ μέρος, οὐδὲ ἄλλο τι σοφοὺς, ἤτοι κυρίως, καὶ οὐ πῆ καὶ κατά τι σοφούς. τί δὲ δηλοῖ αὐτῷ ἐνταῦθα τὸ ὅλως καὶ κατὰ μέρος, εἴρηται μὲν ἤδη ἱκανῶς, ὡς ἐνῆν. ὁ δὲ Ὅμηρος λέγων ἐν τῷ Μαργίτῃ, τὸν δ' οὔτ' ἄλλως τι σοφὸν· περὶ σοφοῦ λέγει ὅλως ὄντος καὶ κυρίως σοφοῦ. Quæ Latine ita ſonant: *Dari autem omnino ſapientem, teſtimonio Homeri confirmat, in carmine quod inſcribitur Margites* &c. rurſus paulo poſt: *Poſtquam dixit Ariſtoteles eorum, qui circa artes ſapientes nominantur, unumquemque dici ſapientem, quod virtutem in ea quam exercet arte, qua bene ſecundum eam agat, habeat, atque hunc dici ſecundum quid ſapientem; ut oſtendat non ſe de tali nunc ſapientia loqui, addit: arbitramur quoſdam eſſe plane & ex toto ſapientes, non autem ex parte, neque aliqua in re ſapientes: quid autem velit his verbis* ὅλως καὶ κατὰ μέρος, *dictum jam eſt ſufficienter pro captu. Porro Homerus, quæ in Margite habet:* Τὸν δ' οὔτ' ἄρ' σκαπτῆρα &c. *de ſapiente dicit, eo ſcilicet, qui plene ſapientiam poſſidet, & proprie eſt ſapiens.*

 Nemini

Nemini igitur, ex his quidem verbis, non manifeſtum arbitror hac *Ariſtotelis* interpretatione, non modo non fatuum, ſed etiam plane & excellenter ſapientem effici *Margiten* illum, quem ceteri auctores Græci in exemplum Socordiæ extremæ, ad ridendum proponi ab *Homero* concorditer ſtatuunt. Et hoc quis non obſtupeſcat in re haud ſane obſcura, neque difficili, tam ab aliorum ſenſu remotam *Ariſtoteli* placuiſſe ſententiam, quæ non minus communi expoſitioni pugnet, quam album nigro; & fatuitati ſapientia? Mihi quidem id non modo mirandum, ſed prope etiam incredibile videtur, tametſi allatis verbis cum *Ariſtotelis*, tum *Euſtratii* ſatis aperte demonſtratum videri poſſit. Sed tamen non credo. Quid igitur eſt quod ad hujus difficultatis explicationem certius dici poſſit? Sic exiſtimo *Ariſtotelem*, & alios ſuperioris ordinis philoſophos, in citandis Poëtarum, & aliorum extra chorum philoſophicum ſcriptorum locis, parum de ipſorum curaſſe ſententia; unum hoc in iis ſpectaſſe, quam apte ad ea quæ ipſi agebant, verba ſequerentur. Videns igitur *Ariſtoteles* non male his poëtæ verbis exprimi primarii & conſummati ſapientis animum ulli ſe minori diſciplinæ, & ſtudio particulari addici impatientem; ſed tanquam e ſublimi ſpecula artes minores atque humana cuncta deſpicientem, tituloſque & appellationes inde natas aſpernantem; non dubitavit hæc ipſa verba ac verſus bonos, ab ignavo & ſtolido homuncione, quem ibi ab *Homero* depictum non ignorabat, transferre ad ſuum ſapientem: eadem prope licentia qua poëtæ παρῳδοὶ, aliorum verſus a ſeriis ad ridicula argumenta detorquere ſoliti: inde nomen adepti, quod præter rem ſeriam propoſitam, ludicra alia ſubinferrent. Nempe id genus ita dictum, quod eſſet tanquam epirrhema, aut parabaſis, παρὰ τὴν γνησίαν ᾠδὴν, ut *Scaliger* exponit lib. 1. *Poetices*, cap. 42. diſcrimen tantum in termino, quod illi a ſerio ad ridiculum: *Ariſtoteles* vice verſa a ri-

ridicula perſona; ad gravem & divinam, *Homericum* tranſtulit carmen. Nec multum diſpar eorum ratio, qui de verſibus alicujus poëtæ hinc inde particulatim e corpore priore avulſis, in alium autem ſenſum reconcinnatis centones faciunt. Ut ſi aliis ab *Homero* excerptis pluribus locis, cetera *Ariſtoteles*, quæ ibi ſapienti aſſignat, exprimere voluiſſet.

Quod autem hoc modo *Homeri* & aliorum poëtarum verbis abuti aliquando *Ariſtoteles* a philoſophi gravitate haud alienum putaverit, aliud apud eundem habemus exemplum, inſigne, & pridem a me animadverſum, in primo librorum *de Republica*, cap. 2. ubi initia humanæ ſocietatis ac civitatum tradit. Poſtquam enim feminam natura a ſervo eſſe disjunctam docuit, remque domeſticam primum ex duplici conſociatione tanquam elementis conſtare docuit; una quidem viri & uxoris, altera heri & ſervi, ad priorem ſocietatem hunc verſum *Heſiodi* trahit ex poëmate ἔργα καὶ ἡμέραι,

Οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα.

Et γυναῖκα accipit pro conjugata, præter ſententiam *Heſiodi*; qui verſu ſequenti ancillam ſe intelligere, non autem uxorem expreſſe declarat:

Κτητὴν οὐ γαμετὴν, ἥτις καὶ βουσὶν ἕποιτο.

hoc eſt,

Domum quidem primum, fœminamque bovemque aratorem,

Famulam, non nuptam, quæ boves ſequatur.

Itaque hunc verſum *Muretus*, ut ab *Ariſtotelis* propoſito alienum & ſuppoſitum expungendum putabat, quod in animum non induceret, tãtum philoſophum potuiſſe aliquid citare *Heſiodi*, contra mentem *Heſiodi*. Sed eruditiſſimus *Graevius*, in *Lectionibus Heſiodeis*, *Ariſtotelis* morem acute perſpiciens, ſcrupulum omnem prudentiſſima hacce animadverſione ſuſtulit: *Ariſtoteles quidem in Oeconomicis & Politi-*

cis γυναῖκα ſumpſit pro uxore, non vero κλητὴν, ut viri doctiſſimi affirmant. Nec judicandum eſt philoſophorum principem Heſiodi mentem non habuiſſe exploratam: Sed potius eum hunc verſum ſuo voluiſſe accommodare inſtituto, ut ſæpe ſolent philoſophi.

Ceterum non ſolus *Ariſtoteles*, ſed & alii philoſophi ſic abuſi interdum aliorum dictis uſque adeo, ut etiam verſus interpolare non dubitarent: immo vero & proverbia, invitis omnibus in placitum ſibi ſenſum detorquerent, quo nihil inſolentius videatur. Fuit vetus paræmia verſiculo hocce celebrata,

Τίς πατέρ' αἰνήσει, εἰ μὴ κακοδαίμονες υἱοί;
Quis patrem laudet, niſi infelices liberi?

Quo ſignificatur eorum eſſe majores laudare, virtutes & facta eorum jactare, qui nihil in ſe habent ipſi commendabile, quo ſe ab infeliciſſimis diſtinguant. Extremæ quippe infelicitatis, a bonis prognatum, nullam generis notam reddere. Tales igitur propriæ ſibi conſcii miſeriæ, a ſtirpe ſolatium petentes majores laudare non ceſſant. At vero *Chryſippus* philoſophus, is qui ſtoicorum porticum fulcire dictus eſt, vir magnus ad id reſpiciens, quod naturæ magis conſentaneum eſt, ut virtus parentum in poſteros tranſeat, verſiculum hoc modo interpolabat,

Τίς πατέρ' αἰνήσει, εἰ μὴ εὐδαίμονες υἱοί;
Quis patrem laudet, niſi felices liberi?

Quo nomine a Dionyſodoro Trœzenio reprehenſum teſtatur *Plutarchus* in *Arato*. Quamobrem *Euſtratius* omnino de verbis *Ariſtotelis* erravit, putans *Homerum* plane ut contextus *Ariſtotelis* ſonat, de viro perfecte erudito & ſapiente, hos verſus feciſſe. Sed & *Plato* peccavit, hominem non ſtultum quidem, ſed male ingenio ſuo utentem ratus induci his verſibus; cum eorum, quos initio citavi, auctorum, atque ipſiusmet *Ariſtotelis* teſtimonio in *Poëtica*, con-

conſtet, ridiculæ perſonæ, & comici dramatis ſpecimen fuiſſe *Homeri Margiten*. Aliquem enim multa malo ſuo didiciſſe, non eſt materia riſus, ſed miſerationis,

CAPUT II.

Quorundam Galeni *librorum inſcriptio mutila, ex* Philopono *ſuppletur.*

EXſtant *Galeni* libri hoc titulo, περὶ τῶν πεπονθότων τόπων, hoc eſt, *de locis affectis*: Ita enim interpretes vertunt; Barbari, *de Ingenio*; Rabbi *Moſes* in *Aphoriſmis*, *ſcientiarum libros* vocat. In quo ſibi aquam hærere *Hieronymus Mercurialis* ingenue fatetur, lib. 3. *Var. lectionum*, nec ſe videre rationem, nec divinare poſſe ejusmodi appellationis. Mihi vero (ut obiter dicam) hæc ratio eſſe videtur, quod *Galenus* in iis libris methodum tradit, qua ex neceſſariis ſignis, quæ Græci τεκμήρια, Medici παθογνωμονικὰ vocant, quæ corporis intus particula laboret, dignoſci poſſit: ejusmodi enim methodus ſcientiam parit, quippe certam & neceſſariam cognitionem ex ſignis alicui parti propriis. Qua etiam cauſa impulſi Arabes videntur, ut ea volumina, ab ingenio inſcriberent; quod præſtantiſſimum humanæ rationis opus ἀπόδειξιν arbitrarentur. Quamadmodum & Rabbi ille *Moſes* hanc ipſam tractationem *ſcientiarum libros* vocaſſe non immerito exiſtimetur quod *Galenus* in eo opere potiſſimum, philoſophi partes egregie impleat: qui in aliis vix cenſuram *Aviſennæ* effugiat, arguentis eum, *de ramis quidem guſtaſſe multum, radices autem ignoraſſe ſcientiæ*. Exſtat hæc cenſura in libro ejus nono, de *Natura animalium* cap. 1. Et hæc, ut

dixi, obiter quidem, nec abs re tamen: nunc quamobrem titulum eorum librorum, quem excuſi omnes codices præferunt, mutilum exiſtimem, dicam.

Cum *Joannis Grammatici*, qui & *Philoponus* dicitur, libros *diſputationum contra* Proclum, *de Æternitate Mundi* legerem, incidi in quendam locum ubi *Galenum* citat ἐν τῇ διαγνωστικῇ, nempe in ſolutione nonæ dubitationis; Verba ejus hæc ſunt: Τέταρτον, τὴν μήτραν ζῶον εἶναι Πλάτων ὑπείληφεν· ὅπερ ὡς ἐστι ψεῦδος, ἱκανῶς ἐν τῇ διαγνωστικῇ τοῦ Γαληνοῦ ἀποδέδεικται. i. *Quarto: uterum muliebrem eſſe animal Plato exiſtimavit: quod eſſe mendacium, abunde in Diagnoſtica a Galeno demonſtratum eſt.* Eo loco *Philoponus* aliquod *Platonis* opiniones παρακεκινδυνευμένας, ut ipſe autumat, falſas recenſet adverſus *Proclum*, de quorundam divini ejus philoſophi verborum ſententia nimis anxium, eaque loca dedita opera interpolantem, ne magiſtrum alicubi erraſſe cogeretur fateri, tanquam hic ἀναμάρτητος fuiſſet. Hos inter errores *Platonis* hunc etiam notat, quo uterum muliebrem, in Timæo, alterum eſſe animal in animali diſputat, propria cupiditate incitari; & dum vehementius indignatione oberrat, gravium morborum cauſſas mulieribus afferre. Αἱ δὲ ἐν ταῖς γυναιξὶν μῆτραί τε καὶ ὑστέραι λεγόμεναι, δι' αὐτὰ ταῦτα, ζῶον ἐπιθυμητικὸν ἐὸν τῆς παιδοποιΐας, ὅταν ἄκαρπον παρὰ τὴν ὥραν χρόνον πολὺν γίνηται, χαλεπῶς ἀγανακτοῦν φέρει, καὶ πλανώμενον πάντῃ κατὰ τὸ σῶμα, τὰς τοῦ πνεύματος διεξόδους ἀποφράττον, ἀναπνεῖν οὐκ ἐῶν, εἰς ἀπορίας τὰς ἐσχάτας ἐμβάλλει, καὶ νόσους παντοδαπὰς ἄλλας παρέχει. i. *Ea pars quæ in mulieribus uterus & vulva nuncupatur, cum ſit animal prolem generare cupiens, ſi intempeſtive diuque infructuoſum fuerit, ſuccenſens ægre fert, erranſque per totum corpus, & ſpiritus meatum obſtruens, nec reſpirare ſinens, in extremam anxietatem dejicit, ac morbos alios complures creat.* Cœpi igitur mecum cogitare, num quod *Galeni opus* extaret titulo τῆς διαγνωστικῆς, ſed non diu cogitandum fuit; nullum

lum enim hujuſmodi exſtare, aut a *Galeno* fuiſſe conſcriptum ſatis conſtat, præter quidem hos περὶ πεπονθότων τόπων libros. Quare ſtatim ſuſpicio animum percuſſit, non alios a *Philopono* ibi intelligi, hoc præſertim argumento, quod *Galenus* in ſexto eorum librorum, modo allata *Platonis* verba adſcribit de utero muliebri, ad hoc, ut falſam eſſe opinionem doceat. Ex quo quidem conjectare licet hanc fuiſſe integram eorundem voluminum inſcriptionem in bonis libris, quos *Philoponus* viderat; Περὶ τῆς διαγνωστικῆς μεθόδου τῶν πεπονθότων τόπων, ſive πασχόντων. i. *De Methodo dignoſcendi locos affectos*, ſupple, corporis humani. Et perquam veriſimile eſt voluiſse *Galenum* ut libros θεραπευτικῆς μεθόδου; ſic & libros διαγνωστικῆς μεθόδου τῶν πεπονθότων τόπων, ſuo nomine apud poſteros exſtare. Confirmat hanc conjecturam *Galenus* ipſe ſtatim initio eorum librorum: Ὁπόσον μὲν οὖν τι τὸ πρὸς τὰς ἰάσεις ἐστὶ χρήσιμον, ἐκ τῆς τοιαύτης γνώσεως (ſupple διαγνωστικῆς τῶν κατὰ τόπους παθῶν) ἐν τῇ τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου πραγματείᾳ δηλοῦται· νυνὶ δὲ μόνον, ὅπως ἄν τις διαγινώσκοι τὰ πάσχοντα μόρια πρόκειται σκοπεῖσθαι. Totum *Galeni* locum ab initio Latine adſcribere placet: *Non ſolum recentiores Medici: ſed veterum quoque non pauci, corporis particulas, locos nominare conſueverunt: ac quam diligentiſſime affectus ipſis evenire ſolitos, dignoſcere ſtuduerunt: propterea quod pro locorum differentia, curationem quoque variari contingit. Sed quam utilis ad curationem ſit hujuſmodi notitia, in eo libro, quem de curandi via & ratione conſcripſimus videre eſt. Nunc vero, quomodo affectæ particulæ poſſint diſcerni, explicare duntaxat propoſuimus.* His verbis clare *Galenus* ſuum in iis libris propoſitum declararat; nempe velle ſe rationem tradere, qua quis certis indiciis partes affectas dignoſcat, non de ipſis partibus, conſiderare. Unde aliud pro eadem conjectura argumentum ſumitur. Quippe non de ipſis partibus affectis ibi agit *Galenus*: ſed de modo & ratione diſcernendi, quæ particu-

la, quoque in morbo affecta ſit. Ergo non Περὶ πεπονθότων τόπων, ſed περὶ διαγνώσεως, vel διαγνωστικῆς μεθόδου τῶν πεπονθότων τόπων inſcribi ii libri debuerunt. Hincque etiam non immerito aliquis ſuſpicetur, mutilatum eadem ratione *Philoponi* locum illum, quo *Galenum* citat, ac ſic legendum; ἐν τῇ διαγνωστικῇ μεθόδῳ τῶν πεπονθότων τόπων. Niſi potius dicendum eſt, hunc non niſi priora tituli verba brevitatis cauſa poſuiſſe, quod ſatis ex hoc initio, opus iſtud *Galeni* ſingulare deſignatum putaret.

CAPUT III.

Eadem opera Galeno *in libri alterius inſcriptione commodata.*

SUſpicor & titulum libri Galenici, Ὅτι τὰ τῆς ψυχῆς ἤθη ἕπεται τῇ τοῦ σώματος κράσει. *Quod animi mores ſequantur temperamentum corporis*: non eſſe integrum. Quis credat *Galenum* virum ſpectatæ probitatis & prudentiæ, quod caput eſt, in libris philoſophorum, atque in primis *Platonis* non perfunctorie verſatum, id ſibi argumenti uſquam propoſuiſſe ad ſcribendum, quo maximum univerſæ moralis diſciplinæ principium, liberum ſcilicet arbitrium, unaque philoſophiam funditus iret everſum. Nam ſi mores animi ſimpliciter & citra exceptionem nativam corporis indolem ac temperamentum ſequuntur, non video quid proſint præcepta ſapientiæ, & leges quæ corporis naturam mutare non poſſunt. Fruſtra Socrates ad amicos Zopyrum irridentes phyſiognomonem, quod ſe hebeti ingenio, & libidinoſum pronunciaſſet, emendatam ſibi philoſophiæ ſtudio naturam dixiſſet. Fruſtra *Cicero* in lib. *de Fato*, de altero philoſopho ſcriberet: *Stilponem Megaricum philoſophum*,

phum, acutum ſane hominem & probatum temporibus illis accepimus. Hunc ſcribunt ipſius familiares & ebrioſum & mulieroſum fuiſſe: neque hoc ſcribunt vituperantes, ſed potius ad laudem: vitioſam enim naturam abeo ſic edomitam & compreſſam eſſe doctrina, ut nemo unquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis veſtigium viderit.

Præterea uniuscujuſque non voluntas & propoſitum, ſed natura eſſet laudanda, nemo autem puniendus eſſet, quippe naturali corporis habitu omnes in bonum vel in malum trahente. Denique ad mores hominum formandos non philoſophus, legislator, cenſor, aut quivis alius vitæ magiſter, ſed medicus tantum adhibendus eſſet: qui idoneo victu atque etiam medicamentis, quodcumque eſſet immoderatum in corpore, ad juſtum temperamenti modum & normam revocaret. Quæ omnia cum abſurdiſſima ſint, ex illo autem effato ita ſimpliciter prolato ſequantur, non eſt putandum, quicquam ejusmodi *Galeno* prudenti & acuto viro in mentem veniſſe; aut ſic, ut eſt in vulgatis editionibus, titulum ejus libri poſuiſſe; Sed aliquid habuiſſe inſuper quod temporis injuria pridem ſit abolitum.

Sane *Philoponus* in commentario ad librum primum *de Anima*, hoc ipſum Medicorum effatum negat ab iis abſolute ita proponi, ſed cum exceptione: Καὶ τοῦτο καὶ αὐτοί φασιν οἱ ἰατροί, εἰπόντες γὰρ ἕπεσθαι ταῖς κράσεσι τοῦ σώματος τὰς τῆς ψυχῆς δυνάμεις, προστεθείκασι, χωρὶς τῶν κατὰ φιλοσοφίαν διατριβῶν. ὥστε εἰ δύνανται αἱ κατὰ φιλοσοφίαν διατριβαὶ μὴ ἕπεσθαι ποιεῖν τὴν ὁρμὴν τῆς ψυχῆς ταῖς κράσεσι τοῦ σώματος, ἔστι τι ἄρα καὶ ἐφ᾽ ἡμῖν, καὶ οὐκ ἐξ ἀνάγκης ἕπονται. i. *Idque ipſi quoque Medici ajunt: cum enim dicunt animæ facultates corporis temperamenta inſequi, addunt: ſi ſeorſim abſque ulla philoſophica exercitatione ſpectentur, quamobrem ſi hujusmodi ſtudia atque exercitationes ex philoſophiæ præſcripto ſuſceptæ id præſtare poſſunt, ut animæ appetitus corporis temperamentis non obſequantur, certe eſt aliquid in noſtra poteſtate,*

neque neceſſario ſequuntur. Ex his: niſi fallor ejus libelli titulum fuiſſe, ὅτι τὰ τῆς ψυχῆς ἤθη ἕπεται τῇ τοῦ σώματος κράσει, χωρὶς τῶν κατὰ φιλοσοφίαν διατριβῶν.

Quod autem ea mens *Galeni* fuerit, præter allata argumenta, inſuper ex *Platonis* verbis, quæ ſunt in *Timao*, ibidem ab ipſomet *Galeno* citatis, intelligi poteſt: Ταύτῃ κακοὶ πάντες οἱ κακοὶ, διὰ δύο ἀκουσιώτατα γιγνόμεθα, ὧν αἰτιατέον μὲν τοὺς φυτεύοντας ἀεὶ τῶν φυτευομένων μᾶλλον, καὶ τοὺς τρέφοντας τῶν τρεφομένων. i. *Hoc modo omnes, quicunque improbi, ob duo maxime involuntaria, improbi efficimur, quorum ſemper accuſandi magis, qui procreant, quam qui procreantur, qui item educant, iis qui educantur.* ſubdit vero mox: Προθυμητέον μὲν ὅπῃ τις δύναται, καὶ διὰ τροφῆς, καὶ δι' ἐπιτηδευμάτων μαθημάτων τε, φυγεῖν μὲν κακίαν, τοὐναντίον δὲ ἑλεῖν. i. *Conandum eſt pro viribus beneficio recta educationis, ſtudiorumque & diſciplinarum, malitiam effugere, contrarium ſequi.* Atque his locis *Plato* quidem non obſcure indicat ſibi videri, non adeo invictam eſſe ad mores inoleſcendos temperamenti corporis poteſtatem, quin recta educatione & præceptis ſapientiæ omnino vincatur, vel certe in melius proficiat.

Quorſum igitur *Galenus* loca hæc *Platonis* in eo libello adducit, niſi ut ſignificet ſeſe cum *Platone* ſuo ſentire, in eo quod ipſe dicit animi mores ſequi temperamentum corporis, animamque ipſam δεσπόζεσθαι καί δουλεύειν τῷ σώματι, nempe cum neque idoneam initio nacta eſt educationem, neque vim ſuam diſciplinis & philoſophiæ inſtitutis confirmavit, quibus præſidiis deſtituta, quo corporis affectio inmellit, eo ſequi cogitur. Tunc enim profecto, quod ait *Galenus*, fit, ut non aliter cupiditatum motibus trahatur, ac ſi prorſus corporis mancipium eſſet. Poſtremo ut dixi, niſi hoc modo rem componamus, non video, ut *Galenus* ſubſtare poſſit, quo minus tali propoſito philoſophiam funditus ſuſtuliſſe hoc ipſo convincatur. cum tamen longe

longe ab ſe abeſſe id propoſitum, minimeque id ex illa diſceptatione effici ibidem expreſſe admoneat his verbis: Οὔκουν ἀναιρετικὸς ὁ δὴ ὁ λόγος ἐστὶ, τῶν ἐκ φιλοσοφίας καλῶν. i. *Non itaque hæc diſputatio philoſophiæ decora aufert.* videant ſtudioſi & conferant librum ejuſdem *Galeni de dignotione ac curatione propriorum cujusque in anima pravorum affectuum.* Eſt autem perquam veriſimile, cum *Galenus* non niſi cum hac exceptione animæ dominari corporis temperamentum ſenſerit, neque omiſiſſe quin in ejus libri inſcriptione verba hanc exceptionem indicantia poneret.

CAPUT IV.

Locus Ariſtotelis *a* Philopono *aliter lectus acceptusque, quam exſtat in libris excuſis.*

VIdetur *Philoponus* aliter legiſſe locum quendam *Ariſtotelis* in ſecundo *de Anima*, atque exſtat noſtris libris; hunc quidem in textu 52. his verbis conceptum habemus: Ἔχει δὲ ἀπορίαν, διὰ τί ἐν καὶ τῶν αἰσθήσεων αὐτῶν γίνεται αἴσθησις, καὶ διὰ τί ἄνευ τῶν ἔξω, οὐ ποιοῦσιν αἴσθησιν, ἐνόντος πυρὸς καὶ γῆς καὶ τῶν ἄλλων στοιχείων, ὧν ἐστιν ἡ αἴσθησις, καθ' αὑτὰ, ἢ τὰ συμβεβηκότα τούτοις. i. *Habet autem dubitationem, quamobrem ſenſuum ipſorum non fiat ſenſus, & quare ſine iis, quæ ſunt extra, non faciunt ſenſum, cum intus ignis exiſtat, & terra & aliis elementis quorum eſt ſenſus per ſe, aut ſecundum ea quæ accidunt.* Eſt autem juxta *Simplicium* duplex dubitatio: una quidem, cur non ſe ſenſus ipſe percipiat in ſe reflexus, cum ſit vitalis & cognoſcens animæ poteſtas: altera dubitatio: eſto ſenſus non niſi corpora percipiat; cur tamen exteriora tantum, neque abſque iis, quæ ſunt foris:

agit

agit unquam: cum intus in ipſis ſenſoriis ignis, terra, reliqua elementa ſibi ſemper conjuncta habeat. Hæc ſententia eſt hujus loci.

Quod ad verba autem illa attinet, hoc ipſo in loco nunc conſideranda, aliter hæc ut dixi *Philoponum* legiſſe, ipſius expoſitio fidem facit. Τὸ δὲ καθ' ἀυτὰ ἢ τὰ συμβεβηκότα τούτοις, ἀντὶ τοῦ καθ' ἀυτῶν ἢ συμβεβηκότων τούτοις. εὐθείαις γὰρ ἐχρήσατο, ἀντὶ γενικῶν. πολλὴ δὲ ἡ τοιαύτη χρῆσις, οἱ δὲ δύο σκόπελοι ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει, ἀντὶ τούτων τῶν δύο σκοπέλων. Eſtque *Homeri* verſus *Odyſſ.* μ. Difficillimus hic locus eſt *Philoponi*, propter mendum a nemine animadverſum. Quippe ibi notat caſuum variationem in verbis philoſophi, puta *nominativum* poſitúm pro *genitivo*. poſtquam enim in gignendi caſu dixit, πυρὸς, καὶ γῆς, καὶ τῶν ἄλλων στοιχείων, mox regimine haud mutato, de iis ipſis elementis loquens, per *nominativum* reddit. Ἀυτὰ ἢ συμβεβηκότα τούτοις. Atqui non apparet nobis variatio iſta caſuum in textu *Ariſtotelis*: quippe legenti, ut habemus, καθ' ἀυτὰ, ἢ συμβεβηκότα ſyntaxis conſtat: nulla enallage, nullum σολοικοφανές. neque enim ibi ἀυτὰ ἢ συμβεβηκότα nominativa ſunt, ut dicit *Philoponus*; ſed accuſativa, ita poſtulante præpoſitione κατὰ, quæ in omnibus vulgatis codicibus legitur. Quid igitur ſibi ejusmodi animadverſione vult *Philoponus*? inexplicabilis ut dixi, eſt difficultas, niſi mendum dicamus eſſe in *Philoponi* verbis, & corruptos eſſe codices noſtros. Profecto enim, non καθ' ἀυτὰ ſed ἢ ἀυτὰ, ἢ συμβεβηκότα τούτοις, ſupple στοιχεῖα, legit *Philoponus*. quo pacto ad rem eſt ejus animadverſio. Porro exoritur alia dubitatio, eane exemplaria *Ariſtotelis*, quæ habebat *Philoponus*, corrupta eo loco fuerint; an quæ nos in manibus habemus. Mihi quidem nulla hic hæſitatio eſt, quin noſtra potius, quam quæ tempore *Philoponi* extſtabant, vitioſa cenſeri debeant. Proinde me quidem auctore emendabitur is locus *Ariſtotelis* ad eam lectionem, quam in ſuis

libris habuit *Philoponus*; ipſa etiam *Philoponi* verba eandem injuriam paſſa, eandem opem implorant. Nec vero obſtare debet, quod *Simplicius* in *commentario* vulgatam καθ᾽ αὑτὰ agnoſcit lectionem. Nihil enim aliud inde ſequitur, niſi jam tum eo tempore, quo *Simplicius* ſcribebat, inoleviſſe eum errorem in libris *Ariſtotelis*. At *Philoponus* ut Grammaticus & diligentia in literis ſingulari, potuit nactus eſſe meliora antigrapha iis, quæ habuit *Simplicius*. & mihi facile perſuadeo.

Ac de locutione porro non eſt, quod quisquam recuſet, tanquam aliena ab elegantia *Ariſtotelis*: quippe non eſſe inſolentes Atticis auribus hujusmodi tropos, & pericula dictionis, ex aliis intelligi poteſt. Non ſolùm igitur *Homerus* hoc genus non reformidavit eo in verſu, quem citat *Philoponus*; & in iſto *Iliad.* Γ.

Ἄμφω δ᾽ ἑζομένω, γεραρώτερος ἦεν Ὀδυσσεύς.

Ambo autem ſedentes, venerabilior erat Ulyſſes.

Sed neque *Hippocrates* in 3. *Epidem.* hac ſententia: Πυθίων, ὃς ᾤκει παρὰ γῆς ἱερὸν, ἤρξατο τρόμος ἀπὸ χειρῶν. Et lib. 5. Hiſtor. 1. Ἐν Ἤλιδι, ἡ τοῦ κηπωροῦ γυνὴ, πυρετὸς εἶχε αὐτὴν ξυνεχής. Idem *Ariſtoteles* in 3. *Hiſtoriarum de Animalibus*: Αἱ δὲ ἠπειρωτικαὶ βόες αἱ μεγάλαι, βδάλλεται ἑκάστη ἀμφορέα. pro τῶν γὰρ ἠπειρωτικῶν. Quin hoc inter ſermonis virtutes ponit *Dionyſ. Halicarnaſſeus* in libello elegantiſſimo περὶ Ἑρμηνείας, huncque ipſum *Homeri* verſum ex *Odyſſ.* proponit: Οἱ δὲ δύο σκόπελοι, ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει. πολὺ γὰρ (inquit) μεγαλειότερον ἐναλλαγείσης πτώσεως, ἢ εἴπερ οὕτως ἔφη, τῶν δὲ δύο σκοπέλων ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει. i. *Multo enim grandius eſt mutato caſu, quam ſi ſic dixiſſet: duorum ſcopulorum unus in cælum &c.*

CAPUT V.

Emendatus Eunapii *locus in* Ædeſio.

AUctor ille in vita *Ædeſii* data occaſione quædam attingit ſane ſtupenda de Soſipatra, fæmina ſupra viros diſciplinis omnibus excellenti; quemadmodum ſcilicet patris permiſſu primis pueritiæ annis educata fuerit, atque inſtituta in agro, duorum ignotorum hominum cura, ſenum mendicorum habitu, quos dæmones quosdam fuiſse poſtea certis conjecturis compertum ſit. Nam quinque annorum ſpatio tantum eruditione profeciſse viſa eſt puella, ut ſtupori eſset omnibus. Ingreſsus eorum & prima notitia ex agri, cujus ſibi culturam aliquandiu permitti a villico impetraverant, inuſitato proventu, ut miraculo perculſus Soſipatræ pater fundi dominus ſenes colonos videre vellet, invitaret, & menſæ adhibitos prolixe acciperet. Qui Soſipatræ tum primum conſpectæ forma capti, patri ejus de opera, quam ſibi in agro excolendo præbuerant, ac beneficio accepto, gratias agenti hunc in modum reſpondent: Ἀλλ' ἡμεῖς, τὰ μὲν ἄλλα κρύφια καὶ ἀπόῤῥητα πρὸς ἑαυτοὺς ἔχομεν, καὶ ταυτησὶ τῆς ἐπαινουμένης εὐνοίας ἐστι γέλως καὶ παίγνιον τι μετ' ὀλιγωρίας τῶν παρ' ἡμῖν πλεονεκτημάτων.

Ita in excuſis codicibus leguntur hæc verba, ſi quid intelligo, mendoſe. Quod & verſio *Hadriani Junii* indicat, qui ex iis contrariam auctoris menti plane ſententiam expreſſit, quod mendam iis impreſsam non animadverteret. Ita enim vertit: *Cetera,* inquiunt, *occulta & ſecreta apud nos continemus, atque humanitatem iſtam laudatam, quaſi pro ridiculo habemus, & beneficia in nos cumulata penſi non facimus: at ſi menſæ iſtius & munerum vicem a nobis tibi reponi, non pe-*

cunia-

cuniarum &c. Ceu hoſpites humanitatem patris familias & lautitias aſpernentur: iisque verbis ipſimet ſignificent: quo nihil ſuperbius fieri potuiſset? talem etenim ſenſum objicit animo hæc interpretatio. Cum contra ipſi operam ſuam Domino præbitam in culturæ agri, totumque iſtud portentoſæ ubertatis beneficium extenuent, ac nihili æſtiment, præ iis quæ eidem facere velint, quibusque menſæ hoſpitalis humanitatem remuneraturi ſint. Ita igitur; hic locus vertendus fuit: Cetera quæ ſunt occulta, nec commemoranda, (ſupple: beneficia in te a nobis collata) apud nos quidem continemus, hoc eſt: declarare ſuperſedemus: atque iſtam benevolentiam laudatam, (hoc eſt: quam tu tantopere commendas, noſtram videlicet) pro ridiculo & ludo habemus, & negligentiæ prope loco, præ iis, quæ penes nos ſunt opibus & emolumentis: hoc eſt: pro ea quam habemus facultate homines beandi. Sic autem emendo hunc locum: Καὶ ταύτησὶ, ſcribe, καὶ τὸ ταυτησὶ τῆς ἐπαινουμένης ἐυνόιας; qui articulus omiſſus ſenſum abſtulit. Ita Græci loquuntur, τὸ τῆς ἐυνοίας pro ἔυνοια. *Eunapius* ipſe in *Oribaſio*: καὶ ἦν αὐτῷ τὸ τῆς λεγομένης συμφορᾶς, ἐυδαιμονίας ἁπάσης πρόφασις. Rurſus hæc; μετ᾽ ὀλιγωρίας τῶν παρ᾽ ἡμῖν πλεονεκτημάτων, perperam & nullo ſenſu conjuncta ſunt. Quin poſt nomen ὀλιγωρίας, punctum, vel certe virgula apponi debet, tum quæ fugerunt, voces retrahendæ, Πρὸς τὰ τῶν παρ᾽ ἡμῖν πλεονεκτημάτων. Etenim comparatio: *præ iis quæ nos tibi addere poſſumus*. Sic planus efficitur locus.

C A-

CAPUT VI.

Locus alter Eunapii *corruptiſſimus ex conjectura reſtituitur.*

IDem *Eunapius* in vita *Maximi*, qui magus primi nominis, illis temporibus fuit, hujus merita ſupplicia, quibus poſt parabatæ mortem eſt affectus, referens, ſic eorum acerbitatem, per comparationem amplificat: Μικρὰ γὰρ καὶ Περσῶν λεγομένη σκάφευσις· καὶ οἱ γυναικεῖοι τῶν ἀρλάβρων ἁλισμοὶ πρὸς ἐπιφερομένας ὀδύνας τῷ σώματι. Quæ verba ſic *Junius* vertit: *Nam ſcaphiſmus ſupplicium Perſis uſitatum præ tormentis huic allatis parvum fuerit: taceo muliebria & procacia tormentorum ludibria, dum exquiſitis pœnis corpus differunt.* Ubi ἁλισμοὺς *ludibria* interpretatur: credo quia *ſales* interdum pro jocis & dicteriis uſurpamus. Eſto. at quamobrem *muliebria*, & quid ſibi hoc epithetum vult? ſcilicet mulieres ſalibus magis & dictis abundant, quam viri? nugæ. genus ſupplicii temporibus illis uſitatum notat *Eunapius*: cujus in *actis Martyrum* ſit mentio. non contenti enim eorum, quos atrociore pœna dignos cenſerent, corpora laniare, vulneribus ſalem affatim infulciebant, ut iis mos, qui mactatarum ſuum carnes ſaliunt. Quocirca emendo; & pro his, καὶ οἱ γυναικεῖοι, quæ ut docui, bonum ſenſum non recipiunt, reſcribo, καὶ οἱ γὲ ὕειοι, & *Suilla Salſura.* Sed & male ἀρλάβρων legitur, pro, ἀρλάμων, coquorum. *Heſichius* ἄρταμος, μάγειρος. Παρὰ τὸ διαρτᾶσαι, ὅ ἐστι μερίσαι, inquit, *auctor Etymologici.* Eſt enim coqui, ſecare carnes. Quo ſpectat obſcœna Halagabali vox apud Lampridium, *concide magire.* Sed & in opprobrium crudelitatis, μάγειρος nonnunquam appellatio trahitur: ut apud

apud eundem *Eunapium*, qui hac ipſa in vita *Maximi*, de quodam Feſto loquens *Maximi* inimico, φονικήν τινα καὶ μαγειρώδη ψυχὴν appellat. De *ſcaphiſmo* & quod genus ſupplicii fuerit, vide *Plutarchum* in *Artaxerxe*.

CAPUT VII.

Aliæ maculæ ex ejuſdem auctoris *codice deterſæ.*

Mihi quoque mendoſum ſonant hæc apud eundem *Eunapium* in *Magno*, qui medicinæ ſcientia clarus iis temporibus fuit: Ἀκροάτης δὲ γενόμενος Ζήνωνος καὶ τῇ περὶ τῶν σωμάτων τῶν προαιρετικῶν φύσει τὸν Ἀριστοτέλην ἐς τὸ δυνάσθαι λέγειν συνεφελκυσάμενος, σιωπᾷν μὲν ἐν τῷ λέγειν τοὺς ἰατροὺς ἠνάγκαζε &c. quæ ſic *Junius* Latine convertit: *Zenonis auditor (fuit) qui nativa mole Ariſtotelem provocare potuit ad differendum de corporibus electivis, & quibus ad arbitrium vires ſuppetunt, in dicendo cogebat Medicos tenere ſilentium* &c. Ceterum hæc interpretatio neque bonum in ſe habet ſenſum, neque vim Græcorum verborum ſatis exprimit: vel potius toto, quod ajunt, cœlo a mente auctoris diſcedit. Sed nec quæ *electiva corpora* ibi dicantur, intelligo. monſtri hæc ſimilia mihi videntur. Nec minus errat, cum hæc verba, Τῇ φύσει συνεφελκυσάμενος τὸν Ἀριστοτέλην in eam partem accipit, tanquam Magnus iſte nativa, ut loquitur, mole, ſive ingenio provocare potuiſſet *Ariſtotelem* facultate diſſerendi de corporibus: quæ in mentem nunquam vel per ſomnium veniſſe *Eunapio* quovis ſacramento affirmare auſim. nonnullorum etiam tranſpoſitio verborum obſcuriorem effecit ſententiam. Ne diutius lectorem morer, ſic mihi locus hic videtur legendus: Καὶ

τόν Ἀριστοτέλην ἐς τὸ δύνασθαι περὶ τῶν σωμάτων, καὶ τῶν προαιρετῶν λέγειν, τῇ φύσει συνεφελκυσάμενος. cetera plana ſunt. id eſt, ad veibum: *Cumque Ariſtotelem propriæ naturæ ſive ingenio ſocium adjutoremque adjunxiſſet, ad hoc, ut poſſet de corporibus & aliis quæ ſunt propoſita*, ſupple, *Medicis ad conſiderandum*, & ſignificat valuiſſe ingenio Magnum, tamen novas ad diſputandum ex *Ariſtotelis* doctrina & inventis vires ſibi comparaſſe, eoque ſubſidio in tantum inditam ſibi a natura facultatem auxiſſe, & corroboraſſe, ut eo diſputante ceteri Medici ſubſtare non poſſent, & ſilentium tenere cogerentur. Verum ut ibidem notat *Eunapius*, vir ille verborum tam fœcundus: remediorum inops & prorſus ſterilis erat, felix animi, infelix operum. totus ex eorum Medicorum ſecta, quos *Galenus com.* 3. ad lib. *Hippocr.* κατ' ἰητρεῖον. λογικοὺς ἰατροὺς vocat, hoc eſt, *Medicos rationales*: qui operum artis ignari ſolis diſputationum ambagibus ſtudent. Ita enim hos deſcribit eo loco *Galenus*: Τῶν μὲν ἔργων τῆς τέχνης ἀπείρως ἔχοντες· ἐπὶ τὸ σοφιστικὸν εἶδος ἐκτρεπόμενοι. In ſexto autem libro Θεραπευτικῆς μεθόδου, eoſdem ſimpliciter σοφιστὰς appellat. Quorum pleroſque adeo eorum, quæ in medendo uſu veniunt, imperitos fuiſſe teſtatur, ut quærerent inter ſe, & diſputarent, quamobrem fracturæ capitis callo non obducantur. quorum vanitatem acriter *Galenus* ibidem coarguit: hiſce verbis Οὐκ ἔστιν ὁ λόγος οὗτος ψιλός, οἷον οἱ μηδὲν ἐπ' αὐτῶν τῶν ἔργων εἰδότες σοφισταὶ ζητοῦσι, διὰ τί τὰ τῆς κεφαλῆς οὐ πωροῦται κατάγματα; πωροῦται μὲν γάρ, ὦ βέλτιστοι. καὶ ὑμεῖς οὕτως ἐστὲ ληρώδεις, ὥστε τῶν οὐκ ὄντων λέγειν αἰτίας. i. *Hic ſermo non eſt levis & vacuus; qualis ſophiſtarum, qui nihil de iis quæ fiunt, cognoſcentes, quærunt cauſſam, propter quam callum non ducant capitis fracturæ? Ducunt enim, o boni, vos autem tam futiles eſtis, ut eorum quæ non ſunt, cauſſas reddatis.*

Verum tamen multos in hoc albo præſtantes exſtitiſſe ingenio & ſapientia viros ſcimus. *Aviſennam* quidem hanc metam

metam in medicina haud transgreſſum propemodum conſtat: de quo ſic *Matthæus Gradus* in prima parte, capite 5. in Nonum *Almanzoris* judicat: *Aviſenna fuit Medicus magnus ratione, ſed inexpertus re: unde omnia quæ per rationem vidit poſſibilia, admittit tanquam vera, licet nunquam fuerint nec ſint: maxime in cauſſis: & poſſibilia intelligit, quæcumque non formaliter includunt contradictionem.* Nec iniquam hanc cenſuram dicet, qui ſuperſtitioſiſſimam illam humorum corporis humani diviſionem ab *Aviſenna* traditam Fen. 1. Doctrin. 4. cap. 1. legerit; qui dolorum quindecim genera ab eo diſtingui norit; & ſuper duabus convulſionis cauſſis ab *Hippocrate* & *Galeno* proditis, tertiam excogitatam. Quam tamen *Cæſar Scaliger* ſtrenue defendit, in comment. ab lib. *Ariſtotelis* de *Hiſtor. Animal.* ubi de cauſſis convulſionis: *Neque vero* (inquit) *hoc latuit Aviſennam, quem iſti barbarum vocant, ipſi nihil aliud quam Latini, ac neſcio an id quoque ſint aſſecuti. Is enim tertiam a repletione & inanitione ſpaſmi cauſſam, caliditatem nimirum abſque materia agnoſcit. In omnibus Galeno par, & lingua ſua fortaſſe eloquentior: quippe nobiliſſimus, atque ſummo ſtudio educatus; in multis diligentior, in hoc etiam ſuperior. Is vero Philoſophus, quicum Galenus ne comparari quidem poſſit.* Sed ipſe *Scaliger* vix λογικὸν ἰατρὸν exceſſit, quicquid prædicet ipſe de admirandis ſuis curationibus, & ejus fide, *Joſephus* filius. Nimis bonus fuit Philoſophus, nec tantum literarum in clinicum & occupatum Medicum cadit. Sibi quidem ipſum ægrotanti per medicandi imprudentiam, & præpoſtera victus ratione cauſſam mortis attuliſſe *Joſephus Scaliger* teſtatur. In quo *Aviſennam* ſuum imitatus videri poteſt, qui ſimili ignorantia periit. Nec deſunt, qui *Galenum* ipſum in eundem λογικῶν ἰατρῶν ordinem redigant. Scit Deus. *Averrois* fatetur de ſe ultro in ſeptimo eorum librorum, quos *Colliget* vulgus appellat, cap. 6. Ego, inquit, non ſtudui ei ſcientiæ (medicinæ) ut videar mihi in ea eſ-

ſe ſufficiens: & alibi negat ſe in eorum numero eſſe qui ægris remedia adhibent.

Sed duo λογικῶν ἰατρῶν genera diſtingui debent unum eorum, qui altioribus diſciplinis occupati nec medicinæ expertes eſſe volunt: verum a ſtudiis abſtrahi metuentes, medendi uſum aliis facile concedunt, ſcientiam ſibi reſervant: Quod in genere *Aviſenna*, *Avenrois*, *Scaliger*, *Cardanus* & alii complures viri magni nomen profeſſi ſunt ſuum. Alterum eorum qui *clinici* proprie dicuntur, quod ægris aſſideant medendi & lucrandi cauſa, totique in opera artis incumbant. Utrumque genus utile, prius nobilitate antiſtat: quod *Magnum* hunc *Eunapio* celebratum inſecutum liquet: tametſi inter Medicos alios verſaretur, Sed non ſine invidia, cum minus doctorum ſucceſſus videret. Quin ipſas aliorum curationes calumniari ſolitum ibidem *Eunapius* teſtatur: Ὥσπερ οὖν οἱ παλαιοὶ φασὶν Ἀρχίδαμον, εἰ Περικλέους εἴη δυνατώτερος, ἐρωτώμενον, ἀλλὰ κἂν καταβάλλω Περικλέα, φᾶναι, λέγων ἐκεῖνα ὅτι μὴ καταβέβληται, νενίκηκεν, οὕτω καὶ τοὺς θεραπευθέντας ὑφ' ἑτέρων, ἀπεδείκνυ Μάγνος ἔτι νοσοῦντας. οἱ δὲ ὑγιαίνοντες καὶ ἐρρωμένοι, χάριν ὡμολόγουν τοῖς θεραπεύσασιν· ἀλλ' ἐκράτει τῶν ἰατρῶν μέχρι τοῦ στόματος καὶ τῶν ἐρωτήσεων. i. *Quemadmodum autem memorant veteres, Archidamum interrogatum nunquid Periclem viribus ſuperaret: reſpondiſſe, quin licet Periclem proſtraverim, nihilo minus vincit, humi ſe dejectum fuiſſe negans & id ſpectatoribus perſuadens. Eodem modo curatos ab aliis Magnus demonſtrabat, adhuc morbo teneri. Hi vero priſtinæ valetudini redditi & jam ſoſpites nihilo ſecus Medicis ſuis gratias habere ſe teſtabantur: ſed Magnus verbis & quæſtiunculis os Medicis obſtruebat.*

Porro hujus dicti non illepidi meminit *Plutarchus* in *Pericle*, unde accepit *Eunapius* comparationem: niſi quod non Archidamo id tribuit *Plutarchus*, ſed cuidam Thucydidi Mileſio, qui tempore *Periclis Athenis* rempublicam

pariter

pariter adminiſtravit, non eadem quidem ſentiens, attamen auctoritate haud multo inferior. Alioqui veriſimile non eſt, Archidamum regem Lacedæmoniorum, Athenis cum *Pericle* unquam luctatum fuiſſe; aut hunc Lacedæne cum Archidamo. Non dubium igitur quin ibi corruptus ſit textus *Eunapii*. Deſunt enim quædam: nempe nomen proprium Θουκυδίδης; & præpoſitio ὑπὸ. Sic autem reſtituto hunc locum: Ὥσπερ οὖν οἱ παλαιοὶ φασὶν, Θουκυδίδη ὑπ' Ἀρχιδάμου, &c. Sed & male eodem loco ſcriptum eſt in indicativo, κἂν καταβάλλω, pro conjunctivo, καταβάλω· neque enim unquam particula, ἂν cum indicativo jungitur: male etiam in eodem contextu, ἐκεῖνα, pro ἐκεῖνος.

CAPUT VIII.

Lacuna in commentario Simplicii *ad lib.* 4. φυσικῆς ἀκροάσεως *ſuppletur.*

DOctus ille interpres in bene longa & eruditiſſima digreſſione ad 4. φυσικ. ἀκροάσεως, diverſas veterum philoſophorum de *loci* natura opiniones referens, ſic has diſtribuit ac juſta diviſione comprehendit: Ἰστέον οὖν ὅτι τῶν περὶ τόπου τι γραψάντων, οἱ μὲν σῶμα τὸν τόπον, οἱ δὲ ἀσώματον ὑπέθεντο. σῶμα μὲν ὡς Πρόκλος, ὁ ἐκ τῆς Λυκίας φιλόσοφος. τῶν δὲ ἀσώματον λεγόντων, οἱ μὲν πάντη ἀδιάστατον, οἱ δὲ διαστατὸν λέγουσι· καὶ τῶν πάντη ἀδιάστατον, οἱ μὲν ὑποκείμενον τοῖς σώμασιν, ὡς ὁ Πλάτων, τὴν ὕλην τόπον λέγων· οἱ δὲ τελεσιουργὸν τῶν σωμάτων, ὡς ὁ ἡμέτερος Δαμάσκιος. τῶν δὲ διαστατὸν λεγόντων, οἱ μὲν ἐπὶ δύο διεστῶτα, ὥσπερ Ἀριστοτέλης τε καὶ ὁ περίπατος ἅπας. καὶ τούτων οἱ μὲν πάντη ἀδιάφορον, καὶ ποτὲ

καὶ ἄνευ σώματος μένον, ὡς οἱ περὶ Δημόκριτον καὶ Ἐπίκουρον· οἱ δὲ διάστημα καὶ ἀεὶ σῶμα ἔχον, καὶ ἐπιτήδειον πρὸς ἕκαστον. ὡς οἱ κλεινοὶ τῶν Πλατωνικῶν καὶ ὁ Λαμψακηνὸς Στράτων. Sane luculenta diviſio, ſed ut dixi, mutila & debilis, ut jam demonſtrabo: ſed eorum gratia, qui Græca non intelligunt, hæc eadem Latinis verbis exprimam: *Scire igitur convenit, eorum qui de loco ſcripſerunt, varias ferri opiniones. Quidam locum corpus, alii incorporeum poſuerunt: corpus quidem ut Proclus e Lycia philoſophus: qui autem incorporeum dixerunt, partim dimenſionibus carere ajunt: partim eſſe extenſum. Rurſus eorum qui dimenſione omni ſpoliant, alii corporibus ſubjectum volunt, ut Plato qui materiam locum dicit: alii perficere corpora, ut noſter Damaſcius. Qui autem extenſum dicunt, hi aut bifariam tantummodo extenſum ponunt, ut Ariſtoteles & omnes Peripatetici. Et horum nonnulli omni ex parte indifferentem docent, & quandoque corpore omni vacantem: ut Democritus & Epicurus: alii eſſe quidem intervallum, ſed corpus ſemper habens, & ad unumquodque corporum ſuſcipiendum aptum: quæ illuſtrium quorundam Platonicorum, & Stratonis Lampſaceni ſententia eſt.* Nunc hanc diviſionem mutilam eſſe oſtendo in eo membro, quod eſt ordine quintum. eſtque opinio eorum, qui incorporeum ſimul & extenſum locum dicunt. Quippe hoc ſubdividi manifeſtum eſt; cum enim eorum, qui locum incorporeum & extenſum dicunt, nonnulli bifariam tantum extenſum velint, puta *Ariſtoteles* & Peripatetici; quod eſt prius membrum ſubdiviſionis, profecto alterum huic reſpondens ſubjungi debuit, nempe eorum opinio qui trifariam extenſum dicunt. quæ ſubdiviſa rurſus, in duas opiniones abit: unam eorum, qui indifferentem, hoc eſt, undiquaque uniformem locum, & modo vacuum corpore, modo repletum volunt, ſtatuunt: ut *Democritus & Epicurus*: alteram eorum qui ſemper corpore aliquo repletum contendunt. Quare poſt hæc verba, καὶ περίπατος ἅπας, quibus prius ſubdiviſionis membrum finitur,

nitur, citra ullam dubitationem, retrahenda verba, quæ hinc fugerunt: hæc ſcilicet: *οἱ δὲ ἔστι τρία*, vel *τριχῆ*, ſupple, *διεστῶτα*.

Ceterum quod *Proclus* locum in numero habet corporum, commune illi eſt cum aliis nonnullis, novam corporis indolem fingentibus, quod naturam ſibi habeat ſuam ſpecificam & dimenſiones; ſed ſine materia; ceu formam per ſe ſubſiſtentem, ſed corporatam, nempe extenſam, figuratam: a quo figmento, non multum abeſt *Averroris* de opinio de corpore cœleſti in libro *Subſtantia orbis*. De quo eſt faceta vox *Cæſaris Scaligeri*, idem eſſe, ac ſi quis panem eſſe dicat ſine farina. Hoc autem dicit *in commentariis* libri primi *de plantis*, notatque ibidem non abſimilem *Jamblichi* ſententiam: in cœlo materiam, aut nullam, aut ſi ex hac noſtrati conſtat, adeo immutatam, ut effecta ſit forma. Hoc eſt, ut verbis inde natis ſignat *Scaliger*: *formaſcere materiam ibi: apud nos formam materiaſcere*. Ad hunc modum *Proclus* locum eſſe corpus vaticinabatur, ſed longe diverſum a locatis, extenſum quidem, velut alia, ſed capax aliorum, non impenetrabile: ſed per omnia expanſum, omnia certa lege atque ordine continens.

Notanda & hæc diviſio: *Οἱ μὲν πάντη ἀδιάφορον, καὶ ποτὲ ἄνευ σώματος μένον: οἱ δὲ διάστημα ἀεὶ σῶμα ἔχον, καὶ ἐπιτήδειον πρὸς ἕκαστον.* Quid eſt locum eſſe *ἀδιάφορον* undique? Eſt eſſe penitus omni ex parte uniforme & ejusdem rationis ſpatium, totum ſui ſimile, omnis varietatis & differentiæ expers. Quæ communis fuit, ut ibidem dicitur, *Democriti* & *Epicuri* de loci natura hæreſis. Sed *Democritus* in eadem opinione tuenda, multo fuit *Epicuro* prudentior: quam enim poſuit hypotheſim huic nihil poſtea ſuperædificat repugnans, quodque ipſam deſtruat: ut *Epicurus* qui incredibili ſtupore, in ſpatio vacuo & ubique eodem, atomos deorſum & in unam duntaxat partem, motu gravium deferri pertendit. *Democritus* autem temere & caſu in

omnem partem moveri voluit. Futile quidem commentum, . ſed tamen hypotheſi congruens. Nam ſi vacuum illud ſpatium, in quo omnia corpora ſunt & moventur, πάντη ἀδιάφορον, omni ex parte eſt uniforme, qui fieri poteſt, ut atomi omnes deorſum tantum ſuapte natura ferantur: cur enim potius deorſum quam ſurſum, quam dextrorſum, quam ſiniſtrorſum? Immo vero quis ſanus in ſpatio immenſo & uniformi has differentias admittat? Quanto probabilius alii, quorum ibidem fit mentio, qui ſpatium itidem quoddam ampliſſimum pro loco aſſignantes ſemper corporibus plenum cenſent, ei autem occultas ineſſe ἐπιτηδειότητας, hoc eſt, proprietates quaſdam, & habitudines ad unumquodque corporum naturalium recipiendum & continendum dixerunt. Probabilius, inquam, id, ſi quis hanc opinionem, Epicureorum ſtolidæ hypotheſi comparet. An verum, dubito: mihi videor proſpicere animo aliquid de natura loci nondum cuiquam ſatis explicatum. Sed hæc diſputatio aliud tempus poſtulat.

CAPUT IX.

Mendum ſublatum ex eadem Simplicii *digreſſione.* Τόπος, *hoc eſt*, locus, *idem interdum valet quod* περιοχή. *quid ſit* περιοχὴ *in divinis?*

IDem *Simplicius* in eadem parecbaſi quandam *loci* acceptionem μυστικωτέραν, & metaphyſicam indicans, pro complexu ſcilicet, & comprehenſione intelligibili multarum proprietatum in iis, quæ naturam tranſcendunt, hunc *Orphei* verſum profert.

Τοῖον

Τοῖον ἑλὼν διένειμε θεοῖς, θνητοῖσι τε κόσμον.

Tum ſubdit: *Καὶ ἡ περιοχὴ δὲ τόπος ἐκεῖ λέγεται πολλάκις. διὸ καὶ τὴν Συρίαν ἀταράτην, τόπον θεῶν καλοῦσιν, καὶ τὴν Ἶσιν Αἰγύπτιοι, ὡς πολλῶν θεῶν ἰδιότητας περιεχούσας.* Quid ſibi vult hoc monſtrum vocabuli *ἀταράτη*? Nemo expediat. mendum igitur eſt: verior lectio *Ἀστάρτη*, vel *ἀταργάτη*. Prius nomen habemus in *ſacris libris*, nempe in 3. *Regnorum* cap. XI. ubi de Salomonis idololatria: *Cumque jam eſſet Senex, depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur deos alienos*, & paulo poſt: *colebat Salomon Aſtarten Deam Sidoniorum.* Rurſus lib. 4. cap. 23. alio flexu de eodem idolo: *Excelſa quoque quæ erant in Jeruſalem, ad dexteram partem montis offenſionis, quæ ædificaverat Rex Iſraël Aſtaroth, idolo Sidoniorum.* Hujus & *Varro* meminit in 4. de *Lingua Lat. Principis dei Cælum & Terra: hi dei iidem, qui in Ægypto Serapis & Iſis, qui ſunt Taautes & Aſtarte apud Phœnicas.* ad quem locum *Scaliger* in *conjectaneis*: *Aſtarte vero* (inquit) *ea eſt, quæ Aſtarot in divinis literis vocatur. Id Phœnicum lingua ſonat greges καὶ τὰ μῆλα. Tanquam ſuſpiceris dictam a victimarum multitudine. Ea colebatur a Sidoniis, ſicut Dagon a reliquis Phœnicibus & Aſſyriis.* Hanc eſſe Lunam putat *Lucianus* in lib. *de Syria Dea*: alii Europam Agenoris filiam, Sororem Cadmi.

Mihi potior conjectura, legi debere eo loco *Simplicii*, *Ἀταργάτην*, ut ſit nomen Deæ Aſcalonitarum, de qua apud *Strabonem* lib. 16. alio nomine *Derceto* vocabatur. Sequenda enim ſunt ſcripturæ veſtigia. Hic autem non eſt diſcrimen, niſi unius literæ tantum, quæ excidit, nempe γ.

De *Atargate*, *Macrobius* ſic in 1. *Satur. Et ne ſermo per ſingulorum nomina Deorum vagetur, accipe quod Aſſyrii de Solis potentia opinentur. Deo enim, quem ſummum maximumque venerantur, Adad nomen dederunt. Ejus nominis interpretatio ſignificat, unus. Hunc ergo potentiſſimum adorant Deum: Sed ſubjungunt eidem Deam nomine Atargatim: omnemque*

poteſtatem cunctarum rerum his duobus attribuunt, Solem, Terramque intelligentes. Et paulo poſt: *Atargatis ſimulacrum ſurſum verſum reclinatis radiis inſigne eſt, monſtrando radiorum vi ſuperne miſſorum enaſci, quacunque terra progenerat.* Quibus verbis videtur indicare, eo nomine hacque forma adumbratum ac cultum fuiſſe apud Aſſyrios terræ numen. At *Simplicius* altioris & theologicæ intelligentiæ occulta rimatus ex *Orpheo* Locum Deorum exponit, qui ſcilicet in ſe multorum Deorum proprietates comprehendat.

CAPUT X.

Themiſtii *locus ex orationibus, præter doctiſſimi interpretis ſententiam declaratus. Quid ſint* Platoni Ἰάδες Μοῦσαι, *quid* Σικελικαί;

EXſtat is locus in oratione 16. ibi ſcriptor ille egregius de artium progreſſu diſſerens; & quibus incrementis philoſophia ad *Platonis* uſque & *Ariſtotelis* faſtigium pervenerit; ſic horum univerſæ humanæ ſapientiæ principum & magiſtrorum inventa refert? Καὶ τίς οὕτω πολυπράγμων καὶ καινοτόμος (ſupple ὡς Πλάτων) ὃς πρῶτον μὲν σποράδην οἰκοῦσαν φιλοσοφίαν ξυνῴκισε, καὶ συνήγαγεν ὡς Θησεὺς τὰς Ἀθήνας; τέως γὰρ τριχῇ διέστατο, μᾶλλον δὲ τετραχῇ, καὶ χωρὶς μὲν ἦσαν αἱ Ἰταλιώτιδες Μοῦσαι, χωρὶς δὲ αἱ Σικελικαί· χωρὶς δὲ ὁ χορὸς τῶν Ἰάδων. αἱ μὲν τὰ θεῖα μαστεύουσαι, αἱ δὲ ὑπὲρ τῆς φύσεως μεριμνῶσαι. τούτων δὲ μακρὰν ἀπεσκήνουν αἱ περὶ κακίας καὶ ἀρετῆς. Hæc autem verba *Petavius* hoc modo Latine interpretatus eſt: *Quis vero æque curioſus ac novitatis appetens fuit?* (ac *Plato*. de hoc enim loquitur) *qui principio ſparſim habitantem philoſophiam coegit, atque in unum*

con-

contraxit: quemadmodum Athenas olim Theſeus. Hactenus vero trifariam, vel quadrifariam potius diſſipata fuerat. Ac ſeorſim quidem Italicæ Muſæ erant, ſeorſim Siculæ, ſeorſim & Ionicæ chorum ſuum habebant. Quarum aliæ in ſolarum rerum divinarum inveſtigatione conſtiterant, aliæ quæ naturam ſuperant, indagabant; Sed ab iis procul diſſitæ erant, quæ in vitii & virtutis cognitione verſantur. Ita quidem hunc locum vir ille egregius vertit: in notis autem, quas ad eas orationes meditatus eſt, negat ſe videre, quam ſectam ibi *Themiſtius* per *Siculas Muſas* deſignet, & mendum cubare putat in voce Σικελικαί. verba ejus adſcribam: *Sed pro* Σικελικαὶ *fortean* Ἀττικαί. *Nam Italica ſecta Pythagoreorum eſt; qui in divinis maxime rebus occupati: Ionica Thaletis, aliorumque, qui de rerum natura diſputarunt:* Attica *Socratis, qui primus Ethices inventor. Quæ ſit autem Sicula ſecta, aut cui parti ſit attribuenda, non video.* Hactenus ille. Sed non ſe expedire potuit, & plane ejus mentis fruſtra eſt, dum hanc lectionem mendi ſuſpectam habet, in voce Σικελικαί. Ad ejus errorem demonſtrandum ſufficiet proferre locum *Platonis*, de quo hæc ſumpſit *Themiſtius*, e dialogo ſcilicet, qui inſcriptus eſt Σοφιστὴς ſive *de Ente. Platonis* igitur verba hæc ſunt: Τὸ δὲ παρ' ἡμῶν Ἐλεατικὸν ἔθνος ἀπὸ Ξενοφάνους τε, καὶ ἔτι πρόσθεν ἀρξάμενον, ὡς ἑνὸς ὄντος τῶν πάντων καλουμένων, οὕτω διεξέρχεται τοῖς μύθοις. Ἰάδες δὲ καὶ Σικελικαί τινες ὕστερον Μοῦσαι ξυνενόησαν, ὅτι συμπλέκειν ἀσφαλέστατον ἀμφότερα, καὶ λέγειν ὡς τὸ ὂν, πολλά τε καὶ ἕν ἐστιν. ἔχθρᾳ δὲ καὶ φιλίᾳ συνέχεται· διαφερόμενον γὰρ ἀεὶ ξυμφέρεται φασιν αἱ συντονώτεραι τῶν Μουσῶν. αἱ δὲ μαλακώτεραι, τὸ μὲν ἀεὶ ταῦτα οὕτως ἔχειν ἐχάλασαν. ἐν μέρει δὲ, τότε μὲν ἓν εἶναί φασι τὸ πᾶν, καὶ φίλον ὑπ' Ἀφροδίτης, τοτὲ δὲ πολλὰ καὶ πολέμιον αὐτὸ αὐτῷ διὰ νεῖκός τι. Ταῦτα δὲ πάντα, εἰ μὲν ἀληθῶς τις ἢ μὴ τούτων εἴρηκε, χαλεπὸν καὶ πλημμελὲς οὕτω μεγάλα κλεινοῖς καὶ παλαιοῖς ἀνδράσιν ἐπιτιμᾷν, ἐκεῖνο δὲ ἀνεπίφθονον ἀποφήνασθαι. i. *Eleatica vero apud nos ſecta a Xenophane,*

phane, immo & ab antiquioribus originem ducens, omnia quæ eſſe dicuntur, ut unum ponit, fabuloſeque diſſerit. Iades autem & Siculæ Muſæ quædam his poſteriores, ambo hæc invicem implicare tutius cenſuerunt, ita ut ens & multa & unum ſit, diſcordia vero & concordia teneatur. Diſſidens enim ſemper conſentit, ut Muſæ vehementiores canunt. Remiſſiores autem Muſæ ſemper hæc ita eſſe, non admodum pertendunt: vicibus vero hocce univerſum, modo unum & amicum ſibi eſſe propter venerem; modo multa, & ſibi ipſum diſſidens per diſcordiam. Ceterum grave eſt, & culpæ affine nos adverſus tam illuſtres antiquoſque viros, ſive vera, ſive falſa dixerint, ferre ſententiam. Modo iſtud quod dixerant, proferre nulla invidia eſt.

Hæc ibi *Plato* juxta *Ficini* verſionem paucis mutatis; in quibus clarus ille divini philoſophi interpres ſuam dignitatem non retinet. Nam hæc: Αἱ δὲ μαλακώτεραι τὸ μὲν ἀεὶ ταῦτα οὕτως ἔχειν ἐχάλασαν, quo ſpectent, prorſus non intellexit; *remiſſiores vero* (inquit) *Muſæ ſemper ita ſolvunt, ſuſpenduntque.* Vera interpretatio quam nos ſubſtituimus. Plane ad *Empedoclem* hæc pertinent, qui, ut ex *Ariſtotele* diſcimus, duo principia efficientia omnium rerum ponebat, unum quod φιλίαν *amicitiam* & poëtice Ἀφροδίτην vocabat: alterum quod νεῖκος, hoc eſt *jurgium* & *contentionem.* Illius vi & poteſtate aboleri cenſebat rerum differentias, faciemque univerſi conflatis quaſi omnibus ad molem unam informem redigi, quam Σφαῖρον ipſe appellabat. Altero autem dominante molem confuſam diduci, generaque cuncta e globo extricata in omnem rerum varietatem efflorescere. Ceterum vicibus peragi hæc tropica, non quemadmodum aliis viſum eſt, aut ſemper unum: aut ſemper multa. Quod hic ſenſus ſit *Platonis* verborum, *Ariſtotelica* hæc probant in 8. *Natur. Auſcultationis:* Διόπερ βέλτιον ὡς Ἐμπεδοκλῆς, κἂν εἴ τις ἕτερος εἴρηκεν οὕτως ἔχειν, ἐν μέρει τὸ πᾶν ἠρεμεῖν καὶ κινεῖσθαι πάλιν. τάξιν γὰρ ἤδη τινὰ ἔχει τὸ τοιοῦτο. *Quocirca melius eſt, ut Empedocles, &*

ſi

ſi quis alius, ſic ſe rem habere dixit, puta vicibus univerſum quieſcere & rurſus moveri. Ordinem enim jam quendam habet, quod tale eſt. Sed & hæc eo in loco *Platonis*, Ἐν μέρει δὲ, τότε μὲν ἓν εἶναι φασι τὸ πᾶν &c, item in illo *Ariſtotelis* ἐν μέρει τὸ πᾶν ἠρεμεῖν, ab *Empedoclis* carmine eſſe ſumpta, ejusdem verſus apud *Simplicium* in *commentario* ad eum textum non obſcure indicant:

Ἐν δὲ μέρει κρατέουσι περιπλομένοιο κύκλοιο.

Ergo apud *Platonem* Siculæ & molliores Muſæ *Empedoclem* deſignant, quem natum fuiſſe in Sicilia, urbe Agrigento, ac de rerum natura verſibus commentatum, nemo paulo humanior neſcit: per συντονωτέρας autem Μούσας *Heraclitum* eodem *Platonis* ſtilo ſubindicatum putandum eſt: Hujus quippe dogma fuit, nihil eſſe in rebus ſincerum, omnia ex contrariis mixta: Συνάψειας ὅλα, καὶ οὐχὶ ὅλα, συμφερόμενον, καὶ διαφερόμενον, συνᾷδον καὶ διᾷδον καὶ ἐκ πάντων ἓν καὶ ἐξ ἑνὸς πάντα. ipſamet *Heracliti* verba ſunt citata ab *Ariſtotele* in lib. *de Mundo*, itemque ab *Apulejo* in ejus libri paraphraſi; hoc eſt: *criſpa & minime criſpa una vinxeris, conſentiens & diſſentiens, unum etiam ex omnibus, omniaque ex uno.*

Hujus itaque ſententiæ tunc eruditis notiſſimæ quædam verba ad aurem vellendam lectoribus interponere ſatis habuit *Plato*: nempe hæc: διαφερόμενον γὰρ ἀεὶ ξυμφέρεταί φασιν. Sed & ad eundem *Heraclitum* pertinet epithetum Ἰάδες *Ionicæ*: non autem ad Thaletem. fuit enim ex *Ionia*, *Heraclitus* urbe Epheſo, una ex iis, quæ in Aſia πανιόνιον conſtituebant.

Porro de Muſis dubitare, quia non fuit poëta *Heraclitus*, neque verſibus quemadmodum *Empedocles* ſcripſit, non eſt eruditi. *Muſæ* enim ibi nihil aliud ſunt, niſi ingenium. Tum quas ſtudiorum præſides Deas eo nomine colebant, has non uni tantum generi diſciplinæ, aut ſtudii, ſed omni inſcribebant. teſtis *Herodotus*, qui ſuas hiſtorias *Mu-*

ſarum

ſarum nominibus vulgavit: teſtis & *Galenus*, qui in primo de *officiis partium corporis humani*, de *Socratis* ratione philoſophandi ſic loquitur: Σωκράτȣς Μȣ͂σα μιγνύειν ἀεὶ τὴν σπουδὴν ἐν μέρει παιδιᾶς; *Hæc eſt Muſa Socratis, ut ſemper ſeria jocis miſcere amet.* Cur autem eaſdem Muſas *Heracliti* συντονωτέρας, *Empedoclis* autem μαλακωτέρας appellat? Quia uterque quidem eandem Naturæ legem diverſa & oppoſita in unum contrahendi agnovit: verum Heraclitus his nec tempora, nec metas, neque circuitus poſuit; ſicut *Empedocles* qui miſcendis contrariis fatales circuitus aſſignavit. Nempe idem vidit quod *Heraclitus*. Sed minus firma & conſtanti mentis acie vicibus interpolans, quod perpetuum eſt, & quem *Heraclitus* intentum ſemper tenuit veritatis funem, ipſe tanquam manibus præ imbecillitate remiſſis laxans. Hic eſt ſenſus horum *Platonis* verborum: Αἱ δὲ μαλακώτεραι (Μοῦσαι) τὸ μὲν ἀεὶ ταῦτα οὕτως ἔχειν, ἐχάλασαν.

Dignum etiam animadverſione eſt, in iiſdem *Platonis* verbis, quod de *Heraclito* loquens, non ſimpliciter Ἰάδες: neque de *Empedocle* Σικελικαὶ ſimpliciter dixit, ſed Ἰάδες καὶ Σικελικαί τινες. *Ionicæ & Siculæ quædam Muſæ*: ne ſi ſimpliciter hæc nomina poſuiſſet, uno quidem Thales, & ceteri promiſcue ejus ſectæ: altero Siculus quivis ſcriptor aut poëta intelligeretur. Male etiam *Petavius* verba hæc *Themiſtii* eodem loco: Αἱ μὲν γὰρ τὰ θεῖα μόνα μαστεύουσαι, αἱ δ᾽ ὑπὲρ τῆς φύσεως μεριμνῶσαι; ſic vertit: *Quarum aliæ in ſola rerum divinarum inveſtigatione conſtiterant; aliæ quæ naturam ſuperant, indagabant* ceu qui res divinas inveſtigant, non etiam ea quæ naturam ſuperent, inveſtigent. Itaque ridicula eſſet diviſio illa *Themiſtii*, nimirum vir egregius per imprudentiam & aliud agens ὑπὲρ τῆς φύσεως vertit: *ſupra naturam*, cum deberet, *pro* aut *de natura.* Sed hujuſmodi παροράματα, quam utiliter ſtudio-

ſorum

ſorum cauſſa notantur, tam facile *Petavio* & ejus ſimilibus magnis viris condonantur.

CAPUT XI.

Animadverſa quadam ex Lactantio *de materiæ patibilitate.* Plotini *ſententia de eadem excuſſa.*

QUi philoſophorum ſcripta non niſi obiter & in tranſcurſu attingunt, ſumma ope cavere debent, ne cum iis manum diſputando conſerant, niſi ſe deridendos, iis qui intelligunt, præbere volunt. *Lactantius Firmianus* cujus nota omnibus facundia eſt, cum ſe a rhetoricis exercitationibus, ſubito religionis amore impulſus, ad philoſophiæ & theologiæ ſtudia contuliſſet, non contentus inde pro captu haurire, inſuper philoſophos & ceterarum diſciplinarum altiorum profeſſores paſſim provocat, cum interim nihil ad id certamen, præter ſtilum, afferre poſſet: Itaque eorum opiniones erroris damnans, non raro in pudendos ipſe errores incidit. Mitto quæ adverſus receptam & veriſſimam de *Antipodibus* opinionem differit lib. 3. de *Falſ. ſapientia*: quæ item de *Ira Dei* (quem illi plane iratum fuiſſe oportet, cum tam abſurda & impia de ipſo effutiret, hunc vere ira moveri, quemadmodum nos, niſi quod ſemper juſte; profiteri auſus; philoſophos qui aliter ſentiant, tota via errare. o hominis confidentiam!) unum modo ejusdem locum ex libro de *origine erroris* cap.9. expendere placet, qui unus inſtar omnium eſſe poteſt, noſſe volentibus *Lactantii* acumen & captum in philoſophia. Ita igitur in philoſophos antiquos materiam infectam & ſempiternam ponentes diſputat: *Materia vero ſemper fuiſſe non poteſt, quia mutationem non caperet, ſi fuiſſet. Quod enim*

nium ſemper fuit, ſemper eſſe non deſinit: & unde abfuit principium, abeſſe hinc etiam finem neceſſe eſt. Quin etiam facilius eſt, ut id quod habuit initium, fine careat, quam ut habeat finem quod initio caruit. Materia ergo ſi facta non eſt, nec fieri ex ea quicquam poteſt. Si fieri ex ea non poteſt: nec materia quidem erit: materia enim eſt, ex qua fit aliquid. Omne autem ex quo fit, quia recipit opificis manum deſtruitur, & aliud eſſe incipit. Ergo quoniam finem habuit materia, tum cum factus eſt ex ea Mundus; & initium quoque habuit. Nam quod deſtruitur ædificatum eſt, quod ſolvitur, alligatum, quod finitur, inceptum eſt. Si ergo ex commutatione ac fine materia colligitur habuiſſe principium, a quo alio fieri niſi a Deo potuit? Metuo ut ſubſtet *Ariſtoteles*, ut alii philoſophi, qui materiam primam omnium rerum naturalium, neque fieri, neque corrumpi poſſe docent. Omiſſo joco, non puto aliquid ſtolidius hoc genere argumentandi cogitari poſſe. ſic enim brevius hæc ratio colligi poteſt: quicquid deſtruitur, initium habuit; materia cum ex ea fit aliquid, deſtruitur; aliud enim eſſe incipit: ergo materia habuit initium: igitur a Deo: Deus igitur materiæ opifex. Ut ſcholarum more reſpondeam: majore propoſitione conceſſa; nego minorem; materiam, ſcilicet, cum ex ea aliquid fit, deſtrui. Si ita eſt, neceſſe erit æs aut marmor, cum ex iis ſtatua efficitur, perire. Quod ſi non pereunt, non video qnid neceſſe ſit materiam primam deſtrui & perire, cum ex ea fiunt lapides, plantæ, animalia & cetera naturæ opera. immo vero jam tum periiſſe cum Mundus factus eſt. Præterea ita arguit, tanquam philoſophi materiam fuiſſe ante Mundum ponerent. corrumpi tamen *Ariſtoteles* materiam dicit in primo φυσικῆς ἀκρόασ. Sed κατὰ συμβεβηκὸς, cum ex uno compoſito aliud prioris forma deſtructa gignitur: ſed ſi per accidens eſt hæc corruptio; igitur manet materia, cui hæc corruptio. accidit. Deſino, ne nugis confutandis tempus ipſe perdam. Cauſa erroris: quia

quia quid ſit materiam mutari & pati ab opifice, ignoravit *Lactantius*: putavit enim hoc, quod pati dicimus, uno modo uſurpari. Sed hoc *Lactantium* ignoraſſe, venia ſit. Quid dicam de *Plotino*, profundiſſimi ingenii philoſopho, & in omni diſciplinarum genere apprime verſato? obſtupeſco equidem, cum hunc coryphæum ambiguo unius vocis ſignificatu in contrarium plane errorem circa materiæ patibilitatem prolapſum video. Quod enim materiam neque fieri neque deſtrui poſſe cum aliis philoſophis intelligebat, negavit omnino hanc pati, ne ſi pati fateretur, corrumpi etiam cogeretur fateri. Sic igitur in 6. lib. *Ennead.* 3. diſputat: Τὸ γὰρ πῦρ ἐφθάρη φαμὲν, οὐχ ἡ ὕλη. ὥστε καὶ τὰ πάθη περὶ τοῦτο περὶ ὃ καὶ ἡ φθορά. ὁδὸς γὰρ εἰς φθορὰν, ἡ παραδοχὴ τοῦ πάθους, καὶ τούτῳ τὸ φθείρεσθαι, ᾧ καὶ τὸ πάσχειν. τὴν δὲ ὕλην φθείρεσθαι οὐχ οἷόν τε. Ita unum vitans errorem, in alium incidit. Quis igitur non vehementer miretur, hominem ad omnia philoſophiæ arcana admiſſum, myſteriis omnibus initiatum, qui omnes veterum ſapientum bibliothecas penetraverat, excuſſerat, pectore gerebat, quid ſub nomine hoc πάθος ambiguitatis lateret, non perſpexiſſe: & tanquam uno prorſus modo uſurparetur a philoſophis, negaſſe tam præciſe iſtud in materiam convenire. Atqui non debuit vir tantus ignorare, nec potuit, duplex eſſe πάθος apud philoſophos: & quo aliquid dum patitur, removetur a proprio ingenio, ut in aliam naturam tranſeat, quod nihil aliud eſt, quam deſtrui & in interitum ruere: quo pacto ſane lignum patitur, cum actione ignis mutatur: admotum itemque aqua, & cetera quæ ἀλλοιοῦσθαι, hoc eſt *alterari* dicuntur. Sed & πάθος de iis uſurpatur, quæ in meliorem transferuntur ſtatum, & congruentem ſibi actum & perfectionem aliunde ſuſcipiunt, qua mutatione (ſi eſt mutatio dicenda) naturam propriam neutiquam deponunt, ſed potius conſummant: talis impreſſio eſt viſibilis formæ in ocu-

 lum.

lum. Nam tunc patitur viſus & in meliorem adducitur conditionem: perficitur enim, dum actu videt. Hoc poſteriore modo philoſophi materiam pati intelligunt: dum enim ex ea aliquid fit, plane ex informi ſpecioſa efficitur, formæ ſuſceptione: hoc autem modo non interit, ſed in ſuo ordine completur.

CAPUT XII.

Emendatus Porphyrii *locus, ex libro* περὶ τῶν πρὸς τὰ νόητα ἀφορμῶν.

RECte *Muretus* lib. 8. *Var. Lect.* cap. 4. admonet, nullam eſſe mendam tam dictu exiguam, quam non magni interſit tolli e bonorum auctorum libris. Sequar ejus conſilium; & quam olim animadverti dictionem male poſitam in parte ſecunda aurei libelli περὶ τῶν πρὸς τὰ νόητα ἀφορμῶν (quo in opere *Porphyrius* manum dat nobis ad ea, quæ mente ſola uſurpantur, nitentibus, & certis gradibus, hoc eſt, documentis paulatim ſuſtollit) eam inquam, dictionem mendoſe ibi ſcriptam, obiter brevi calami ictu reſtituam. locus in exſtat in calce ejus tractatus, & ſic in editione *Holſtenii* conceptus eſt: Ἐπεὶ δὲ πρὸς τὴν ὕλην ῥέπων (μέρος ψυχῆς) ἴσχειν ἀπορίαν πάντων, καὶ τῆς οἰκείας δυνάμεως κένωσιν· εἰς δὲ νοῦν ἀναγόμενον τὸ πλῆρες αὐτῆς κατὰ τὴν δύναμιν ἔχειν τῆς πάσης ηὑρίσκετο· τὴν μὲν εἰκότως πενίαν. τὴν δὲ κόρον, οἱ τοῦτο πρῶτον γνόντες τῆς ψυχῆς τὸ πλῆρες ἠνίξαντο. Quæ verba vir de philoſophorum ſcriptis bene meritus, *Holſtenius*, ſic Latine convertit: *Quoniam vero in materiam quidem devergens omnium rerum inopiam patitur, & virium quoque propriarum defectum, ſive exinanitionem:*

ſurſum vero ad mentem elevata, totius animæ virium plenitudinem experitur: illam quidem jure merito inopiam, hanc autem ſatietatem appellaverunt, qui primi omnium hanc animæ plenitudinem ſubindicarunt. Ecce quam puſilla macula ſententiam totam infuſcat? non enim ſatiatur anima unquam contemplando: alioqui amplius non gauderet: ſicut homines, quam edendo voluptatem capiebant, eam ſaturati amittunt, & cibos reſpuunt. Hoc enim proprie κόρον Græci vocant, Latini *Satietatem. Homerus*

Πάντων μὲν κόρος ἐστὶ καὶ ὕπνου &c.

Terentius Eunucho Act. 5. ſcen. 6.

Ex meo propinquo rure hoc capio commodi:
Neque agri, neque urbis odium me unquam percipit.
Ubi ſatias cœpit fieri, commuto locum.

Quæ ſcriptoris accuratiſſimi verba oſtendunt ſatietatem cum odio, ſive, quod idem eſt, tædio proprie eſſe conjunctam: proinde & κόρος idem Græcis ſignificet, neceſſe eſt; & ex citatis *Homeri* verbis patet. Sed quorſum hæc, cum poſſim *Platonis* locum indicare, ad quem ibi alludit *Porphyrius*? ſine dubio ad fabulam reſpexit de Peniæ & Pori concubitu in hortis Jovis a *Platone* commemoratam in *Sympoſio* hæc ſunt verba: Ὅτε γὰρ ἐγένετο ἡ Ἀφροδίτη, εἱστιῶντο οἱ θεοὶ, οἵ τε ἄλλοι, καὶ ὁ τῆς Μήτιδος υἱὸς Πόρος. ἐπειδὴ δὲ ἐδείπνησαν, προσαιτήσασα, οἷον δὴ, εὐωχίας οὔσης ἀφίκετο ἡ Πενία, καὶ ἦν περὶ τὰς θύρας. ὁ οὖν Πόρος μεθυσθεὶς τοῦ νέκταρος (οἶνος γὰρ οὔπω ἦν) εἰς τὸν τοῦ Διὸς κῆπον εἰσελθὼν, βεβαρημένος εὗδεν. ἡ οὖν Πενία ἐπιβουλεύουσα διὰ τὴν αὑτῆς ἀπορίαν, παιδίον ποιήσασθαι ἐκ τοῦ Πόρου, κατακλίνεταί τε παρ' αὐτῷ καὶ ἐκύησε τὸν Ἔρωτα. i. *Quando nata eſt Venus, parato convivio diſcuberunt Dii cæteri, & Metidis filius Porus abundantiæ Deus. cum cœnati eſſent, Penia, hoc eſt paupertas, mendicatura cibum, utpote epulis illic large appoſitis venit, & ad fores ſtabat. At Porus quidem nectare ebrius (nondum enim vinum in uſu erat) cum Jovis hortum ingreſſus eſſet, ibi ſomno gra-*

gravatus jacebat. Penia autem ob inopiam conſilium capit filium ex Poro per inſidias ſuſcipiendi; cumque illi accubuiſſet, Amorem concepit. Ex his igitur verbis apparet non κόρον, ſed Πόρον eo *Porphyrii* loco ſcribi debere, cum ſit, uti dixi, alluſio ad fabulam philoſophicam, de animæ cum intellectu conjunctione, per quam ex inope locuples ſit, & veris bonis repletur. De hac fabula vide & *Plotinum* lib. 5. *Ennead.* 3.

CAPUT XIII.

Locus e Themiſtii *orationibus enucleatus. quis ibi* novus Empedocles?

IN *oratione ad Jovianum Imperatorem* locus occurrit, in quo fit mentio *junioris Empedoclis.* Ibi doctiſſimus interpres in notis, quas ad eum auctorem dedit, ſic conjecturam ſuam proponit, ut periculum metuat. Sane non immerito, quando ex eo periculo, ut mox patebit, ſe expedire non potuit. Ad quem locum priuſquam accedo; nonnulla de *Themiſtii* in ea oratione propoſito præmittere operæ pretium eſt. Ad Jovianum Imperatorem habita hæc oratio eſt Dardaſtanæ, cum poſt ſuſceptum imperium, Conſtantinopolim revertens per eam urbem tranſiret; *Themiſtius* autem cum aliis Senatorii ordinis principibus eodem ſe contuliſſet, congratulandi cauſſa, ut mos eſt. Ad laudes igitur imperatoris converſus, hoc in primis nomine eum commendat, quod liberum unicuique relinqueret, quam a Majoribus religionem accepiſſet, eam tenere, idque edicto ſanxiſſet: tum hoc Diis oppido gratum acceptumque eſſe, ſi quis numen ſuo modo colat, ſpecioſa & plauſibili oratione diſſerit.

rit. Ibi igitur & de Chriſtianis mentione injecta, quod ſtatim imperii exordio Jovianus haud obſcure ſe Chriſtianum profeſſus fuerat, nec ſe veræ religionis fautorem & defenſorem diſſimulabat. (Συρίους autem, hoc eſt *Syros*, eos appellat a loco, unde primum lux illa Mundo effulſit; quomodo & *Syneſius* in 4. epiſtola, Amarantum nauclerum, cum Judæus eſſet.) Hinc quoque materiam laudis captans *Themiſtius*, principis in eo inſtituto diligentiam non tacet, qui ſic Chriſtianæ ſapientiæ jura omnia & ſcita didiciſſet, ut nihilo deterius *Empedocle* ea enarrare poſſet, non utique illo vetere, ſed recentiore. verba adſcribam: Ἀγαθαι μὲν οὖν καὶ τοὺς ἄλλους τοῦ νόμου προσήκει τὸν θειότατον αὐτοκράτορα, μάλιστα δὲ οἷς οὐκ ἐφίησι μόνον τὴν ἐλευθερίαν, ἀλλὰ καὶ τοὺς θεσμοὺς ἐξηγεῖται οὐ φαυλότερον Ἐμπεδοκλέους, οὐ μὰ Δία ἐκείνου τοῦ παλαιοῦ. i. *Ac cum ceteros omnes divinum imperatorem noſtrum amare de ea lege plurimum oporteat, tum eos potiſſimum id facere convenit, quibus non modo libertatem tribuit, ſed & jura ipſorum explicat, nihilo ſane Empedocle deterius, non illum dico antiquum.*

Ibi æſtuat non parum doctiſſimus interpres, quem ibi *Empedoclem* innuat *Themiſtius*: quando non de antiquo *Empedocle*, illo ſcilicet *Agrigentino*, ſeſe loqui ſignificat: propriam deinde conjecturam timide hunc in modum, & cunctanter ſubjungit: *Sed quid* (inquit) *Empedocles ille? prorſus cum periculo me illinc expediam, ac conjecturam duntaxat meam, non quaſi* κυρίαν δόξαν *explicabo. Empedoclem igitur, opinor, Chriſtum Dominum gentilis homo, atque impius vocat; quaſi ſe ille, perinde ut Empedocles, Deum haberi voluerit, eoque ipſo ſuo conatu mortem ſibi arceſſiverit. Ait enim: cum omnes ob ſancitam in tenenda religione libertatem imperatori gratulari, tum eos maxime decere, quorum inſuper jura & ritus explanat (haud dubie Chriſtianos, atque illam fidei profeſſionem indicans) idque ait, nihilo deterius Empedocle, non illo dico veteri, ſed novo, id eſt Chriſto, qui Empedocli ſimi-*

 lis.

lis. ſed aperte dicere de Chriſto auſus non eſt, ne pium ac Chriſtianum principem offenderet. Atque utinam aliam hæc quæ dicit, ſententiam pati poſſint? Magno quippe redemptum velim, ut ne tam conſceleratum dictum, elegantiſſimis hiſce ſcriptis illigatum fuerit. Hactenus vir ille clarus. Quæ ejus verba modeſtiæ & candoris plena cum lego, non poſſum mihi temperare quin gaudeam, me reperiſſe, id quod vir tantus optavit, & magno redemptum voluit, alium videlicet ſenſum, quo impia vox e ſcriptis *Themiſtii*, quem auctorem & ipſe amo, æternum faceſſat. Nempe is *Empedocles*, ille ipſe *Peregrinus* eſt, Cynicus philoſophus, *Luciani* & *Gellii* æqualis, utrique notus, & dictus: verum diſpari admodum conſilio. Hujus enim ſatis honorifice mentionem facit *Gellius* in *noctibus Atticis* lib. 12. cap. XI. *Lucianus* acerbis & petulantibus conviciis in libro inſcripto de *Morte Peregrini*, proſcindit. Ibi narrat, quemadmodum patria profugus & errans, Chriſtianæ militiæ nomen dediſſet in Palæſtina: quam doctus in ea eſſet, quam eminens doctrina ſupra alios Chriſtianos, ut ſacros libros publice cum omnium applauſu enarraret, iis magiſter, propheta, omnia eſſet. Καὶ τί γὰρ ἐν βραχεῖ, παῖδας αὐτοὺς (Χριστιανοὺς) ἀπέφηνε, προφήτης, καὶ θιασάρχης, καὶ ξυναγωγεὺς καὶ πάντα μόνος αὐτὸς ὤν. Ut denique ejurato Chriſtianiſmo, ad Cynicam ſectam ſe contuliſſet, ac demum inſano gloriæ amore furens, pyra exſtructa, Olympiæ in totius Græciæ conventu ſeſe ſponte flammis abſumendum dediſſet, exemplo *Empedoclis*, quem pari veſania in Ætnæ crateres ſeſe ipſum præcipitem conjeciſſe fama obtinuit. Quod igitur non alius ab iſto Peregrino, nomine *Empedoclis junioris* deſignetur eo loco *Themiſtii*, his ſufficienter demonſtratum arbitror.

CAPUT XIV.

Cebetis tabulæ *lux. diſcuſſa caligo pravæ quorundam interpretationis. Stupenda de* ictu ſerpentum.

UBi ſenex *tabulæ* interpres & myſtagogus eos indicans, quos virtus jam ad ſupremam periboli arcem & faſtigium perduxit, laborum ibi plenam mercedem & fructum percipientes, hos ſic mala omnia prioris vitæ evaſiſſe dicit, ut nullis amplius moleſtiis eorum voluptas perturbari poſſit. Hanc autem ſecuritatem quadam comparatione illuſtrat, verba adſcribam: Ἁπάντων γὰρ κυριεύει καὶ ἐπάνω πάντων ἐστὶ τῶν πρότερον αὐτὸν λυπούντων· καθάπερ οἱ ἐχιόδηκτοι. τὰ γὰρ θηρία δήπου πάντας τοὺς ἄλλους κακοπαθοῦντα μέχρι θανάτου, ἐκείνους οὐ λυπεῖ, διὰ τὸ ἔχειν ἀντιφάρμακον αὐτοὺς τοῦτο. καὶ τοῦτον οὐδὲν λυπεῖ, διὰ τὸ ἔχειν ἀντιφάρμακον. i. *Superior enim dominuſque eſt iis omnibus, quæ ipſi antea moleſtiam exhibebant, haud aliter ac qui a vipera morſi ſunt. Quippe beſtiæ illæ alios ad mortem uſque cruciantes, his innoxiæ exiſtunt, quia habent remedium, quod ei peſti opponant: nempe iis pro antidoto eſt, ſemel fuiſſe ictos, neque quicquam ultra eos hujus generis affligit, quod tali remedio muniantur.* Hic torquet doctos res inopinabilis, & prodigii inſtar, eum quem ſemel vipera icerit, neque a vipera in poſterum ulla, neque aliis venenatis appeti, plane enim hunc ſenſum verba animo objiciunt. Non parum igitur in hujus loci explicatione æſtuant, variaſque addacunt lectiones, vel potius emendationes vocis hujus ἐχιόδηκτοι. *Velſius* autem, qui hanc *Cebetis tabulam* verſione, & commentariis auxit, novam affert interpretationem. *Nam* (inquit) *ut hi, qui viperinum morſum ſunt experti, periculo cautiores redditi,*

remedio ſeſe adverſus venenatorum morſus & ictus, ceteraque incommoda muniunt; ita & ille vitiorum pravitate percepta ac cognita, præſenti virtutis, ut dictum eſt, antidoto contra vitia ſeſe inſtruxit. Atque mea quidem ſententia, hujus loci hæc vera eſt explicatio. Nam quod dicunt nonnulli, ut propemodum auctoris verba ſonare videntur, hoc ipſum ſcilicet, viperæ morſum fuiſſe ipſis remedii contra venenata omnia eſſe loco, id an verum ſit, neſcio, cum apud nullum veterem auctorem, & fide dignum ſcriptorem, quippiam hujusmodi invenerim. Nam quod ſerpentes nec Pſyllis, nec Marſis nocent, id ad genus ipſorum referunt, quemadmodum & aliorum quorundam venenatis reſiſtendi vim ad alias quasdam cauſſas. Ita quidem vir ille ſe ab hac difficultate expedire conatur; ſed non videt ſuam expoſitionem non quadrare auctoris verbis. Non ſolum enim non ad mortem lædi, ſed omnino non lædi a ſimilibus beſtiis, qui ſemel a vipera icti ſint, clare affirmat. quod plane verba hæc ſonant: Τὰ γὰρ θηρία δῆθεν πάντας κακὸ ποιοῦντα μέχρι θανάτου, ἐκείνους οὐ λυπεῖ. *Etenim beſtiæ virulentæ, quæ omnes ad mortem uſque lædunt, illos non lædunt.* Si non lædunt, ergo neque appetunt morſibus; quos enim ſerpens mordeat, ab eo lædi haud dubium eſt. Quare ſequeretur ex illa *Velſii* interpretatione, eum, qui ſit antidoto munitus, ne appeti quidem atque ici ab iis animalibus poſſe. Quod ego non minus mirabile judico, ea ſententia, quam is ut inexplicabilem repudiat. Præterea non ſolum qui ſemel ictus fuiſſet, & ab eo tempore ſemper antidoto munitus incederet, non poſſet lædi a talibus beſtiis, ſed & quivis unquam antea earum vim paſſus, adverſus omnes ejusmodi injurias & pericula tutus medicamenti beneficio degeret. Atqui non omnes vel optimis antidotis inſtructi, ſed ἐχιόδηκτοι tantum, *a vipera demorſi*, ab eo genere animalium tuti in poſterum eſſe dicuntur. Non quadrat igitur, ut dixi, hæc interpretatio literæ, infuſcatque ſententiam, & corrumpit potius, quam explicat. Eo

igitur

igitur quod verba ſonant, ſenſu poſito, ad rem ipſam conſiderandam venio. Ac quod *Velſius* a nullo id obſervatum dicit, diligentiam ejus requiro. Non a multis id annotatum, fateor; a nemine quicquam ejusmodi obſervatum proditumque, ex quo ſimilis ſententia huic, quam *Cebetis* verba allata præferunt, eliciatur, plane inficior. Quæ igitur ad hanc rem pertinentia notavi apud *Plinium* lib. 28. cap. 3. proferre atque accuratius perpendere placet. Ibi occultis quibusdam ex homine remediis proditis, ut ex *Pſyllis* & *Marſis* contra *Serpentes*, ex *Tentyritis* contra *crocodilos*, ſubdit: *Horum omnium generum in ſua repugnantia interventum quoque mederi conſtat, ſicuti aggravari vulnera, introitu eorum, qui unquam fuerint ſerpentium caniſve dente læſi. Iidem gallinarum incubitus, pecorum fœtus, abortu vitiant. Tantum remanet virus excepto ſemel malo, ut venefici fiant venena paſſi.*

Hoc primum velim notari, quem ſcilicet, ſerpens ſemel percuſſerit, eum, licet theriacalium præſidio peſtem effugiat, nunquam tamen ita liberari, ut non a priſtino, ab inſultu & impreſſione belluæ vis & proprietas occulta veneni & tanquam ſeminia in ipſo hæreant, quamdiu vivit, quibus quaſi alteram naturam puta ſerpentis, adſcitam intus retineat. Hinc enim quod *Plinius* dicit, plane efficitur, ut eorum qui ſunt percuſſi a ſerpentibus, vulnera, aliorum idem olim paſſorum interventu recrudeſcere atque aggravari poſſint. eo quod aliquid virulentum ab ipſorum corpore in vulnus tranſeat. Nec prætereunda, quæ eodem loco ſequuntur: *Rurſus* (inquit) *a ſcorpione aliquando percuſſi, nunquam poſtea a crabronibus, veſpis, apibuſve feriuntur.* tum quæ idem habet, in proœmio ſeptimi libri: *Serpentum morſus non petit ſerpentes.* Ex his, niſi fallor, lux *Cebetis* verbis & ſententiæ additur: ſi dicamus, quemadmodum venenatæ beſtiæ inter ſe non ſæviunt, neque morſus ſerpentum petit ſerpenres; ſic neque ea animalia eadem ratione ferirceos quos vipera ſemel mo-

morderit: quod ut *Plinius* ait, venefici fiant venena paſſi, ceu illo ictu, quem olim paſſi ſint, in genus & familiam, ut ſic dicam, ſerpentum pridem adſciti fuerint. Ceterum de hoc miraculo, quod auctor illius *tabulæ* memorat, an ſit verum, viderit ipſe. Sed ſi eſt verum: non alia cauſſa fieri putem, ab ea quam attuli. quod ſcilicet ſemel icti a vipera corpus virulentiam contraxerit. Cui conjecturæ ſane aliquam probabilitatem affert, quod *Fabricius Hildanus*, nobilis chirurgus, narrabat, ſeſe peſte olim in juventute affectum, longo poſt tempore, ſi forte domum peſte infectam præteriret, ſola approximatione nonnullum in parte multos ante annos tumore peſtilenti affecta dolorem ſenſiſſe, quod adhuc in parte illa nonnihil ſupereſſet contagii olim accepti. De qua re videndus ſagax naturæ indagator, *Robertus Boyle*, in *Suſpicionibus Coſmicis*.

CAPUT XV.

De iis, quos vipera momordit, locus Platonis *in* Sympoſio *explicatur. nonnulla obiter de* Periaptis, *&* *de* animæ immortalitate.

DE eorundem ἐχιοδήκτων conſuetudine *Plato* occultius quiddam nobis divinandum reliquit his verbis: ἔτι δὲ τὸ τοῦ δηχθέντος ὑπὸ τοῦ ἔχεως πάθος κἀμὲ ἔχει. φασὶ γάρ πού τινα τοῦτο παθόντα, οὐκ ἐθέλειν λέγειν, οἷον ἦν, πλὴν τοῖς δεδηγμένοις, ὡς μόνοις γνωσομένοις καὶ συγγνωσομένοις, εἰ πᾶν ἐτόλμα δρᾶν τε καὶ λέγειν ὑπὸ τῆς ὀδύνης. *Præterea non aliter affectus ſum, quam ille, quem vipera momordit. Illum quippe ferunt, quo pacto affectus eſſet, aperire nolle, niſi iis qui idem paſſi ſunt, utpote qui ſoli de eo affectu judicare atque etiam ignoſcere poſ-*

poſſint, ſi quis dolore coactus quidvis & facere & loqui ſuſtineat. Sunt hæc Alcibiadis verba, qui ibi inducitur laudans Socratem, ac inter familiares bene potos confidenter recitans, quid olim, dum adoleſcens eſſet, vehementique philoſophiæ amore flagraret, ad eam ſitim explendam pati a Socrate voluiſſet. Minus porro vereri ſe ait, apud eos quicquid iſtius eſt, fateri, quos ſimili olim philoſophandi œſtro percuſſos fuiſſe non dubitet: quod aliis ut palam faceret, nunquam adduci poſset, prohibente verecundia, velut olim a vipera ictis obſtat pudor, quominus, quid facere doloris impatientia ſuſtinuerint, fateantur.

Quid autem dolor & mortis metus ἐχιοδήκτους cogeret, non exprimit quidem *Plato*: ſed conjicio intelligi debere *carmina*, *Periapta*, *annulos magicos*, & alia id genus antiquæ ſuperſtitionis. Quo pacto apud *Homerum* in *Odyſſea*, Ulyſſi ſaucio ſanguis e vulnere erumpens carmine ſiſtitur:

—— Ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν
Ἔσχεθον ——.

Sed & ſerpentum morſus hoc modo levabant, beſtias ipſas ſopiebant. *Virgil. Æneid.* 7.

Quin & Marrubia venit de gente ſacerdos
Fronde ſuper galeam & felici comptus oliva,
Archippi Regis miſſu fortiſſimus Umbro:
Vipereo generi & graviter ſpirantibus hydris
Spargere qui ſomnos, cantuque manuque ſolebat,
Mulcebatque iras & morſus arte levabat.

De *annulis* quidem adverſus ſerpentes, teſtatur *Scholiaſtes Ariſtophanis* ad hos verſus in *Pluto*,

Οὐδὲν προτιμῶ σου, φορῶ γὰρ πριάμενος
Δακτύλιον τονδὶ παρ' Εὐδάμου δραχμῆς.

Ibi *Schol.* Φιλόσοφος δὲ ἦν οὗτος ὁ Εὔδαμος φυσικοὺς δακτυλίους ποιῶν πρὸς δαίμονας καὶ ὄφεις, καὶ τὰ τοιαῦτα. ἐθεράπευον γὰρ τοὺς ὀφιοδήκτους. i. *Philoſophus erat Eudamus iſte, & Phy-*

ſicos

ſicos annulos conficiebat contra Dæmones, Serpentes, & alia id genus. a ſerpentibus enim demorſos curabant. Periapta etiam variis modis applicari ſolita notum eſt. At enimvero cordatus quisque, ut par eſt, hæc magicæ vanitatis ludibria aſpernabatur. Et tamen virulentis appetitos morſibus, doloris impatientia interdum cogebat vulgi more abſurda illa admittere, ſed in occulto: quod ſi cui accidiſset, præ verecundia celabat diligenter omnes, iis exceptis, quos eadem neceſſitate aliquando conſtrictos fuiſſe noſſet. Pudoris illius cauſſam *Alexander Aphrodiſæus* ſatis declarat in lib. Περὶ εἱμαρμένης, hunc in modum: Ἄδηλα δὲ τὰ αἴτια ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ ἐκείνων μᾶλλον, ἃ κατά τινας ἀντιπαθείας γίνεσθαι πεπίστευται, ἀγνοουμένης τῆς αἰτίας δι᾽ ἣν γίνεται. οἷα περίαπτά τέ τινα προσείληπται, οὐδεμίαν εὔλογον καὶ πιθανὴν αἰτίαν τοῦ ταῦτα ποιεῖν ἔχοντα. Ἔτι δὲ ἐπαοιδαί, καί τινες τοιαῦται μαγγανεῖαι. τούτων γὰρ ὁμολογεῖται μὲν ὑπὸ πάντων ἄδηλος εἶναι ἡ αἰτία, διὸ ἀναιτιολόγητα λέγουσιν αὐτά. i. *Magis autem occultæ humano intellectui cauſſa eorum, quæ per naturales diſcordias fieri creduntur; cum cauſſa propter quam fiunt, prorſus ignoretur. Quod genus ſunt amuleta quædam vulgo recepta, nullam habentia cauſam rationi conſentaneam neque probabilem, cur talia efficiant. Eadem ratio eſt incantationum atque operationum quarundam magicarum. Quippe harum occultam omnes cauſam eſſe fatentur, ideo* ἀναιτιολόγητα, *hoc eſt, inexplicabilia appellantes.*

Quod autem ejusmodi remedia præter rationem commendata, viris cordatis contemptui eſſent, & ſi uſi eſſent, pudori, argumentum ex *Plinii* verbis ſumi poteſt; lib. 28. cap. 2. ubi de carminibus magicis, quo minus illa prodat; ſibi verecundiam obſtare fatetur: *Carmina* (inquit) *quædam exſtant contra grandines, contraque morborum genera, contraque ambuſta quædam etiam experta: ſed prodendo obſtat ingens verecundia, in tanta animorum varietate.* Tum ex iis quæ *Plutarchus* narrat in *vita Periclis*; paſſum ſcilicet ſibi quæ-

dam

dam frivola applicari Periclem, cum in extremis verſaretur, atque amico inviſenti, & de valetudine interroganti, oſtendiſſe appenſas collo *magicas nugas* & *periapta*; argumento, quod peſſime haberet, qui tales remediorum nugas admitteret. Significat autem *Plutarchus*, corpore oppreſſo animum pariter langueſcere ob ſympathiam: unde *Theophraſti* diſputatio in libris *Moralium*, quos nobis vetuſtas invidit: an etiam mores fortunæ exponantur, & virtus morbis amitti poſſit? Ubi animi conſtantiam & virtutem humanis caſibus non eſſe inſuperabilem hoc Periclis facto monſtrabat. Ὁ γοῦν Θεόφραςος ἐν τοῖς ἠθικοῖς διαπορήσας, εἰ πρὸς τὰς τύχας τρέπεται τὰ ἤθη, καὶ κινούμενα τοῖς τῶν σωμάτων πάθεσιν ἐξίςαται τῆς ἀρετῆς, ἱςόρηκεν ὅτι νοσῶν ὁ Περικλῆς, ἐπισκοπουμένῳ τινὶ τῶν φίλων, δείξειε περίαπτον ὑπὸ τῶν γυναικῶν τῷ τραχήλῳ περιηρτύμενον, ὡς σφόδρα κακῶς ἔχων, ὁπότε καὶ ταύτην ὑπομένοι τὴν ἀβελτηρίαν.

At enimvero huic noſtræ interpretationi quorundam veterum medicorum auctoritas refragari videtur, cum in cenſu remediorum & iſta *Phyſica*, hoc eſt, *naturalia*, (ita enim vocant) ad graviorum morborum expugnationem commendant. nam ſi aliqua iis ad eos effectus naturalis facultas ineſt, non debent contemni; tum veriſimile non eſt, vim eam veteres non potius admiratos, quam aſpernatos fuiſſe. In eo albo *Trallianus* libro I. in capite *de morbo comitiali*, qui poſtquam complura in uſu medico habita remedia propoſuit, ad hæc minus uſitata, & in alto poſita tanquam ad ſacram anchoram curam convertit hoc titulo: Φυσικὰ πρὸς ἐπιληπτικούς. Sic autem præfatur: Ταῦτα μὲν οὖν εἴρηται περὶ τῶν ἐπιληπτικῶν, ὅσα τε ἡμεῖς ἔγνωμεν, καὶ ἡ μακρὰ πεῖρα ἐδίδαξεν. ἀλλ᾽ ἐπειδὴ τοῖς φυσικοῖς καὶ περιάπτοις χαίρουσί τινες, καὶ τούτοις κεχρῆσθαι ζητοῦσι, καὶ κατὰ τὸ ἀληθὲς, αὐτῶν τυγχάνουσι τοῦ σκοποῦ, πρέπον ἐνόμισα τοῖς φιλομαθέσι, καὶ περὶ τούτων ἐκθέσθαι τινὰ, ὥςε τὸν ἰατρὸν πανταχόθεν εὔπορον εἶναι, εἰς τὸ βοηθεῖν δύνασθαι τοῖς κάμνουσιν.

i. Hæc

i. *Hac igitur de comitialibus dicta ſunt, quæ & nos cognovimus, & longa experientia docuit: verum cum nonnulli naturalibus, quæ alligari ſolent, gaudeant, eiſque uti deſiderent, & re vera, id quo intendunt, aſſequantur, conveniens exiſtimavi, ſtudioſis de his quoque nonnulla percenſere, ut medicus omni ex parte ad opem ægris ferendam ſit inſtructus.* Sed neque *Galenus* id genus remediorum improbaſſe videtur, aut eorum mentionem faciens, in nono ſcilicet librorum *de Simplicium medic. facultatibus*, aſpernatur tanquam futilia & a medicis aliena, ſed potius commendat: quorundam ſe periclum feciſſe indicans, atque auctores, qui de iis ſcripſerunt citans. tametſi quod non, niſi obiter ipſe attingit eo loco; alio tempore & loco conſideraturum promittit. Quid igitur? Quæ *Galenus* remedia non ſprevit, quæ *Alexander* & alii inter opes medicas recenſent & laudant; aliquis credat antiquioribus ita vulgo fuiſſe deſpecta, ut viros prudentes, ſi qui forte uſi eſſent, puderet fateri?

Has ut dubitationes depellam, primum quidem quod ad eorum remediorum appellationem attinet, *naturalia* eſſe dicta ajo, ut ab iis, quæ ſub artem medicam cadunt, diſtinguantur. Quod enim ars naturæ, artificioſa nativis opponi ſolent; placuit quæ nec ratione inventa eſſent, neque contemplantibus ullam de ſe conjecturam præberent, quamobrem huic potiſſimum morbo adhibeantur, aut cauſſam utilitatis indaganti, ullam vel probabilem, nedum certam & evidentem offerrent, ideoque artis modum excederent, *Naturalia* vocari, tanquam extra artem & methodum inducta. Quod hæc ſit ratio hujus appellationis, oſtendo *Galeni* ipſius verbis, citato loco: Ἐισὶ δὲ καὶ ἄλλοι τινὲς λίθοι περιαπτόμενοι πρός τινων, ἔνιοι δὲ καὶ χαρακτῆράς τινας ἐγγραφομένους ἔχοντες, καὶ γράμματα, καθάπερ καὶ ὁ πρὸς τὰς αἱμοῤῥοΐδας ἥρμοκεν ἱερακίτης, οὗ καὶ ἡμεῖς ἐπειράθημεν. ἀλλ' οὐ νῦν περὶ τῶν τοιούτων λέγειν καιρός, τῶν ἐξ ἐμπειρίας μόνης ἐχόντων τὴν πίστιν, οὐ κατὰ μέθοδόν τινα λογικὴν, εἰς

χρῆσιν

χρῆσιν ἡγουμένων. ἀλλὰ οὖν ὁ περὶ τούτων ἔσαι καιρός τε καὶ τόπος. i. *Sunt & alii lapides nonnulli, qui adverſus quædam ſuſpenduntur. Ceterum quidam characteres quoſdam & literas inſcriptas habent: ſicut qui hæmorrhoidibus congruit hieracites: cujus nos fecimus periclum. Sed non eſt nunc tempus de illis diſſerere, qui ſola experientia fidem habent, ac non rationali quadam methodo in uſum veniunt. Aliud de his dicendi tempus erit & locus.* Quibus *Galeni* verbis apparet, iſta extra artis methodum poſita, naturalia eſse nominata, quo dixi ſenſu, prout ſcilicet naturalia dicuntur, quæcunque ſub artem non cadunt. Quod autem hæc probare videtur *Galenus*, ut efficacia in morbis, & nonnullorum vim ſe expertum dicit, quorum nulla ratio afferri poteſt, hoc nihil ad eos pertinet, qui quæ ratione comprehendi non valent, riſu explodere malunt, quam excutere. Quo morbo & quoſdam illuſtri ingenio viros laborare animadverti. Sic multos videre eſt, qui Dæmones negent, qui magiam & incantationes pro fabulis atque anilibus deliramentis habeant. Sic Poëta *Horatius* Gnatianos, ut inſanos deridet, quod thura in ara liqueſcere abſque igne dicerent. Ipſe ego, licet magicos effectus non nego, neque *Homerum* & alios mentiri dico, dum carmine ſanguinem vulneris ſuppreſſum, & alia monſtrifica produnt, non tamen doloris utcumque atrocis violentia aut periculo adduci poſſim, ut talia mihi adhiberi patiar ſuperſtitioſa, neque a Deo ordinata in cenſu agentium, quibus naturaliter ſanantur morbi: Neque ſatis *Plinium* laudare poſſum, dum eos caſtigat, qui comitiali morbo laborantes, remedii loco, cruorem e vulnere manantem ſpirantemque moribundi gladiatoris ſorbebant. *Vitam quidem* (inquit) *non adeo expetendam cenſemus, ut quoquo modo trahenda ſit. Quisquis es talis, æque moriere, etiam cum obſcœnus vixeris, aut nefandus.* Sic *Plotinus*, teſte *Porphyrio*, in ejus vita; cum coli ſæpe cruciatu torqueretur, nunquam tamen adduci po-

potuit, ut clyſteres, præſens affectionis remedium, & optima ratione inductum, admitteret, verecundia, ut arbitror, quæ magna in illo inerat, aut, *theriacis antidotis* uteretur, in quibus carnes viperinas medicamentis aliis admixtas, ſubactaſque eſſe non ignorabat, cauſſatus inſtitutum, qui ne manſuetorum quidem animalium carnes inter cibos recipere conſueviſſet.

Quanto igitur magis graves & ſapientes viros putandum eſt abhorruiſſe ab iis omnibus,quæ præter rationem ad morbos curandos adhiberi intelligerent; vel certe erubuiſſe ac veritos fateri, ſi quid horum dolore victi admiſiſsent. Quin licet crederent magicis nugis ac portentis curari morbos, non propterea tamen vel ſic curati portentoſæ opis latebras libenter fatebantur, ſed ſuæ gravitatis eſse cenſebant, cum in remediis, tum in philoſophia quodcumque ratione careret, id contemnere. Hoc cum multis documentis a me animadverſum apud antiquos, nunc uno exemplo confirmabo *Plinii*, quem animam mortalem plane credidiſse, nemo non judicet, ea legens quæ habet lib.2. cap. 55. ubi de *anima* ſive de *manibus* diſputat. *Poſt ſepulturam*, (inquit) *aliæ atque aliæ manium ambages. Omnibus a ſuprema die eadem quæ ante primam: nec magis a morte ſenſus ullus aut corpori aut animæ, quam ante natalem. Eadem enim vanitas in futurum etiam ſe propagat, & in mortis quoque tempora ipſa ſibi vitam mentitur. alias transfigurationem, alias ſenſum inferis dando, & manes colendo, Deumque faciendo, qui jam etiam homo eſſe deſierit.* Nihil dici poteſt apertius, neque preſſius contra animæ immortalitatem. Atqui idem qui animam corpori ſuperſtitem fateri, vanitatem & mendacium tam præciſe pronunciat, Druſi Neronis pridem exſtincti monitu in ſomnis, opus non mediocris laboris ſuſcipere atque inchoare non dubitavit. Ita enim de eodem *junior Plinius*, Sororis ejus filius teſtatur, in *epiſtola* ad *Marcum*: qua avunculi librorum indicem dat: *Bel-*

lorum

dorum *Germaniæ viginti* (libros) *quibus omnia, quæ cum Germanis geſſimus bella, collegit. Inchoavit, cum in Germania militaret, ſomnio monitus. Adſtitit enim ei quieſcenti, Druſi Neronis effigies, qui Germaniæ latiſſime victor, ibi periit. Commendabat memoriam ſuam, orabatque, ut ſe ab injuria oblivionis aſſereret.* Ex quoquis non videt eum prorſus credidiſſe animam Druſi vivere, & ab ipſa vere ſe admonitum in ſomnis? aliter ſi merum ſomnium putaſſet, contemni oportuit. Sed de hac veterum conſuetudine plura in noſtris libris *de Animæ immortalitate.*

Hæc generaliter pro Pericle & aliis gravitatem profeſſis dici poſſunt: quod ad *Galenum* & alios Medicos attinet, cavendum eſt; ne ejus verbis, citato loco, erremus: putantes; quia Jaſpidem viridem ſtomacho applicatum; prodeſſe experientia edoctus fatetur, ac torquem ex iiſdem lapillis confertum a collo ſuſpendi non improbat; continuo & figuras iis inſculptas putaſſe ad rem pertinere; atque alicujus momenti. Immo poſtquam earum figurarum meminit, quæ annulis ex eo lapide confectis inſculpi ſolerent, (Draconis autem radios habentis effigiem; ex Necepſos Regis præcepto incidebant) verba hæc notatu digna ſubjungit: Τούτου μὲν οὖν τοῦ λίθου κἀγὼ πεῖραν ἱκανὴν ἔχω, καὶ ὁρμαθόν γέ τι ποιήσας ἐκ λιθιδίων τοιούτων, ἐξῆπτον τοῦ τραχήλου σύμμετρον οὕτως, ὡς ψαύειν τοὺς λίθους τὸ στόμα τῆς γαστρός. ἐφαίνοντο δὲ μηδὲν ἧττον ὠφελοῦντες, εἰ καὶ τὴν γλυφὴν οὐκ ἔχοιεν, ἣν ὁ Νεχεψὼς ἔγραψε. i. *Sane hujus quoque ipſe lapidis abunde periculum feci: Torquem enim ex hujuſmodi lapillis confectum a collo ſuſpendi, ita ut lapides os ventris contingerent. Apparebant autem nihilominus prodeſſe, etiamſi ſculpturam non haberent, quam ſcripſit Nechepſos.* De lapide igitur ipſo, & vi naturali hoc teſtatur *Galenus*, non de ſcalptura, quam aperte eo loco inefficacem eſſe, & ſuperfluam pronuntiat. In ſexto autem ejusdem operis libro; cap. 1. de Pamphilo ac volumine ejus loquens; & *Peria-*

pta, & *verba*, & alias ejusmodi præſtigias, ac magicas nugas omnes, ut ab anilibus fabulis nihil differentes, a medicinæ ſacrario clara & exſerta voce explodit: ἀλλ' ἐκεῖνος μὲν εἴς τε μύθους γραῶν τινας ἐξετράπετο, καί τινας γοητείας ἅμα τισὶν ἐπῳδαῖς, ἃς ἀναιρούμενοι τὰς βοτάνας ἐπιλέγουσιν. καὶ δὴ κέχρηται πρὸς τὰ περίαπτα, καὶ ἄλλας μαγγανείας, οὐ περιέργους μόνον, οὐδ' ἔξω τῆς ἰατρικῆς τέχνης, ἀλλὰ καὶ ψευδεῖς ἁπάσας. Ubi obiter velim notari, quam expreſſe *Galenus* vires in lapidibus, & aliis medicamentis, ratione inexplicabiles, & occultas agnoſcat; tametſi non hoc loco tantum, ſed & aliis paſſim eaſdem admittit: Quam petulanter hodierni ſophiſtæ explodant, cum interim nihil ad eorum effectuum, qui in hoc genere obſervantur, explicationem afferant, præter corpuſculorum figuras imaginarias, meatûs iis congruentes, aut penitus diſpares, hoc eſt, ſtultas hypotheſes. Fuit enim, ut *Averrois* ait, *Galenus* legitimus & ſolennis explorator cum facultatum cujuſque medicamenti, tum eorum omnium, quæ experientia in eo genere erui poſſunt. Cui proinde fidem adhibendam cenſet; maxime, cum ſe aliquid expertum dicit.

Supereſt *Alexander Trallianus*, qui apertius *characteres*, atque etiam *carmina* & præſtigias in uſum medendi recipit, quam ut defendi ullo modo poſſit. Verum neque hujus, neque quorundam *Platonicorum* barbaricas haſce ſuperſtitiones ſectantium auctoritas quenquam movere debet. Qui ipſi parum curarunt, qualis eorum ratio eſſet, quibus ad medendum uterentur, modo ſe iis ad finem propoſitum pervenire poſſe ſperarent.

CAPUT XVI.

Quid ſint decani; *quid* ſacræ decanis herbæ *apud* Pamphilum?

IN eodem libro ſexto *de Simpl. Medicamentorum facultatibus* meminit *Galenus* ex eodem *Pamphilo*, *Decanorum*, & dæmonum quibus nonnullas herbas magi aſſignarent: tanquam iis naturæ quodam ſymbolo aptas, ideoque conſecratas. Quod quid ſit, noſſe, ſi non penitus neceſſarium medico ad morbos curandos, certe conveniens eſt, ei qui ſe in eorum medicorum numero haberi velit, quos Græci χαριέντας vocant. *Galeni* verba hæc ſunt: Εἰ δ' ἄρα καὶ δέοιτο τοῦ βιβλίου, τίς οὕτως ἄθλιος, ὡς παρελθὼν τὰ Διοσκορίδου καὶ Νίγρου, καὶ Ἡρακλείδου, καὶ Κρατεύα καὶ ἄλλων μυρίων ἐν τῇ τέχνῃ καταγηρασάντων, βιβλία γραμματικοῦ γράφοντος (Παμφίλου) ἐπῳδὰς καὶ μεταμορφώσεις, καὶ δεκανῶν καὶ δαιμόνων ἱερὰς βοτάνας ἀνάσχοιτ' ἄν. i. *Verum enimvero, ſi omnino libris eſt opus, quis adeo miſer eſt, ut præteritis ſcriptis Dioſcoridis, Nigri, Heracliti, Crateuæ & aliorum innumerorum, qui in arte ipſa conſenuerunt, libros Grammaticos ſcribentis incantationes, transformationes, & decanorum dæmonumque ſacras herbas æquo animo ferat?* Quibus verbis *Galenus* ineptas anileſque quorundam ſuperſtitiones, cum in legendis herbis, tum in elegendis, atque originibus declarandis notat. Ac ἐπῳδαὶ quidem quid ſint, notum eſt; ita enim vocabant verborum formulas, quibus morbos curabant. Porro & ſolennes in herbis legendis preces adhiberi ſolitas, refert *Theophraſtus* libro & capite nono *hiſtoriæ Plantarum*; quas quidem non plane improbat; verum alia ibidem vanæ obſervationis: Τὸ δ' ἐπευχόμενον τέμνειν,

οὐδὲν ἴσως ἄτοπον, ἀλλ' εἴ τι ἄλλο προστιθέασιν, οἷον τὸ πάνακες τὸ Ἀσκληπίειον καλούμενον τέμνοντες, ἀντεμβάλλειν τῇ γῇ πανκαρπίαν μελιτοῦταν· ὅταν δὲ τὴν ξίριν, τριμήνους μελιτοῦτας ἀντεμβάλλειν μισθόν· τέμνειν δὲ ἀμφήκει ξίφει περιγράψαντα εἰς τρεῖς. καὶ ὅτι ἂν πρῶτον τμηθῇ, μετέωρον ἔχειν. εἶθ' οὕτω ἕτερον τέμνειν, καὶ ἄλλα δὲ τοιαῦτα πλείω. i. *Precari autem in ſecando haud quaquam abſurdum fortaſſe ſit: ſed quæ addunt, abſurda potius dixeris. Panaces enim Aſclepium effodientes, e vario frugum genere placentam Terræ injicere: cum vero xirim, trimeſtres hujusmodi placentas pariter inferre in mercedem, tum acuto utrinque gladio ter circumſcribentes ſuccidere. tum quod primum inciderint, ſublime tenere: alterum deinde reſecare, ac ejusmodi alia plura præcipiunt.* Hæc inquam & alia ibi id genus ſuperſtitioſa *Theophraſtus*, ut par eſt, explodit. Addit *Galenus* μεταμορφώσεις, quod interpretatione non eget, cum nemo non fabulis hominum in herbas & arbores mutatorum, aures imbutas ex *Ovidio* & aliis Poëtis habeat. Quos autem ibidem *decanos* intelligat *Galenus*, non adeo promptum dicere. Conatus eſt quidem *Jo. Langius* in *epiſtolis* id explicare, ſed quæ affert, οὐδὲν πρὸς Διόνυσον, immo plane falſa. Erant, (inquit) *decana ſacrificia, in quibus ex voto decima pars prædæ Pythio Apollini conſecrabatur.* In ora autem libri *Suidam* citat in verbo δεκατεύειν. præterea nihil. At multis modis vir ille bonus hallucinatur. Primum hæc ſacra non dicebantur δεκανὰ, ſed δεκάτη, *decima*: & qui prædæ aut bonorum δεκάτην conſecrabant, δεκατεύειν, hoc eſt *Plutarcho* interprete τῆς οὐσίας δεκάτην ἀποθύειν, Latinis, *decimam conſecrare* dicebantur. Ἀποθύων δὲ τῆς οὐσίας ἁπάσης ὁ Σύλλας τῷ Ἡρακλεῖ δεκάτην, ἑστιάσεις ἐποιεῖτο. &c. Ita *Plutarchus* in *Sylla.* Sed & M. Tullius in 3. de Nat. Deorum: *Neque Herculi quiſquam decumam vovit unquam, ſi ſapiens factus eſſet.* Præterea, cum *Galenus* δεκανῶν ἱερὰς βοτάνας dicat, ſi *decana* ibi ſacrificia ſunt, ſequitur ſacrificiis ipſis ſacras eſſe herbas, quod

quod ridiculum eſt. Poſtremo, non δεκανὰ in neutro, ſed δεκανοὶ dicuntur. Sed *Langium* mittamus. Δεκανοὶ, vox eſt Aſtrologorum; tranſlata a Romanorum caſtris: cujuſque enim contubernii, quod decem militum erat, unus qui reliquis præerat, *decanus* vocabatur. Ita *Scaliger* de origine hujus vocis, de qua tamen videndus *Salmaſius* in diatriba *de Annis climactericis*. Sunt autem *Decani* aſtrologis, qui ſingulis *Zodiaci* decuriis præſunt. Nota eſt *Zodiaci* diviſio apud eos, in duodecim partes, quas ζώδια & δωδεκατημόρια appellant: quarum ſingulas rurſus in triginta ſubdividunt particulas, hoc eſt tres decurias: unicuique autem per totum Zodiacum decuriæ *decanum*, hoc eſt, *Dæmonem* quendam præficiebant: *Porphyrii*, vel potius *Antiochi* (hic enim ejus operis auctor) in *introductione* ad *Ptolemai* ἀποτελέσματα, verba ad hanc rem pertinentia adſcribere placet: Τῦ ζωδιακῦ κύκλυ εἰς δωδεκατημόρια τετμημένυ, τυτ᾽ ἔστιν, εἰς ιβ. ζώδια, ἕτερα τμήματα λϛ. ὑπέθεντο οἱ παλαιοί. οὓς τινας ἐκάλεσαν δεκανύς. καὶ τύτυς ἐμέρισαν κατὰ ζώδιον δέκα μοιρῶν ἄρχειν. Vide eundem *Porphyrium* in epiſtola ad *Anebonem*. Ex Recentioribus: *Scaligerum*, in comment. ad *Manilium*; & *Salmaſium* citata diatriba *de annis climactericis*, ubi de *Decanis* ea diſſerit, quæ curioſiſſimi cujuſque ſitim explere poſſint. Idem Galenus eodem loco Ἀσκληπιάδυ τάνιτρον citat. Interpretes iiſdem literis *Tanitrum* reddunt: monſtrum vocabuli. veram lectionem conjicio eſſe πανίατρον; quaſi dicas, *Medicinæ univerſitatem*. Quo nomine *Aſclepiades* iſte ſuum librum proſcripſerat. colligo ex iis quæ præcedunt verbis: Καί μοι δοκεῖ τελεώτατα πάντων ὗτος (Διοσκορίδης) τὴν περὶ τῆς ὕλης τῶν φαρμάκων πραγματείαν ποιήσασθαι. πολλὰ μὲν γὰρ καὶ τοῖς ἔμπροσθεν ὑπὲρ αὐτῶν γέγραπται καλῶς, ἀλλ᾽ ὑπὲρ ἁπάντων ὕτως ὐδενὶ, πλὴν εἰ Τάνιτρόν τις ἐπαινέιη τῦ Ἀσκληπιάδυ. i. *Et mihi quidem videtur omnium perfectiſſime hic (Dioſcorides) de medicamentorum materia commentatus. Etſi*

enim de his multa ab iis qui eum præceſſerunt, bene ſcripta exſtant: a nullo tamen ſic de omnibus, niſi quis Aſclepiadis Tanitrum laudet. Ita igitur ut dixi, legendum cenſeo.

CAPUT XVIII.

Riſus *acceptio multiplex. varia de hoc* auctorum *loca animadverſa & explicata.*

QUid ſit proprie *ridere*; quid *riſus*, nemo ignorare poteſt, cui non ſit homo ignoratus, qui non ipſe ſibi. Quippe hominis proprium τὸ γελαστικὸν apud philoſophos. Cum autem eundem longe diverſis rebus Græci & Latini auctores attribuunt, atque ad res etiam inanimatas vel homine ſuperiores transferunt, quid ibi *riſus* nomine intelligi debeat, non perinde omnibus promptum, obviumque eſſe arbitror. Horum quædam hic attingere viſum eſt. Primum *ridere* dicitur, quicquid jucunda ſpecie ſenſus animumve oblectat; quo pacto, prata, hortos *ridere* dicimus. Etiam de odorum fragrantia uſurpat *Catullus* in *Epithalamio*:

Advenit Chiron portans ſilveſtria dona.
Nam quoſcumque ferunt campi, quos Theſſala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fœcunda Favoni,
Hos indiſtinctis plexos tulit ipſe corollis,
Queis permulſa domus jucundo riſit odore.

Occaſio tranſlationis, quia, ut riſus in homine lætitiæ eſt ſignum & ſoboles: ſic ſpecies illa terræ variis floribus, tanquam gemmis diſtinctæ & micantis, argumentum eſt & fœcunditatis in ipſa, & vigoris in ſtirpium naturis, quæ earum

rum

rum rerum lætitia eſſe intelligitur: unde *læta ſegetes*, *læta fruges*, apud Poëtam, quæ facile proveniunt; & *lætamen* quo terra *lætior*, hoc eſt, *fœcundior* redditur. Servius: *Latus* (*inquit*) *prout res fuerit*, *accipimus*, *ut latus homo*, i. *hilaris*; *lætum pecus*, *pingue*; *lætum legumen*, *fertile*: *& ſic in reliquis*. Sicut igitur *lætitia* varie intelligitur pro cujusque rei natura & captu, ita & *riſus*. *Mare* etiam *ridere* dicunt poëtæ, ut *Lucretius* initio;

—— *Tibi rident æquora ponti.*

Cum ſcilicet undarum ſuperficies levi flatu criſpatur. duciturque tranſlatio ab eo, quod in vultu humano apparet: nam & ora ridentium ſinuantur. *Ariſtoteles* ſect. 23. *Problem.* 1. Διὰ τί τὸ κῦμα ὐκ ἐπιγελᾷ ἐν τοῖς βαθέσι πελάγεσιν, ἀλλ᾽ ἐν τοῖς μικροῖς καὶ βραχέσιν. Gaza ita vertit: *Cur fluctus prealti pelagi ſuperfrangi non ſolent*, *ſed parvi tantum & brevis?* Rurſus ejusdem ſect. *probl.* 24. Διὰ τί ἐν τοῖς βαθέσι πελάγεσι τὸ κῦμα ὀυκ ἐπιγελᾷ. *Septalius* non abſimili ſenſu: *Cur unda non interciditur in profundis pelagis.* cauſſam explicat philoſophus: Ὅτι τὸ μικρὸν ὑγρὸν φερόμενον μᾶλλον διαιρεῖται ὑπὸ τοῦ πνεύματος. i. *Quia parum humoris cum fertur*, *magis dividi a ſpiritu poteſt*, *quam multum.* Quibus ex verbis patet, quid ſit mare ἐπιλεγᾷν. nempe *ridere* dicitur, cum non multum aquæ movetur, & id quod movetur, in multas exiguas & innumerabiles particulas frangitur: unde apud *Æſchylum*, ποντίων τε κυμάτων ἀνήριθμον γέλασμα. *Plutarchus* quoque ex *cujuſdam poëtæ dithyrambis* hæc affert in libro *de primo frigido*: Ὁ γὰρ ἥλιος ἀνίσχων, ὥς τις εἶπε τῶν διθυραμβοποιῶν, ἐυθὺς ἀνέπλησεν ἀεροβάταν μέγαν οἶκον ἀνέμων. ἐκ τούτου δὲ καὶ λίμνῃ καὶ θαλάττῃ μοῖραν ἀυγῆς καλιὼν ἐνίησι, καὶ βυθοὶ ποταμῶν διαγελῶσιν. i. *Sol etenim emergens*, *ut quidam dithyramborum poëta dixit*, *ſtatim magnam gradientium per aërem ventorum domum implevit*: *exinde & ſplendoris partem paludi & mari deſcendens immiſit*, *& fluviorum fundi rident.* Jam vero & *maris cachinnos*

dixit *Catullus*, cum vento agitata ſtrepitum edit;

Hic qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus proclivas incitat undas,
Aurora exoriente vagi ſub lumina Solis:
Quæ tarde primum clementi flamine pulſa
Procedunt, leni reſonant plangore cachinni.

Ita & Græci. *Euripides* in *Hippolyto.*

καὶ πτέρυξ ἀφρὸν
Πολὺν καγχάζων ποντίῳ φυσήματι.

Attius, *Phinidis*:

Ac ubi curro litore latrans.
Unda ſub undis labunda ſonit:
Simul & circum magniſonantibus
Excita Saxis ſæva ſonando
Crepitu clangente cachinnat.

Ac de *maris undarumque riſu* hactenus: nunc age & *Vulcani* hoc eſt *ignis riſum* oſtendamus apud *Ariſtotelem* lib. 2. *Meteor.* ubi de tonitrus fragore, qui violentam aëris percuſſionem ſequitur: Γίνεται δὲ ἡ πληγὴ (ἀέρος) τὸν αὐτὸν τρόπον, ὥσπερ εἰκάσαι μείζονι μικρὸν πάθος, τῷ ἐν τῇ φλογὶ γινομένῳ ψόφῳ, ὃν καλοῦσιν, οἱ μὲν Ἥφαιστον γελᾷν, οἱ δὲ τὴν Ἑστίαν· οἱ δὲ ἀπειλὴν τούτων. i. *Fit autem percuſſio eodem modo (ut componatur majori minor paſſio) ei qui in flamma fit ſono, quod quidam ridere Vulcanum appellant: alii Veſtam: nonnulli horum comminationem.* Non recte autem eo loco adverbium ὥσπερ junctum legitur infinitivo, præter Græcorum conſuetudinem; vera lectio eſt, ὡς εἰκάσαι, ut in primo *de hiſtoriis animalium* cap. 6. de Cordylo piſce: Ἔχει δ' ὅμοιον γλανεῖ τὸ οὐραῖον, ὡς μικρὸν εἰκάσαι μεγάλῳ. Eſt autem figura ad declinandam invidiam audacioris comparationis, ut apud *Maronem* in 4. *Georgic.*

—— *Si parva licet componere magnis.*

Nec dubium quin ab hoc *Ariſtotelis* loco ſumpſerit. Ceterum eſt alia riſus acceptio μυστικωτέρα, apud Theologos.

qua-

qualis ejus, cui primo nomen a riſu inditum apud Hebræos, & reliquorum ſapientum de veritatis intuitu gaudentium intus, & pectore: non oris rictu & cachinnis, quod ſtultorum eſt. Ita enim *Philo* nomen *Iſaac* interpretatur in libro *de Abrahamo*· Ὁ μελλήσας σφαγιάζεσθαι, καλεῖται Χαλδαιςί μὲν Ἰσαάκ, Ἕλλησι δὲ μεταληφθέντος τοῦ ὀνόματος γέλως. γέλως ἐστὶν οὐχ ὁ κατὰ παιδιὰν ἐγγινόμενος σώματι παραλαμβάνεται νῦν, ἀλλ' ἡ κατὰ διάνοιαν εὐπάθεια καὶ χαρά. i. *Qui adducitur pro victima* (nota hiſtoria eſt Abrahami, ut juſſus ſit immolare filium) *Chaldaice Iſaac, Latine riſus vocatur. Qui riſus non intelligitur nunc pro petulanti vultus habitu, ſed pro mentis bene affecta gaudio.* Ibidem litare Deo ſapientem hoc *riſu* ſymbolice autumat, quo intelligatur maxime Dei eſſe proprium *gaudere*. Idem *Iſaac* ludens cum uxore inducitur in terra aliena, *Geneſ.* 26. non ſine myſterio: ſcilicet is ludus, juxta *Clementem Pædag.* lib. 1. cap. 5. intelligendus eſt, quem viri ſancti Deo exhibent toto vitæ decurſu, dum varios in hoc ſeculo pro virtute labores ſuſtinent, qui ad futuram gloriam collati mera ſunt ludibria, eo quod nullam, auctore Apoſtolo, ad cœleſtia bona rationem, aut dignitatem habeant: vel qualem ludum Jovi Heraclitum tribuiſſe idem *Clemens* notat: Τοιαύτην τινὰ παίζειν παιδιὰν, τὸν ἑαυτοῦ Δία Ἡράκλειτος λέγει. τί γὰρ ἄλλο εὐπρεπὲς ἔργον σοφῷ καὶ τελείῳ, ἢ παίζειν καὶ συνευφραίνεσθαι τῇ τῶν καλῶν ὑπομονῇ καὶ διοικήσει τῶν καλῶν, συμπανηγυρίζοντα τῷ θεῷ. i. *Talem ludum ludere ſuum Jovem dicit Heraclitus. Quid enim aliud vero ſapienti & perfecto magis convenit, quam ludere & collætari, per honeſtarum rerum tolerantiam, & bonorum adminiſtrationem, dies feſtos cum Deo celebrantem.*

Sed alia adhuc expoſitio eſt, apud eundem *Clementem*, hoc gaudium huncque ludum de Chriſto & Eccleſia intelligentium. Quo ſane etiam oraculum illud ſpectat in *Proverbiis* cap. 8. ubi ſapientia loquens inducitur: *Et de-*

lectabar, inquit, *per ſingulos dies, ludens in orbe terrarum & deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Poſſem multa ex *Platone*, qui in ſeptimo dialogo de *legibus*, hominem θεοῦ παίγνιον vocat & θαῦμα, hoc eſt, *ludicrum*, haud multum differens ab iis machinis, quas θαυματοποιοὶ otioſis ad animi relationem & ludum exhibent. Quin religionem nihil aliud eſſe, niſi τινὰ παιδιάν; *quendam luſum*, quem ſibi Deus ab hominibus in hac vita exhiberi vult. Quod cave putes dictum a *Platone* ad minuendam religionis auctoritatem, ſed quo ſenſu ſcriptura citatis locis. Ita divina divinis ſiunt conſona; mira enim eſt profunditas in dictis *Platonis* multaque apud eum, quæ intelligentibus ſine horrore legi non poſſint. Non poſſum mihi temperare, quin & *Procli Diadochi* locum de *riſu Deorum* ſubnectam, ex commentariis in *Rempublicam Platonis*; eſtque expoſitio loci *Homerici*,

> Ἄσβεστος δ' ἄρ' ἐνῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσι.
>
> *Inexſtinguibilis autem excitatus eſt riſus beatis Diis.*

Ibi poſt multa de Vulcani proprietate in Theologia veterum ſubdit: Ὡς οὖν συνελόντι φάναι τὸν γέλωτα τῶν θεῶν, τὴν ἄφθονον εἰς τὸ πᾶν ἐνεργείαν, καὶ τὴν τῆς εὐθυμοσύνης τῶν ἐγκοσμίων αἰτίαν ἀφοριστέον. διότι δὲ ἀκατάληπτός ἐστιν ἡ τοιαύτη πρόνοια, καὶ ἡ τῶν ἀγαθῶν μετάδοσις παρὰ τοῖς θεοῖς ἀνέκλειπτος. εἰκότως ἄρα καὶ τὸν ποιητὴν, ἄσβεστον αὐτῶν γέλωτα προσειρηκέναι συγχωρητέον. i. *Ut brevi complectar, Deorum riſus, abunde ſuppetens ad omnia operatio, & lætitiæ eorum, quæ ſunt in mundo, cauſſa intelligenda eſt. Et quia ejusmodi providentia & bonorum omnium collatio a Diis non ceſſat; jure a poeta riſui ipſorum id epithetum adjunctum fuiſſe fatendum eſt.* Hæc de *riſu Deorum* in veterum theologia annotare viſum eſt, quod animadverto, magnum virum in notis ad *Maximum Tyrium*, ita ſentire de riſu, ut hunc Deo tribui poſse ſine ſumma impietate non putet. Quod fortaſse non ſcripſiſ-

pſiſset, ſi quo tempore ſcribebat, cum locum *Procli* in memoria habuiſset.

CAPUT XIX.

Non recte judicare, qui librum de Mundo, Ariſtotelis *nomine inter alia eius volumina publicatum habitumque, genuinum ejus eſſe fœtum negant. obiter de* Procemiis, *&* catalogo *librorum* Ariſtotelis.

Quia me alias complurium doctorum virorum exemplo, loca ex eo libro, ut *Ariſtotelis* *γνησίῳ* citare memini; alii autem non pauci neque indocti ambigunt, an ſit recte ei adſcriptus; immo genuinum ejus eſſe opus plane inficiantur, & conjecturas proferunt, paucis ſententiam meam, de hac controverſia, aperire decrevi. Sic exiſtimo, nullam rationem idoneam afferri poſſe, qua non eſſe id ſcriptum *Ariſtotelis* probetur: neque eſſe, cur quiſquam vereatur loca ex eo proferre & ſententias nomine *Ariſtotelis*; quod ſi ab ipſo *Ariſtotele* editum non eſt, certe ab homine placitorum ejus peritiſſimo, ac bono Peripatetico elaboratum eſſe oportet: Ita nihil in eo reperitur, quod Peripateticorum principis ſinceram doctrinam non redoleat. Primum igitur argumenta illa, quibus Recentiores viri docti hunc librum ex operum *Ariſtotelis* catalogo expungunt, proponam deinde expendam, & nullius eſſe momenti probabo.

Petrus Victorius (ab hoc enim ordiri placet diſputationem) lib. 25. *Var. Lectionum* cap. 13. hoc primum argumenti affert: longe diverſam in eo libro deprehendi tractandi methodum & rationem, illi qua in ſuis libris ſolitus

uti

uti *Ariſtoteles*: in quibus omnia diligenter & enucleate atque exquiſite traduntur: hic populariter, pingui Minerva & hiſtorice. Addit libri hoc titulo inſcripti nullam mentionem fieri, neque a *Laertio* in catalogo librorum *Ariſtotelis*, neque ab ullo interpretum Græcorum. Tertio *Jacobum Tuſanum* teſtem citat, qui item hunc librum non eſſe *Ariſtotelis* cenſeret, hac conjectura ſane validiſſima, quod hic liber contra morem *Ariſtotelis* elegans & bene longum procemium habeat. Poſtremo citatum cum honore *Platonem* in calce hujus libri, quod nunquam alias *Ariſtoteles*: Quibus *Muretus* addit ſtili diſſimilitudinem lib. 2. *Var. Lection.* cap. 8. quam qui non videat, nihil omnino videre poſſe decernit. In eodem albo eſt *Jul. Cæſar Scaliger*, qui pariter hunc librum nothum pronuntiat in *Exercit.* 362. ſed longe graviore cenſura; non ſolum enim phraſim ab *Ariſtotelica* diverſam ſed & doctrinam notat, immo ſententias infames in eo reperiri autumat. Quamobrem operoſior nobis cum ipſo illo, quam cum memoratis Grammaticis futura eſt diſputatio. Qui quanquam magnus fuit admirator *Ariſtotelis*, & in ejus doctrina apprime verſatus (hoc enim nunquam ſatis laudatum illud opus *Exercitationum* paſſim & ubique clamat) non tamen nobis hac tam ſuperba & atroci cenſura imponet, cui tam dilucida ex confeſſis *Ariſtotelis* libris loca opponam, ut qui vel maxime ei favent (in quibus me eſſe profiteor) locum ad eum excuſandum ſi velint, habituri non ſint.

Nunc ad eorum conjecturam & argumenta venio; atque eodem ordine quo ſunt propoſita, diſſolvo. Quod igitur *Victorius* diverſum in hoc libro *de Mundo* modum tractandi arguit, ab ea methodo, quam in aliis *Ariſtotelis* libris obſervamus, hoc nihil aliud probat, niſi hunc libellum non eſſe in eorum numero, qui ἀκροαματικοὶ dicuntur; ſed in eorum plane qui exteris & vulgo editi & ἐξωτερικοὶ, *extranei* vocantur. Quod ultro fatemur & agnoſcimus.

Scri-

Scriptus quippe ad *Alexandrum Regem*, ut titulus indicat, ideoque faciliore, quam alii ſtilo & aperto orationis plauſibilique filo; ut decet Regibus ſcribentem, ut illi univerſæ naturalis ſcientiæ compendium eſſet. Quo pacto & objectionem a ſtili diſcrepantia ductam removeo. Nihil enim hac ſolutione verius. Nec video alioqui, quid ſit neceſſe non modo *Ariſtotelem*, ſed & quemcumque auctorem ita eſſe unius normæ in rebus tractandis atque in ſcribendo tenacem, ut nunquam ab ea vel latum, quod ajunt, unguem deflectat, cum ipſum *Ariſtotelem*, de quo eſt nobis diſputatio, multo faciliore orationis curſu in *Moralibus*, *Politicis*, *Rhetoricis*, quam in *naturali Auſcultatione* & *Metaphyſica* fluere conſtet. Nullius igitur momenti hæc ratio: Pateatque *Victorium* & *Muretum*, tunc cum hoc genere argumenti uterentur, non habuiſſe in animo nulli ignotam *Ariſtotelis* voluminum diviſionem in *acroamatica* & *exoterica*.

Non minus vanum, quod idem arguit non notari hunc librum in catalogo, quem dat *Laertius* operum *Ariſtotelis*; ceu nihil in hoc genere latere hunc auctorem, vel certe præterire memoriæ vitio non potuerit. Quot enim alia ejus philoſophi citantur ab auctoribus, quorum nec ulla in eo indice fit mentio? oſtendant mihi in eo indice, *Peplum Ariſtotelis* ab *Homeri Scholiaſte* citatum. in quo (ut ex *Porphyrio*, *Cælius Rhodiginus* refert) Ducum genealogias, & navium numerum ad Trojam profectarum; & epigrammata, ac inſuper diſticha in ſingulos Duces, præterquam in Ajacem, exſequebatur, oſtendant. in eundem *Homerum commentarios* a *Phrynicho* laudatos in *vocum Atticarum Ecloge*; voce βασίλισσα: Ἀλκαῖον (inquit) φασιν τὸν κωμῳδοποιὸν, καὶ Ἀριστοτέλην ἐν τοῖς Ὁμήρου ἀπομνημονεύμασιν εἰρηκέναι &c. item ejuſdem *Ariſtotelis* libros παραδόξων, quorum meminit *Plutarchus* in tractatu παραλλήλων Ἑλληνικῶν: tum libros ζωικῶν ab *Apollonio* citatos in *Admirandis*; alios utique ab hiſtoriis animalium, his ſcilicet verbis:

Ἀρι-

Ἀριστοτέλης δὲ ἐν τοῖς ζωικοῖς (δύο γάρ εἰσιν αὐτῷ πραγματεῖαι ἡ μὲν περὶ ζώων, ἡ δὲ περὶ τῶν ζωικῶν) &c. Sic quoque eoſdem citat *Athenæus* lib. 7. cap. 9. & *Ariſtotelem* laudat ἐν τῷ ζωικῷ ἐπιγραφομένῳ, ἢ περὶ ἰχθύων. Erant autem ζωϊκὰ quæ in animalibus proveniunt ſive animata, pediculi, pulices, lumbrici & alia id genus: ſive inanimata & excrementa, ut lacrymæ, ſudor, lendes, & reliqua: de quibus volumina ſeorſim conſcripſerat *Ariſtoteles*, ut nihil in eſſet univerſa rerum natura, quod diligentiam ejus fugeret.

Sed neque liber περὶ κυάμων, ab ipſo *Laertio* memoratus in *vita Pythagoræ*, in eo catalogo legitur. quemadmodum nec liber *de Adjutoriis*, citatus ab *Aureliano* lib. 2. *Acut.* cap. 13. Non denique citatum ab *Alberto Magno* lib. 8. *Phyſicorum*, *Ariſtotelis* nomine volumen *de natura Deorum*. ſi tamen auctoris illius in literis & antiquitate parum verſati, ratio habenda in hac controverſia. At Græci *Ariſtotelis* interpretes nuſquam ejus libris mentionem faciunt. certe. Non enim mos eorum eſt in diſputationibus ſuis arceſſere loca ab *exotericis* libris philoſophi: potius *Acroamaticis*. tum non video quid neceſſe ſit nullum ab iis *Ariſtotelis* ſcripti genus eſſe præteritum, ut quod in eorum commentariis non citatur, ab *Ariſtotele* alienum cenſeri debeat.

Non minus frivolum eſt, quod de *Tuſani* judicio affert idem *Victorius*, non eſſe *Ariſtotelis* hunc librum, qui procemium habeat initio elegans & copioſum. Quod *Victorio* potuiſſe probari miror equidem; *Victorio*, inquam, tam diligenter in *Ciceronis* lectione verſato; nec meminiſſe quid *Cicero* de *Ariſtotelis* more in *exotericis* libris ſcripierit in octuageſima ſecunda *epiſtolarum ad Atticum* lib. 4. *Itaque cogitabam, quoniam in ſingulis libris utor procemiis, ut Ariſtoteles in iis, quos ἐξωτερικοὺς vocat, aliquid efficere.* Ex quo ipſo clarum eſt, non abhorruiſſe a procemiis *Ariſtotelem* in exo-

exotericis. Sane præfixum libri *Rhetoric.* ad *Alexandrum* initio procœmium videmus, nec minus luculentum iſto, quod eſt in fronte libri *de Mundo* Quin nec omnes *acroamaticos* procœmiis caruiſſe certum eſt. Quippe & accuratiſſimæ illius tractationis, quæ inſcribitur: περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως; procœmium agnoſcit *Simplicius*, ab iis verbis, ἐπειδὴ τὸ εἰδέναι; uſque ad illa, ἀνάγκη δ' ἤτοι μίαν εἶναι. τὸ προοίμιον (inquit) εὐθὺς τὸν σκοπὸν ἐκφαίνει. Sed neque libris *de anima* & *Metaphyſicis* deeſſe procœmium, quiſquam dixerit, tametſi non eadem ratio procœmii in *acroamaticis*, atque in *exotericis*. In his dirigebatur oratio ad eum, cujus gratiâ ſuſcepta erat diſputatio, cui & opus commendabatur, ut videre eſt in procœmio memorati libri *Rhetor. ad Alexandrum*. Quæ eadem ratio procœmii in libro *de Mundo*, tum ejus, quod *Porphyrius* præfixit *introductioni ſuæ ad categorias Ariſtotelis*. Quæ autem *acroamaticis* præmittebantur, hæc ſemotis quæ ad rem non pertinerent, propoſitum libri atque inſtitutum aperiebant, atque ab eorum quæ tractanda eſſent, fere natura ducebantur; ut potius *exordia*, quam *procœmia* dici deberent. Quod conſiderans *M. Tullius* citato loco: *Solis* Ariſtotelis *exotericis procœmia addita* dicit, *hacque nota diſtingui ab* acroamaticis.

Non eſt autem dubium, quin multos ejuſmodi libros talibus *procœmiis* in frontiſpicio ornatos ſcripſerit *Ariſtoteles*; qui proprie *exoterici* dicerentur, propterea quod alicujus ad quem ſcripti erant, nomen præferrent. Sed aliis vetuſtate abolitis, duo hi duntaxat ſuperſunt; hic ſcilicet *de Mundo ad Alexandrum*; & alter *Rhetorices ad eundem Regem*. Quocirca, nihil aliud, ut dixi hoc argumento efficitur, niſi hunc librum *de Mundo* non eſſe in claſſe eorum *Ariſtotelis* librorum, qui *acroamatici* dicti ſunt. Quod non ſolum fateor, ſed etiam profiteor. Quod poſtremo ſubjungit idem *Victorius*, non videri *Ariſtotelis* eum librum, in quo *Platonem* γεννάιον, hoc eſt, *generoſum* appellet, adeo futile eſt, ut reſpon-

reſponſione non egeat: ſane in ſeveris illis *acroamaticorum* diſputationibus, non fere quenquam philoſophorum laudat *Ariſtoteles*, redarguit potius, ſi quid minus recte ab iis poſitum videatur; in *exotericis* laudaſse, & cum præfatione honoris non dubito: quando & in volumine *quæſtionum naturalium*, ſect. 30. problemate 1. eorum numero qui in philoſophia excelluerunt, *Empedoclem*, *Socratem*, *Platonem* adſcribit. De ſtili differentia, ſi qua eſt, ſatis dictum eſt: reſtat ut de doctrina conſideremus, an tantum aberret ab *Ariſtotelica*, quantum *Scaliger* putavit, atque etiam a vera ratione, uſque ad infamiam ſententiarum, ut loquitur. Poſtquam enim de quadam abſurda opinione dixit, & eam improbavit, mox de hoc libro ſubjungit: *Hanc tamen, aut non valde abſimilem opinionem inveni poſtea in libro de Mundo, qui falſo circumfertur ſub nomine Ariſtotelis. Ex ejus quidem libris multa, phraſis alia, ad* κακοζηλίαν *uſque: ſententiæ infames.* Sane atrox cenſura, tragica verba: Sed plane ad nihilum reditura. Mittamus phraſim de qua jam ſatis: ſententiam adductam ex hoc libro a *Scaligero* expendamus: Αὐτὸν (θεὸν) ἐπὶ τῆς ἀνωτάτω χώρας ἱδρύσθαι, τὴν δὲ δύναμιν, διὰ τοῦ σύμπαντος κόσμου διήκουσαν ἥλιόν τε κινεῖν, καὶ σελήνην καὶ τὸν πάντα οὐρανὸν περιάγειν, αἴτιον δὲ γίνεσθαι τῆς τῶν ἐπὶ γῆς σωτηρίας. οὐδὲν γὰρ αὐτῷ ἐπιτεχνήσεως δεῖ καὶ ὑπηρεσίας, τῆς παρ᾽ ἑτέρων, ὥσπερ τοῖς παρ᾽ ἡμῖν ἄρχουσιν. i. *Deum ſummo in loco ita eſſe collocatum, ut tamen ejus vis per univerſum Mundum pertinens, tum Solem, Lunamque moveat, tum cœlum omne circumagat, ſimulque cauſſam præbeat eorum quæ terra ſunt, ſalutis atque incolumitatis. Neque vero illi ipſi, itidem ut principibus mortalium, opus eſt, aut artificioſa molitione, aut alieno miniſterio.* Ad hunc locum hæc *Scaligeri* eſt cenſura: *de Deo* (inquit) *ſic loquentem faciat* Ariſtotelem, *cui notus ſit octavus* Phyſicorum, *non ignotus ille quem e Methaphyſicis evocabamus?* Nimirum duo hic *Scaligerum* offendunt: & quod Deus in ſupremo Mun-

di faſtigio collocatur,& quod manente ibi ejus ſubſtantia & circumſcripta, ut quidem *Scaliger* exponit, potentia per univerſum orbem deducitur: cui conſequens putat, ut potentia Dei ſecundum eum auctorem diſtinguatur a ſubſtantia. *Qui tamen* (inquit) *operam ludit: ſi ſperat ſe nobis perſuadere poſſe, Deum eſſe in aliquo ubi: & eſſe finitum ἐν ἀκροτάτῃ κορυφῇ: deinde ſi Dei potentiam aliud eſſe ab ipſo Deo ſomniavit*. Hactenus *Scaliger*. Cujus judicium ſtatim ex eo libro *Phyſicorum*, ad quem nos ablegat, confutari poteſt. Ibi enim poſtquam demonſtravit primum movens unum eſſe & immobile, deinceps de ſede ejus ſic textu 84. ſtatuit: ἀνάγκη δ᾽ ἢ ἐν μέσῳ, ἢ ἐν κύκλῳ εἶναι. αὗται γὰρ αἱ ἀρχαὶ, ἀλλὰ τάχιστα κινεῖται τὰ ἐγγύτατα τοῦ κινοῦντος. τοιαύτη δ᾽ ἡ τοῦ ὅλου κίνησις· ἐκεῖ ἄρα τὸ κινοῦν. *Neceſſe eſt autem,aut in medio, aut in circulo eſſe: hæc enim principia ſunt, ſed celerrime moventur, quæ moventi propinquiſſima ſunt: hujusmodi autem eſt totius motus. ibi ergo eſt movens*. Per *medium*, intelligendum eſt *centrum Mundi*; *circuli* autem nomine *extimus* & *ſupremus* totius *Mundi ambitus*, quod aliter *primum mobile* vocatur: cujus motum, ut moventi ipſi proximi & conjuncti velociſſimum eſſe cenſet. Ex quo arguit in eo orbe ſupremo ſedem eſſe moventi primo. Quid igitur intereſt primum movens, hoc eſt, Deus, ἐν κύκλῳ, hoc eſt *extremo univerſi ambitu* eſſe dicatur, an ἀκροτάτῃ κορυφῇ ſummo culmine & faſtigio. Cum quicquid interpretationis ad eum locum *octavi Phyſicorum*, tuendum affertur; huc transferre liceat: Sicuti enim quod illic dicitur motor primus eſſe ἐν κύκλῳ, non intelligitur de *ubi* proprie dicto & *circumſcriptione locali*; Sic neque hic cum ἐν ἀκροτάτῃ κορυφῇ τοῦ σύμπαντος οὐρανοῦ ἐγκαθιδρύμενος, hoc eſt, in *ſupremo totius Mundi faſtigio*,tanquam in propria ſede & Solio conſtitutus dicitur. Sed eo ſenſu, quem *Simplicius* ad citatum locum *octavi Phyſicorum* affert his verbis: Ἀριστοτέλης τὴν ἀπλανῆ σφαῖραν πρώτως ἀπολαύειν τῆς δημιουργικῆς νομίζει κινήσεως,

νήσεως. Nempe, qua in parte Mundi vis & operatio conditoris & moderantis Dei luculentius apparet, ibi ſedem & locum ipſi deſignatum eſſe a ſapientibus putandum eſt: non qualis locus competit, qui repleatur, aut comprehendat, ſed qualem eſſentiæ impartibili & inextenſæ convenire ſoli ſapientes intelligunt: ſcilicet ibi eſt Deus, ubi ejus maxime vis & operatio viget: qui ſecundum ſe omnem non modo loci, ſed etiam naturæ & generis prædicationem tranſcendat.

Alioqui & *in Scriptura* infames reperirentur ſententiæ; ut cum Deus apud *Iſaiam* cap. 66. ſic loquens inducitur: *Cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Immo hominum nationes omnes impiæ, quarum conſenſu locus Mundi ſuperior Deo aſſignatur: ut ipſe *Ariſtoteles* in primo *de cælo* notat: Πάντες γὰρ ἄνθρωποι περὶ θεῶν ἔχουσιν ὑπόληψιν, καὶ πάντες τὸν ἀνωτάτω τῷ θείῳ τόπον ἀποδιδόασι καὶ βάρβαροι, καὶ Ἕλληνες ὅσοιπερ εἶναι νομίζουσι θεοὺς, δηλονότι, ὡς τῷ ἀθανάτῳ τὸ ἀθάνατον συνηρτημένον, ἀδύνατον γὰρ ἄλλως. i. *Omnes homines de Diis habent exiſtimationem: & omnes eum, qui ſurſum eſt, locum Deo tribuunt, & Barbari & Græci quicumque putant eſſe Deos, tanquam videlicet immortali immortale coaptatum ſit: fieri etenim aliter non poteſt.* Ecce quam & hic aperte *Ariſtoteles* Deum ſupremo in Mundi loco conſtituit? An igitur ob hæc verba, librum primum *de cælo* eſse *Ariſtotelis* negabimus? Denique *Plutarchus* in primo *de Placitis philoſophorum* cap. 7. diverſas antiquorum de Deo opiniones referens: hanc *Ariſtoteli* aſſignat: Ἀριστοτέλης τὸν μὲν ἀνωτάτω θεὸν, εἶδος χωριστὸν ἐπιβεβηκότα τῇ σφαίρᾳ τοῦ παντός. i. *Ariſtoteles ſupremum Deum ſeparatam formam, univerſi globo incedentem dixit.*

Non minus iniquus *Scaliger* in his verbis: τὴν δύναμιν διὰ τοῦ σύμπαντος κόσμου διήκουσαν ἥλιόν τε κινεῖ &c. cum ex his verbis auctorem ejus libri, Dei potentiam aliud eſſe ab ipſo Deo ſomniaſſe dicit. Nam profecto ipſius *Scaligeri* ſo-

ſomnium eſt hæc interpretatio. Nec ſatis mirari poſſum, virum tam acutum, quo ſenſu manare ac diffundi Dei potentia per univerſum mundum dicatur, non vidiſſe: cum enim potentia ſive virtus non minus, in *ſacris* etiam *paginis* de Deo uſurpetur, quam eſſentia & ſubſtantia, cur non eundem modum concipiendi & loquendi tenentes Deum ipſum immobilem ſtare in ſupremo Mundi loco; virtutem & potentiam per omnes Mundi partes manare ac diffundi dicamus? neque propterea aliud eſſe in Deo ſubſtantiam, aliud potentiam, ut carpit *Scaliger*, ſomniamus; Solum hunc ab aliis rebus, quæ virtute ejus ſubſiſtunt, diſtinguimus. Nihil enim aliud eſt Dei potentia, quam res ipſæ, prout aptæ, a Deo ejusque munere, eſſentiam, vim, perfectionemque omnem ſibi congruentem ſuſcipiunt. Idem quippe ordo, eadem neceſſitas, qua cuncta a primo procedunt, in ipſis rebus ſpectatus, creatio, conſervatio, ordinatio dicitur; in Deo ipſo, poteſtas, virtus, providentia, qua ea omnia exſequitur. & qui aliter Deum in Mundo eſſe, aut re ulla finita putat, quam per ordinem, quo infra unum primum cetera in ſuo gradu conſiſtunt, deſipit. Velimus nolimus, creatio nihil aliud niſi ordinem & principatum ſonat, eo quod Deus ſit quid primum & ſummum in univerſo rerum ambitu, ſed ita primum, ut cetera ab eo dependeant.

Hæc adverſus cenſores iſtos diſſerere viſum eſt, quod mihi non videntur eorum conjecturæ & argumenta eſſe ullius momenti; non quod præfracte & mordicus velim tueri hujus libelli auctorem eſſe *Ariſtotelem*: ceu ipſi, cum eum lucubraret, affuiſſem, aut, quibus in lucem eſt editus, temporibus vixiſſem. Quippe & multa alia *Ariſtotelis* nomine vulgata fuiſſe didici ex *Laertio*, & de hoc libro *de Mundo*, an eſſet *Ariſtotelis*, *Proclum* addubitaſſe ſcio in quinto libro *Comment. ad Timæum Platonis*: Οὔτε ὁ νοῦς (inquit) τοῦ παντὸς (ſupple εἱμαρμένη ἐστι) ὥσπερ φησὶ πάλιν Ἀριστοτέλης, εἴπερ ἐ-

κείνε τὸ περὶ κόσμε βίβλιον. i. *Ut alicubi rurſus dicit* Ariſtoteles, *ſi illius eſt liber de Mundo*. Solum id, ut dixi, contendo, nihil in eo libello contineri, quod non ſit placitis *Ariſtotelis* apprime conſentaneum; ideoque probabilius *Ariſtoteli* aſſeri, quam abjudicari. Cum præſertim antiquiores *Proclo* auctores, neque ſubleſtæ auctoritatis, hunc librum *Ariſtoteli* adſcribant. Ita quidem *Apulejus*, qui & *paraphraſi* hunc illuſtrare haud dubitavit; floruit autem *Apulejus*, *Hadriani* Imperatoris principatu, æqualis aut ſuperior Græcis *Ariſtotelis* interpretibus qui ad nos pervenerunt. Tum *Juſtinus* Philoſophus & *Martyr* qui iiſdem temporibus vixit, in eodem albo nomen profitetur ſuum, pariterque hujus libri *Ariſtotelem* auctorem cenſet, in priori *oratione ad Græcos* his verbis: Ἀριστοτέλης δὲ, ἐν τῷ πρὸς Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα λόγῳ, σύντομόν τινα τῆς ἑαυτῦ φιλοσοφίας ἐκτιθέμενος ὅρον, σαφῶς καὶ φανερῶς τὴν Πλάτωνος ἀναιρεῖ δόξαν &c. ubi & hæc ex eo libro verba recitat: quæ pertinere ad *Platonem* putat: Οὐχ ὡς ἔνιοι τῶν περὶ τὸ θεῖον πλημμελούντων, ἐν τῇ πυρώδει οὐσίᾳ τὸν θεὸν εἶναι φασιν. Quæ verbi paulum detorta ab his, quæ in eo libro habemus: Οὐχ ὥς τινες διὰ τὸ πυρώδη οὖσαν, αἴθεσθαι, πλημμελοῦντες περὶ τὴν πλεῖστον πυρὸς ἀπηλλαγμένην δύναμιν. i. *Non quidem ideo quod ignita flagret ipſa, ut aliqui cenſuerunt, plurimum utique aberrantes, circa potentiam illam, maxime ab ignea natura abhorrentem*. Ut dubitari non poſſit quin hunc ipſum, quem habemus, librum *de Mundo* intelligat. Qui tamen fallitur, dum hæc tanquam de Deo dicta accipit, quæ ad Ætherem & naturam cœleſtem pertinent: neque verum eſt *Platonem* ibi redargui, ceu is Deum eſſe in ignea ſubſtantia dixerit, quod nuſquam reperimus apud *Platonem*; ſed *Anaxagoræ* ibi opinio improbatur, qui igneam cœli naturam poſuit, Ætheremque dictum παρὰ τὸ αἴθεσθαι, ceu igne accenſum. Quod nomine & *Ariſtoteles* eundem caſtigat lib. 1. *Meteor.* cap. 3.

FINIS LIBRI II.

PETRI PETITI,

PHILOSOPHI & MEDICI,

MISCELLANEARUM OBSERVATIONUM.

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Animadverſa quædam ex beato Hieronymo.

TAnta eſt beati *Hieronymi* ſanctitas & eruditio, ut vel ejus nomen auditum quemvis ad venerationem impellat. Et nos igitur veneramur tantum virum, & libros ejus libenter evoluimus, in quibus hæc pridem a me animadverſa hiſce libris *miſcellanearum obſervationum* inſerere viſum eſt. Ad hæc verba *Salomonis*, in libro, qui inſcribitur *Eccleſiaſtes*, cap. 4. *Et laudavi ego mortuos, qui jam mortui ſunt, ſuper viventes, quicumque ipſi vivunt uſque nunc. Et melior ſuper hos duos, qui nondum natus eſt, qui nondum vidit opus malum, quod factum eſt ſub ſole.* occurrit ſtatim difficultas, quomodo vir ſapiens meliorem dicat eum, qui

nondum natus eſt, tanquam is qui nondum in hanc lucem ortu eſt adductus, aliquo modo exiſtat. Alioqui non procedit comparatio. poſſet igitur hic locus adduci pro philoſophis, qui animas in cœlo prius fuiſſe dixerunt, quam corporibus jungerentur: prius in ſublimi vitam Deorum agitaſſe, poſt neſcio quibus delictis gravatas in hunc locum inferiorem depreſſas. De qua animarum calamitate integra apud Antiquos volumina circumferebantur hoc titulo: περὶ τῆς εἰς τὰ σώματα καθόδου τῆς ψυχῆς. quo titulo liber etiam exſtat *Plotini*, qui eſt octavus *Ennead.* 4. vidit hanc difficultatem *Hieronymus* in *commentario* ad hunc locum, & ſic declinat: *Hoc autem dicit: non quo qui necdum natus, antequam naſcatur, ſit: & in eo felicior, quia necdum corpore prægravatus eſt; ſed quod melius ſit omnino non eſſe, nec ſenſum habere ſubſtantiæ, quam infeliciter vel eſſe, vel vivere.* Sed hoc non concedent philoſophi, ut ſit melius cuiquam omnino non eſſe, quam eſſe aliquid. Eſſe enim quoquo modo bonum eſt: neque eſt quiſquam tam miſer, qui non eſſe velit. Et qui ſe dicunt & putant optare non eſſe, & propterea ſe ipſi interimunt, non arbitrantes hominis aliquid ſupereſſe poſt mortem; de proprio ſenſu errare docte *Auguſtinus* lib. 3. de *Libero Arbitrio* probat: *Cum ergo* (inquit) *quiſque credens quod poſt mortem non erit: intolerabilibus tamen moleſtiis ad totam cupiditatem mortis impellitur, & decernit atque accipit mortem: in opinione habet errorem omnimodæ defectionis, in ſenſu autem naturale deſiderium quietis. Quod autem quietum eſt, non eſt nihil; immo etiam magis eſt, quam id quod inquietum eſt. Inquietio enim variat affectiones: ut altera alteram perimat: quies autem habet conſtantiam, in qua maxime intelligitur, quod dictum eſt. Omnis itaque ille appetitus in voluntate mortis, eſt, non, ut qui moritur, non ſit, ſed ut requieſcat, intenditur.* Ex quo etiam infert nec miſerrimis damnatorum deeſſe, unde gratias creatori agere poſſint, quod ſtatus ille in quo ſunt,

quantumvis calamitoſus, careat bonitate. Præterea ſi cui melius eſſet non eſſe, quam in pœnis vivere, faceret Deus: ſemper enim Deus quod melius eſt, facit. Sine dubio non ſe expedit ex hoc loco *Hieronymus*. Altior profectò ſenſus horum verborum, *& melior eſt ſuper hos duos, qui nondum natus eſt. &c.* Ego hæc ad *Chriſtum* ſpectare arbitror, qui tempore *Salomonis* nondum ſecundum carnem natus erat; verum cum patre in cœlo regnabat. De quo vere dicitur, quod nondum natus eſſet ſecundum hominem illo ſcilicet tempore, & melior eſſet omnibus defunctis, & viventibus.

Ejusdem libri cap. 13. *Et contenebreſcent, quæ vident in foraminibus.* Animas exponit *Hieronymus* in commentario: *Si enim* (inquit) *Moyſi dicitur, ponam te in foramine petræ, & ſic poſteriora mea videbis: quanto magis unaquaque anima per foramen & quaſdam tenebroſas cavernas aſpicit veritatem?* Hic plane *Hieronymus* eſt *Platonicus*. Nam & *Plato* initio lib. 7. *de Republic.* animas corpore incluſas comparat in ſpelunca natis, & lumen externum ac rerum umbras duntaxat in adverſo muro proſpicientibus per oſtium ſeu meatus ſpeluncæ. Foramina autem, in quibus animæ vident, ſunt ſenſus, vel potius ſenſuum inſtrumenta, quæ *Cicero* feneſtris comparat in primo *Tuſcul. quæſt. Viæ quaſi quædam ſunt ad oculos, ad aures ad nares à ſede animi perforatæ. Itaque ſæpe aut cogitatione, aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris & oculis & auribus, nec videmus, nec audimus: ut facile intelligi poſſit, animum & videre & audire, non eas partes: quæ quaſi feneſtræ ſunt animi* &c. Quidam literæ inhærentes de oculis exponunt, quos natura in quibuſdam foraminibus collocavit: nihil enim aliud ſunt, quæ *oculorum orbitæ* vulgo dicuntur. Ego malim de iis, qui ſenſibus addicti in hoc ſeculo vixerunt, neque animum ſuum ab iis, quæ ſenſu uſurpantur, abſtrahere curarunt. Vere enim talium animæ in foraminibus vident. Quæ ſub finem vitæ contenebreſcere dicuntur;

tur; ut pote quæ purum veritatis lumen, in quo intelligibilia cernuntur, ferre non valentes, ſtatim a corporis diſceſsu in tenebras exteriores incidant. Sed de *Eccleſiaſtæ* ænigmatis infra iterum aliquid tentabimus.

CAPUT II.

Molere farinam *in ſcripturis inter* κακόφαλα. *locus* Hieronymi.

Esaiæ in cap. 47. verba hæc ſunt: *Deſcende, ſede in pulvere filia Babylonis, ſede in terra: non eſt ſolium filiæ Chaldæorum, quia ultra non vocaberis mollis in tenera. Tolle molam & tolle farinam: denuda turpitudinem tuam; diſcooperi humerum, revela cura.* Hieronymus in ſenſum obſcœnum trahit: *Præcipiturque ei, ut tollat molam & molat farinam, quod eſt duræ captivitatis, & extremæ ſervitutis indicium, ut quæ quondam regina fuerat, poſtea molendæ farinæ operi ſerviat. Sed quia ſequitur, denuda turpitudinem tuam, etiam mola ab Hebræis figuraliter intelligitur: quod ſcilicet in morem ſcorti victorum libidini pateat. Illudque, quod in Judicum libro de Samſon ſcribitur, ad molam eum a Philiſtiim eſſe damnatum, hoc ſignificare volunt, quod pro ſobole robuſtiſſimus virorum, hoc in allophylas mulieres facere ſit compulſus.* locus *Scripturæ* de Samſone eſt in lib. *Judicum*, cap. 16. ſane huic interpretationi favet *Horatius Satyr.* 2. lib. 1. de lupanari, auribus ſit honos,

Nam ſimul ac venas inflavit tetra libido,
Huc juvenes æquum eſt deſcendere, non alienas
Permolere uxores.

Non tamen video, quid ſit neceſſe in hunc ſenſum ſcri-

pturæ

pturæ verba iis locis torquere, cum certum ſit inter ſerviles pœnas fuiſſe *piſtrinum* non modo apud Hebræos, ſed etiam apud Romanos, ut notum iis, qui vel *Plautum* aut *Terentium* legerunt, fueritque id duræ captivitatis & extremæ ſervitutis, ut ipſe agnoſcit *Hieronymus*, indicium. Tum quod ad Samſonem attinet, qui in eam partem accipiunt, non vident obſtare huic expoſitioni quod in eadem hiſtoria legitur, robur illi iſtud inuſitatum in capillitio, quod intonſum, ut *Nazaræus*, geſtabat, ſitum fuiſſe, periturum ſi detonderetur, ut re vera accidit. Nam cum arcanum illud puellæ, quam deperibat, importunius inſtanti aperuiſſet, ab ea non multo poſt per ſomnium toto capite attonſus, ad modum communem humani roboris redactus fuit. Hoc cum ita proditum ſit de eo Heroe; neque ignorarent Palæſtini, valde ſtultum fuiſſet id conſilium de prole propaganda ex homine, quo tempore vires illi una cum capillo ademptæ eſſent. Statim quippe in piſtrinum fuiſſe detruſum expreſſe ſcriptum eſt: *Quem cum apprehendiſſent Philiſtiim, ſtatim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam, & clauſum in carcere molere fecerunt.* Præterea non fuiſse illi a natura id robur, ſed ſingulari & extraordinario Dei munere tributum haud obſcure *Scriptura* teſtatur: miracula autem non tranſire in ſobolem palam eſt.

Sed neque apud *Eſaiam*, quia poſt hæc verba, *tolle molam*, ſequuntur iſta, *denuda turpitudinem tuam*, neceſſario proſtituti corporis infamia intelligenda eſt, ſed captivarum deterrima conditio, quas contumeliæ cauſſa denudare ſolebant: ut Tamerlanes Bajazetis uxorem præciſa uſque ad pubem veſte, ſibi epulanti adſiſtere & miniſtrare cogebat. Tales fere & ſervi erant in piſtrino, ſic tecti ut nulla non membra paterent: teſte *Apulejo* lib. 9. *Metam. Dii boni! quales illi homunculi vibicibus livedinis totam cutem depicti, dorſumque plagoſum ſciſſili centunculo magis inumbrati quam obtecti; nonnulli exiguo tegili tantummodo pubem inje-*

 cti,

cti, cuncti tamen ſic tunicati, ut eſſent per pannulos manifeſti. Quod etiam nuditas ſola captivæ mulieris intelligi debeat, ſequentia indicant: *diſcooperi humerum, revela crura.* Ad ſummum, quid vetat utrumque intelligi, ut eædem captivæ ſimul farinam lucubrarent; & vulgi libidini per ſummam contumeliam expoſitæ eſsent. Si tamen ibi figuram eſse placet: ego nihil aliud cenſeam ſignificari his verbis; *tolle molam, tolle farinam,* niſi ſimpliciter ſervitutem. Ceterum *Hieronymus* eo loco verbum eſse turpe in Hebræo notat, quo ſignificatur *pudendum muliebre.* Quod quia honoris cauſsa non nominatur, *Symmachus* vertit τὴν σιώπησίν σε, *taciturnitatem tuam.* Quod & in *Cantico canticorum* legitur, ubi ſponſæ pulchritudo deſcribitur, ad extremum infert; *abſque taciturnitate tua*: *Nolentibus* (inquit) *qui interpretati ſunt, transferre nomen, quod in ſancta ſcriptura ſonaret turpitudinem* Qua autem utimur nos, vulgata verſio pluribus verbis reddit: *abſque eo, quod intrinſecus latet.* Ceterum idem *Hieronymus* ſequentibus verbis non obſcure in *Stoicorum* tranſit ſententiam, quibus placuit ſuo quamque rem nomine appellare, ut *Cicero* notat in *epiſtola* ad *Papirium Pætum.* *Recteque* (inquit) *contra Babylonem inverecundis utitur nominibus: licet nulla ſit turpitudo, humani corporis membrum vocare nomine ſuo, cui præcipitur, ut nudet pectora, & crura & femina aperiat, & vadat in captivitatem: videaturque ignominia ejus, & opprobrio pateat ſempiterno.* At huic opinioni omnium proborum conſuetudo adverſatur.

Sed neque prætcribo, quod apud eundem *Prophetam* legitur cap. 48. *Audite hæc domus Jacob, qui vocamini nomine Iſrael: & de aquis Juda exiſtis.* Ubi Hieronymus: *Et de aquis* (inquit) *Juda exiſtis.* σωματικώτερον *aquas vocans pro ſemine: ut nequaquam eos virtutum Patriarcharum filios oſtenderet eſſe, ſed carnium.* Ergo & inter κακέφατα Hebræorum, *aqua,* pro *ſemine genitali*: Sicut *urina* apud *Juvenalem, Satyra* XI. *Auri-*

Auribus atque oculis concepta urina movetur.

Plinius *urinam genitalem* vocat lib. 8. cap. 43. ubi de aſinorum generatione: *Sed incontinens uterus* (aſinæ) *urinam genitalem reddit, niſi cogatur in curſum verberibus a coitu.* Et *ſerum* apud *Catullum*, Græcorum exemplo, qui σπερματικὸν ὀῤῥὸν vocant; ut *Plutarchus* lib. 5. de *Placitis Philoſophorum*, cap. 23. Ἡράκλειτος καὶ οἱ Στωϊκοὶ ἄρχεσθαι τοὺς ἀνθρώπους τελειότητος περὶ τὴν δευτέραν ἑβδομάδα, περὶ ἣν ὁ σπερματικὸς συγκρίνεται ὀῤῥός. Reperio & *os* obſcœno ſenſu uſurpatum in *Proverbiis* cap. 30. *Talis eſt via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os ſuum dicit: non ſum operata malum.* Quod enim ibi *os* intelligat, non latet: nempe de quo paulo ante dixerat eodem capite: *Tria ſunt inſaturabilia, & quartum quod nunquam dicit: ſufficit. Infernus, os vulvæ, &c. Tergere* autem mulier *os* dicitur, cum poſt concubitum partem illam abluit, ac terget, quod meretricibus fuiſſe in uſu, cum aliis ex locis, tum ex hoc *Ovidii* verſu intelligitur:

Dedecus hoc ſumpta diſſimulavit aqua.

De qua locutione & conſuetudine copioſe *Hieronymus Mercurialis* diſputat lib. 6. *Var. Lect.* cap. 6. Confirmat id, quod dico, *Hieronymus* in *commentario* ad verba illa Salomonis: *Adulteræ quoque mens* (inquit) *in ſimilitudinem eorum, quæ commemoravit ſuperius, inſtabilis ſemper & vaga eſt, quæ ubi admiſſum turpitudinis ſuæ celare potuerit, negat ſe aliquid patraſſe facinoris.* Igitur & *comedere* ibi idem valet, quod *ſuſcepto ſemine libidinem explere.* Sic *Plautus* in *Milite Glorioſo*:

S. Hic te operiar; eadem illi inſidias dabo,
Quam mox horſum ad Stabulum junix ſe recipiat e pabulo.

Quartilla meretrix apud Petronium: *Hodie enim poſt aſellum diaria non ſumo.* Sed de his ſatis.

CAPUT III.

Ejuſdem Hieronymi *locus de* Timæo Platonis, *&* Ciceronis *interpretatione ejuſdem dialogi, emendatur & explicatur. Item de* Septenarii *dignitate & myſteriis*, Pythagoreorum *nugæ. & de vocibus* ἑϐδόμη, *&* ἑϐδομάς.

IDem eruditiſſimus Eccleſiæ doctor, lib. 2. *commentariorum* in prophetam *Amos* cap. 5. de *Septenarii* numeri dignitate & ſacramentis diſputans in calce diſputationis: hoc etiam addit: *Denique & captivitas populi Iſrael, templique ſubverſio ſeptuageſimo anno deſolationis impleta eſt: & ſeptem aſtra juxta numerum dierum dicuntur errantia. De cujus numeri ſacramentis in Scipionis ſomnio plenius narrat Tullius: & obſcuriſſimus Platonis Timæus liber eſt: qui ne Ciceronis quidem aureo ore ſit planior.* Quid eſt quod dicit *ſeptem dici aſtra errantia juxta numerum dierum?* quem *numerum?* non enim explicat. Sine dubio deeſt vox, hebdomada: *juxta numerum dierum hebdomadæ.* Qui etiam ſequitur, prava interpunctione & inverſione verborum obſcurior factus eſt: Sic autem ſcribi debet: *De cujus numeri ſacramentis in Scipionis ſomnio plenius narrat Tullius, & obſcuriſſimus Platonis Timæus: qui liber ne Ciceronis quidem aureo ore ſit planior.* Hæc de verbis: nunc quod ait plenius narrare *M. Tullium* de *Septenarii* numeri ſacramentis in *Somnio Scipionis*, inter memoriæ labantis peccata referre haud dubitem, quod longa intermiſſione eorum ſtudiorum quorum perfectio in *Ciceronis* & ſimilium auctorum aſſidua lectione verſatur, parum, quid eloquentiæ Romanæ parens in eo *Somnio* ageret, recordari poſſet. Non enim, opinor, quiſ-

quiſquam dixerit mutilum eo loco eſſe *M. Tullii* codicem, neque quiſquam id hactenus ſuſpicatus eſt. Sane ibi *M. Tullius* de *Septenarii* poteſtate; verum perpauca attingit, leviter & ſtrictim, nedum plene: nempe duplicem tantum proprietatem: quod ſcilicet is numerus ſit *plenus*: & quod omnium rerum fere ſit *nodus*. ceterum neque quis numerus *plenus* dicatur, & quomodo ſeptenarius *plenus*, explicat. Multo minus quomodo omnium rerum eſſe *nodus* intelligatur. Quæ omnia *Macrobius* copioſe & diſerte in *commentario* ad hanc fabulam *Ciceronis* exſequitur.

Non minus illudit nobis *Hieronymus*, cum nos admonet *Timæum Platonis* ne *Ciceronis* quidem aureo ore fieri planiorem. Quaſi nuda & ſimplex verſio quam *Cicero* dedit ejus *Dialogi Platonis*, quantumvis elegans, magnopere rerum quæ in eo tractantur, ignaros juvare poſſit; quarum obſcuritatem vix *Platonicorum* doctiſſimi juſtis commentariis depellere potuerunt. Hinc proverbium: *numeris Platonis obſcurius*. quod *Cicero* uſurpat in *epiſtolis ad Atticum* lib. 7. *Ænigma Oppiorum ex Velia plane non intellexi: eſt enim numero Platonis obſcurius*. Idem lib. 2. *de Finibus*, de iis qui ita loquuntur, ut non intelligantur, verba faciens: *Quod* (inquit) *duobus modis ſine reprehenſione fit: ſi aut de induſtria facias, ut Heraclitus, qui cognomento* σκοτεινὸς *perhibetur, quia de natura nimis obſcure memoravit: aut cum rerum obſcuritas non verborum facit, ut non intelligatur oratio: qualis eſt in Timæo Platonis*. Quibus ex locis apparet Latine quidem converſum a *Cicerone*, *Platonis Timæum*, ſed non intellectum. Non enim neceſſe eſt, ſi quis alicujus auctoris verba in aliam linguam transferat, ejuſdem vim verborum & ſententiarum profunda eſſe animo complexum. Neque *aureum* iſtud *os* ad rerum intelligentiam multum affert legentibus momenti, ſi ſtudium deſit & eruditio. Illud interim fatendum eſt, quod *Hieronymus* dicit, obſcuriſſimum eſſe hunc *dialogum*, quod ſane varie-

tas

tas & multitudo expoſitionum teſtatur, hujus *Dialogi*, præ aliis *Platonis*. vix enim aliquis paulo magis in *Platonis* dogmate verſatus & eruditus, qui non in ea palæſtra ſudaverit. Quorum memoria ad me pervenit fermehi ſunt: *Crantor*, antiquiſſimus *Platonis* interpres: *Atticus*, *Ptolemæus*, *Albinus*, *Dercyllides*, *Theodorus*, *Clearchus*, *Plutarchus*, *Longinus*, *Origines*, *Proclus* is, qui *Diadochus* cognominatus eſt, cujus etiamnum *commentarii* exſtant in eum *dialogum*, quos univerſæ Græcorum philoſophiæ theſauros vocare licet. quibus *Chalcidius* illis poſterior adjungi poteſt.

Ceterum de numeri *ſeptenarii* poteſtate omnia, ut ille ait, jam vulgata. Et profecto magna hujus dignitas in natura. Nec minus propterea irridendi ſunt quidam, qui de occaſione ſumpta nugaciſſimis obſervationibus libros referſerunt. Quarum ſpecimen videre eſt apud *Gellium* lib. 3. cap. 10. ex *Varronis* libris *Hebdomadum*. Sed & apud *Ariſtotelem* lib. 14. *Metaphyſic.* cap. 6. quo loco *Pythagoreorum* de hoc numero nugas ridet: Ἑπ]ὰ μὲν φωνήεν]α· ἑπ]α δὲ χορδαὶ, ἢ ἁρμονίαι, ἑπ]ὰ δὲ αἱ πλειάδες. ἐν ἑπ]ὰ δὲ ὀδόντας βάλλει ἔνιά γε, ἔνια δ᾽ οὔ. ἑπ]ὰ δὲ οἱ ἐπὶ Θήβας. ἆρ᾽ οὖν ὅτι τοιοσδὶ ὁ ἀριθμὸς πέφυκε, διὰ τοῦτο ἢ ἐκεῖνοι ἐγένον]ο ἑπ]ὰ ἢ ἡ πλειὰς ἑπ]ὰ ἀςέρων ἐςιν; ἢ οἱ μὲν διὰ τὰς πύλας, ἢ ἄλλην τινὰ αἰτίαν; εἰ δὲ ἡμεῖς οὕ]ως ἀριθμοῦμεν, τὴν δὲ ἄρκ]ον γε δώδεκα, οἱ δὲ πλείους. i. *Septem quidem vocales*, *ſeptem autem chordæ*, *aut harmoniæ*, *ſeptem vero pleiades*, *in ſeptem autem* (menſibus) *quædam animalia emittunt dentes*: *quædam vero non. Septem etiam qui ad Thebas. Utrum igitur, quoniam talis quidam numerus ſuapte natura aptus eſt, ideo aut illi fuerunt ſeptem, aut pleias ſeptem ſtellarum eſt? An hi quidem propter portas Thebarum, aut aliam quandam cauſſam?* Ceterum omnino nugatorum nugaciſſimus *Ptolemæus Hephæſtio*, apud *Photium*, cauſſam cur ſeptenarius perfectus cenſeatur hujuſmodi profert, neſcio cujus *Theodori Samothra-*

thracis auctoritate: Τὸν δὲ Δία γεννηθέντα, ἐπὶ ἑπτὰ ἡμέρας ἀκατάπαυστον γελάσαι, καὶ διὰ τοῦτο τέλειος ἐνομίσθη ὁ ἑβδομὸς ἀριθμός. *Jovem* (ait) *ſtatim a nativitate totos ſeptem dies continenter riſiſſe: ob eamque cauſſam perfectus exiſtimatus eſt ſeptenarius numerus.* Multorum igitur de *Septenario* numero commentarii exſtiterunt: inter quos & *Cebes Socraticus* unum ſcripſerat *dialogum* titulo, Ἑβδόμη, auctore *Laertio*: Καὶ τούτου (Κέβητος) φέρονται διάλογοι τρεῖς, Πίναξ, Ἑβδόμη, Φρύνιχος. Interpres *ſeptimam* vertit, pro *ſeptenario*: ignorans ἑβδόμην ita accipi interdum. *Thomas Magiſter*: Ἑβδόμη, οὐ μόνον ἡ μετὰ τὰς ἓξ μονάδας μονὰς, ἀλλὰ καὶ ἅπας ὁ ἑπτὰ ἀριθμός. *Vox* ἑβδόμη *non ſolum unitatum ſeptimam ſignificat; ſed etiam totum numerum ſeptem.* probat autem auctoritate *Æſchyli*. Et vice verſa ἑβδομὰς non ſolum *ſeptem*, ſed etiam *ſeptimam unitatem* notat.

CAPUT IV.

Ejusdem Hieronymi *locus, de pedum multitudine in inſectis, & ſerpentum inceſſu. Et quid de his* Ariſtoteles?

IDem venerandus ſcriptor in tertia *Apologia* adverſus *Ruffinum*, quædam ſibi ab eo ex naturali diſciplina ἄπορα, hoc eſt, inexplicabilia proponi ad ſolvendum conqueritur: *Ut poſtquam* (inquit) *me hæc neſcire reſpondero, tuto tibi liceat de animabus ignorare, & unius rei ſcientiam, tantarum rerum ignoratione compenſes.* Satis perplexa oratio: quæ tamen ſic intelligi poteſt: Quaſi ignorante *Ruffino* quiddam controverſum de animæ natura, quod *Hieronymus* noſſet; viciſſim longe plura de rerum aliarum naturis neſciente *Hieronymo*, *Ruffi-*

Ruffinus illa in promptu haberet, atque ita unius rei ſcientiam in *Hieronymo*, multarum phyſicæ rerum in eodem ignoratione penſaret. Verum ſuſpicor non omnino eſſe integrum hunc locum, & pro, *unius rei ſcientiam*, ſcribi debere; *unius rei ignorantiam.* item in eodem contextu, pro, *tantarum rerum ignoratione*, reponendum eſſe, *tantarum rerum ſcientia.* Ita enim ſententia eſſet planior. Ceterum in his, quæ *Hieronymus* in naturæ contemplatione ſibi parum eſſe comperta fatetur, pedum in inſectis multitudinem & ſerpentum inceſſum videtur ponere, dum ita loquitur: *Ergo niſi tibi rationem reddidero: quare formica parvum animal, & punctum, ut ita dicam, corporis, ſex pedes habeat: cum elephantus tanta moles quatuor pedibus incedat: cur ſerpentes & colubri ventre labantur & pectore: cur vermiculus, quem vulgus millepedam vocat, tanto pedum agmine ſcateat: de animarum ſtatu ſcire non potero?* Nam *Hieronymus* quidem de anima ſcire ſe affirmabat illud Eccleſiaſticum: *Quotidie Deus operatur animas & in corpora eas mittit naſcentium.* Propterea *Ruffinus* de cauſſis quorundam naturalium interrogabat *Hieronymum*, ut ex earum rerum ignoratione evinceret, ne iſtud quidem de anima illi eſſe perſpectum, quod pro vero defenderet ac profiteretur. Videtur ergo *Hieronymus* ex his quidem verbis, fateri ſibi ignotam eſſe rationem pedum multitudinis in inſectis, neque putaſſe id cuiquam ſciri poſſe, ſed eſſe in profundo naturæ abditum, ſicut alia pleraque, quarum cauſſæ inveniri non poſſunt, ab eodem *Ruffino* illi propoſita: *Quæris a me primum de cœleſtibus, quomodo angeli, quomodo archangeli ſint: quæ eis vel qualis habitatio: quæve inter ipſos differentia, aut ſi nulla omnino: quæ Solis ſit ratio: unde augmenta Lunæ: unde defectus: quis vel qualis ſit ſiderum curſus.* &c. Rurſus: *Deinde cæleſtia deſerens, & ad terrena deſcendens, in minoribus philoſopharis. Dic nobis quæ fontium ratio? Quæ ventorum?* &c.

Ve-

Verum tamen paulo poſt idem *Hieronymus* ita cenſet, arduum quidem eſſe ſcire ad liquidum veritatem earum rerum, de quibus in ſcholas phyſicorum itur: non tamen ſe ignorare, quid philoſophorum principes in ſua quiſque ſecta atque ex propriis principiis de his rebus ſenſerint: *Urges* (inquit) *ut reſpondeam de natura rerum. Si eſſet locus: poſſem tibi vel Lucretii opiniones juxta Epicurum: vel Ariſtotelis juxtà Peripateticos; vel Platònis atque Zenonis ſecundum Academicos & Stoicos dicere.* Si hæc mens *Hieronymi*, ut apparet: jam ipſe *Ruffinus* importunus & inſolens, qui, ceu nihil horum quæ interrogat, certum ſit, vel certe ex nobilium philoſophorum placitis explicari poſſit, tali virò inſultet. cum præſertim in eo cenſu quædam proponat nulli non experientia comperta ex Aſtronomorum demonſtrationibus: ut Lunæ augmenta & defectus: de quibus nemo eſt tam rudis, qui ambigat. Sicut impudentis ſit amentiæ diſputare de generatione pluviæ, aut de ſalſugine maris, fluvialiumque aquarum dulcedine; poſt *Ariſtotelem*, neque ejus decretis acquieſcere.

Sed neque de numeroſis pedibus inſectorum, & reptili ſerpentum inceſſu, tametſi horum abſtruſior ratio, eſt multum laborandum putem ei qui quid de his nobis ſcriptum reliquerit *Ariſtoteles*; teneat. Sunt enim ejusmodi; ut cuivis ſano ſatis eſſe poſſint. Nam protervis & procacibus ſophiſtis, qui nodum in ſcirpo quærunt, nihil ſatis eſt. An tamen hanc ſummi naturæ interpretis rationem aut *Hieronymus* aut *Ruffinus* vidiſſent, ambigi poteſt. Tria autem affert *Ariſtoteles*. primum eſt, imbecillitas & inopiá caloris in eo genere animalium; unde tarditas: alterum, corporis prolixitas: tertium, quod plurà quaſi in eòdem corpore principia habeant: unde ἔντομαι, inſectiones, a quibus nomen iis inditum. Sed ipſummet magiſtrum hæc aureo illo ore diſſerentem præſtat legere & auctor

 ſum

ſum naturæ rerum cupidis qui non legerunt, viſant lib. 4. de *Partibus Animalium*, capite 6. & 10.

CAPUT V.

Locus Ariſtotelis *initio* Naturalis Auſcultationis *aliter citatus a* Galeno, *quam in noſtris libris exſtat.*

HUnc locum ita expreſſum habemus. Ὥσπερ γὰρ καὶ τῷ γεωμέτρῃ οὐκέτι λόγος ἐστὶ πρὸς τὸν ἀνελόντα τὰς ἀρχάς, ἀλλ' ἤτοι ἑτέρας ἐπιστήμης, ἢ πασῶν κοινῆς· οὕτως οὐδέ τῳ περὶ ἀρχῶν. Quæ ſic Latine converti poſſunt: *Quemadmodum enim Geometræ non eſt amplius diſputatio adverſus eum, qui Geometriæ principia evertit: ſed hæc diſputatio aut alterius eſt ſcientiæ, aut omnium communis: ſic nec cuiquam de principiis.* Ita enim iſtud, τῳ, ita ſcriptum ſine accentu, vertendum eſt: non autem ut vulgatæ horum librorum verſiones habent, *ei vel illi, quæ de principiis.* Ut omnibus non imperitis Græcæ linguæ notum eſt. Senſus eſt: ſicut Geometræ non eſt ad eum ratio, ſive diſputatio; qui tollit principia: ſic nec cuiquam de principiis, *ſupple*, ſcientiæ quam profitetur, eſt diſputatio. Quin hæc vera ſit lectio hujus loci nullus dubito, cum & bonum ſenſum exhibeat, & per omnes libros obtineat.

Non tamen ſilentio prætere poſſum, aliter a *Galeno* citari hunc locum lib. 1. περὶ στοιχείων: hæc ſunt *Galeni* verba: Ὁ γὰρ ἀντιλέγων τοῖς ἀναιροῦσιν ἡστινοσοῦν τέχνης τὰς ἀρχάς, οὐχ ὁ τεχνίτης ἐστὶ τῆς ἀναιρουμένης τέχνης, ἀλλ' ἕτερός τις. ὅπερ ἄν σοι γένηται δῆλον κἀκ τῆς τοῦ Ἀριστοτέλους ῥήσεως ἐχούσης ὧδε· ὥσπερ γὰρ τῷ γεωμέτρῃ οὐκ ἔτι λόγος ἐστὶ πρὸς

τὸν

τὸν ἀναιροῦντα τὰς ἀρχὰς, ἀλλ᾽ ἤτοι ἑτέρας ἐπιστήμης, ἢ κοινῇ πασῶν, οὕτως οὐδὲ φυσικῷ. Ita τῷ, pro articulo habet, & vocem ſupplet, φυσικῷ; quæ in noſtris libris deſideratur. Præterea pro his: ἢ πασῶν κοινῆς, in genitivo; *Galenus* legit κοινῇ, hoc eſt, *communiter*. Quod & explicat deinceps: Τοῖς γὰρ ἀναιροῦσι τὰ ἐναργῶς φαινόμενα, ἡ κοινῇ πάντας ἀνθρώπους μέμφεσθαι προσήκεν, ὡς ἀνατρέπουσι τὸν βίον, ἢ τέχνην τινὰ ὑπὲρ τῶν ἀρχῶν ἀγωνιζομένην προσήτασθαι. i. *Iis enim qui manifeſte apparentia tollunt, ſuccenſere oportet: utpote qui vitam deſtruant; aut aliquam artem opponere, quæ pro principiorum ſalute pugnet.* Utraque lectio defendi poteſt, ſed mihi prior præferenda videtur. Tum quia, ut dixi, hanc habent omnes libri, tum quia magis *Ariſtotelica*. Magis enim *Ariſtotelica*, quæ magis plene veritatem tradit. Hoc enim vult *Ariſtoteles*: ut Geometræ non eſt ratio adverſus eum, qui tollit ſua principia: ſic nec cuiquam profeſſori cujuſque ſcientiæ particularis, ratio eſt de principiis, hoc eſt, qua probet ſua principia, ejus ſcilicet ſcientiæ, quam profitetur. Sic &, πασῶν κοινῆς, malim legere, ut in editis libris, quam κοινῇ πασῶν hanc enim lectionem ſolus *Galenus*: illam nobiles *Ariſtotelis* interpretes, *Themiſtius*, *Simplicius*, *Philoponus* agnoſcunt, & πασῶν κοινὴν ἐπιστήμην exponunt aut *metaphyſicam*, aut *dialecticam*.

CAPUT VI.

Themiſtii *Peripatetici locus perperam acceptus ab* Hermolao Barbaro. Anaxagoram *&* Empedoclem *primos* cauſſæ efficientis *mentionem feciſſe.*

LOcus eſt in *Paraphraſi Themiſtii* ad lib. 2. *Phyſicæ Auſcultationis*; eſtque ejuſmodi: Ἐπειδὴ πάντες σχεδὸν οἱ περὶ φύσεως διαλεχθέντες εἰς τὴν ἀνάγκην ἀνάγουσι τὰς αἰτίας· οὐδὲν ἄλλο τὴν ἀνάγκην, ἢ τὴν ὕλην εἶναι νομίζοντες. ἐπειδὴ γὰρ τὸ θερμὸν τοιονδὶ, καὶ τὸ ψυχρὸν, καὶ ἕκαστον τῶν ὑλικῶν, ὃ τίθεται ἀρχὴν ἕκαστος ἐξ ἀνάγκης τόδε ἐγένετο· καὶ γὰρ ὅσοι ποιητικῆς αἰτίας ἐμνημόνευσαν, ὅσον ἀψάμενοι χαίρειν ἐῶσι· ὡς Ἐμπεδοκλῆς καὶ Ἀναξαγόρας. Quæ ſic vertit Hermolaus: *Nam omnes fere, qui de natura ſcripſerunt, cauſſas omnes in neceſſitatem & materiam contulere: idem autem ſignificari & neceſſitatis & materiæ nomine volebant. Poſtquam (inquiunt) calidum, frigidum, & quod quiſque principium materiale ſtatuerit, tale eſt, aut tale: neceſſe eſt hoc, quod ex illis principiis materialibus oritur, ita prorſus eſſe conſtitutum, ut eſt. Eos vero, qui cauſſas efficientes quoquo modo attingunt, Anaxagoram & Empedoclem, & ſi qui alii e veteribus erant, valere ſinunt cum ſuis inventis.* In poſtrema, inquam, ſententiæ hujus parte: hallucinatus eſt non parum *Hermolaus*, ita vertens, tanquam velit *Themiſtius* noluiſſe antiquos phyſicos, quæ de cauſſa efficiente *Empedocles* & *Anaxagoras* philoſophati eſſent, ſequi, ſed illos eo nomine miſſos feciſſe ac valere juſſiſſe. Cum hoc velit; *Empedoclem* & *Anaxagoram* vidiſſe quidem cauſſam efficientem, verum ea nunquam in cauſſis rerum explicandis uti, ſed contra valere

lere jubere, hoc eſt, negligere omnino & floccifacere. Quod hæc ſit mens *Themiſtii*, ex verbis Socratis apud *Platonem* in *Phædone* intelligi poteſt: Ἀπὸ δὴ θαυμαστῆς, ὦ ἑταῖρε, ἐλπίδος ᾠχόμην φερόμενος, ἐπειδὴ προϊὼν καὶ ἀναγινώσκων, ὁρῶ ἄνδρα τῷ μὲν νῷ οὐδὲν χρώμενον, οὐδέ τινας αἰτίας ἐπαιτιώμενον εἰς τὸ διακοσμεῖν τὰ πράγματα, ἀέρας δὲ καὶ αἰθέρας, καὶ ὕδατα αἰτιώμενον, καὶ ἄλλα πολλὰ καὶ ἄτοπα. *Ceterum ab hac, admirabili ſpe dejectus ferebare, o amice; ſi quidem procedens ultra legendo, hominem video, mente quidem nullo modo utentem, neque cauſſas aliquas rerum compoſitionis atque ornatûs aſſignantem, ſed aëres ætheresque & aquas atque alia abſurda multa cauſſificantem.* Sed quid *Platonem* adduco, cum perſpicua ſint *Ariſtotelis* verba lib. 2. *phyſic.* quibus reſpondet præſens locus *Themiſtii*. Ita enim ibi *Ariſtoteles* de *Anaxagora*, & *Empedocle*; Καὶ γὰρ κἂν ἄλλην αἰτίαν εἴπωσιν, ὅσον ἁψάμενοι χαίρειν ἐῶσιν, ὁ μὲν τὴν φιλίαν καὶ τὸ νεῖκος, ὁ δὲ τὸν νοῦν. *Etenim etiamſi aliam cauſſam dicunt, ſolum tangentes valere ſinunt: hic quidem litem & amicitiam, ille vero mentem.*

CAPUT VII.

Inſigne mendum ex eadem paraphraſi Themiſtii *ſublatum.*

NEque iſtud mendum vidit *Hermolaus*, grave profecto, tametſi ex unius particulæ disjunctivæ tranſpoſitione: tam levibus momentis bonorum auctorum recta dicta in contrarium & abſurdum ſenſum torquentur. Μετὰ ταῦτα σκεπτέον, πῶς ἐν τοῖς φύσει τὸ ἀναγκαῖον· καὶ πότερον τὰ φύσει γινόμενα ἁπλῶς ἐξ ἀνάγκης γίνεται, ὡς τὸ τέλος ἁπλῶς

ἕπεσθαι τοῖς πρὸ αὐτοῦ γινομένοις, ἢ ὡς ἐνόμιζον οἱ Φυσικοὶ, ἐν ταῖς τῆς ὕλης κινήσεσιν ἕπεσθαι τὰ γινόμενα ἐξ ἀνάγκης οἰόμενοι. ἔστι μὲν πως τὸ ἀναγκαῖον ἐν τοῖς Φυσικοῖς, οὐχ οὕτως δὲ ὡς ἐκεῖνοι λέγουσιν. &c. Hermolaus: *Poſt hæc diſcutiendum videtur, quomodo ſit in rebus, id quod quidam neceſſitatem appellant: & utrum ea quæ natura fiunt, ita fiant ex neceſſitate, ut ex præcedentibus cauſſis, conſtitutiſque principiis oriantur; An ita ut Phyſici putaverunt, qui ex motibus materiæ omnia evenire arbitrati ſunt. Atque eſt quidem neceſſitas quædam in rebus naturalibus conſtituenda recipiendaque; non tamen eo modo, quo illi conſtituunt.* Qua lectione nihil abſurdius: quippe qua ſimilia omnino disjunguntur. Quis enim dicat, Τὸ ἁπλῶς γίνεσθαι ἐξ ἀνάγκης τὰ φύσει γινόμενα. (quod prius eſt membrum disjunctionis) opponi iſti, quod disjunctiva copulatur deinceps; Ἐν ταῖς τῆς ὕλης κινήσεσιν ἕπεσθαι τὰ γινόμενα ἐξ ἀνάγκης? Sic emendo hunc locum poſt hæc, Τοῖς πρὸ αὐτοῦ γινομένοις, lego, ὡς ἐνόμιζον οἱ Φυσικοὶ, ſublata disjunctiva ἢ, poſt autem iſta, ἐξ ἀνάγκης οἰόμενοι: eandem particulam repono; ut fiat alterum membrum disjunctionis; ἢ ἔστι μὲν πως τὸ ἀναγκαῖον. Ita enim opponetur & reſpondebit illi, Καὶ πότερον τὰ φύσει γινόμενα ἁπλῶς ἐξ ἀνάγκης.

CAPUT VIII.

Aliæ maculæ deterſæ ex eadem paraphraſi. Hermolai *verſio notata.*

Themiſtii verba hæc ſunt in *Paraphr.* ad lib. 8. *Phyſic.* quo loco oſtenditur motum localem omnium aliorum natura eſſe primum: Οὐκ ἄρα πρώτη φορᾶς ἡ γένεσις· εἰ δὲ μὴ γένεσις, σχολῇ γ' ἂν αὔξησις, ἢ ἀλλοίωσις δευτέρα ἐκείνης, καὶ

καὶ μετ' ἐκείνω. Quam ſententiam eſſe mutilam haud dubium: deeſt enim verbum δειχθήσοιτο, vel aliud ejusmodi. hoc ſenſu: ſi generatio non eſt prior latione fruſtra accretio & alteratio poſteriores illa (latione) & poſt ipſam eſſe probentur; quippe ſine quibus generatio eſſe non poſſit. Ibidem: Ἔτι τὰ ἀτελέστερα τῶν σωμάτων ταύτης τῆς κινήσεως ἀμοιρεῖ. οἷον τὰ φυτὰ, καὶ τὰ ζωόφυτα. male, σωμάτων, pro ζώων: *imperfectiora viventium. animantes* vertit *Hermolaus*, quæ Ariſtoteles ζῶα appellat, minus Peripatetice. In eadem paraphraſi, ubi oſtenditur ſolum omnium motum localem eſſe continuum & ſempiternum; fieri non poſſe docet, ut aliquod corpus ſubjectum duobus contrariis ſimul motibus agatur: puta ſimul albeſcat, & nigreſcat: ſed unum finiri neceſſe eſſe, ut alteri ſit locus: ac quietem neceſſario pauſamque intercedere, a qua fiat tranſitus ad motum contrarium: Εἰ οὖν τὸ λευκαινόμενον οὐχ ἅμα καὶ μελαίνεται, τέλος γὰρ ἂν εἴη τοῦ λευκαίνεσθαι τὸ μελανθῆναι, δῆλον ὡς ἡνίκα ἂν μελαίνηται, ἑτέραν κινεῖται κίνησιν τῆς προτέρας, εἰ δὲ νῦν μὲν ταύτην κινεῖται, πρότερον δὲ οὐ· ὑπῆρχε δὲ, καὶ τότε καὶ νῦν, (ſupple τὸ λευκαινόμενον) δῆλον ὡς ἐκ μιᾶς εἰς αὐτὴν μεταβέβληκεν, mendoſum iſtud ajo, μιᾶς, pro ἠρεμίας. ſequentia teſtantur: Εἰ γὰρ μὴ ἠρέμησεν μεταξὺ, ἐκινεῖτο ἂν, ὡς μίαν τὰς ἐναντίας, ſupple, κινήσεις. Plana hæc correctio eſt intelligenti. In *Paraphraſi* ad 2. *de Anima*, ad illam dubitationem; quamobrem ſenſus non percipiat propria inſtrumenta, quibus eſt conjunctus, cum ſint corpora ſenſilia: exempli gratia, quare viſus non percipit colorem nervi optici; tactus calorem carnis: reſpondet: in omni motione mobile debere eſſe exterius moventi: puta lignum igni, & ſic de aliis quæ ſecantur, forantur, aut aliter afficiuntur. Καθάπερ οὖν τὸ καυστὸν οὐ καίεται ὑφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὑφ' ἑτέρου τοῦ καυστικοῦ· ἔκαε γὰρ ἂν ἑαυτὰ δήπου τὰ ξύλα, νῦν δὲ δεῖται πυρός. οὕτω καὶ τὸ αἰσθητικὸν, οὐχ οἷόν τε, καθ' ἣν ἔχει δύναμιν, ἐνεργῆσαι, μὴ κινοῦντος

αὐτὴν τοῦ αἰσθητοῦ. κινεῖται, ὅταν ἔξωθεν ᾖ, καὶ μὴ συνειλημμένον, καὶ ὥσπερ ἕν. οὐδὲ γὰρ ἡ σφῦρα αὐτάρκης κινῆσαι τὴν τέχνην, οὐδὲ τὸ τρύπανον, οὐδὲ ὁ πρίων· ἂν μὴ τὸ μέλλον πρίεσθαι, ἢ τὸ μέλλον τρυπᾶσθαι, ἔξωθεν ᾖ. *Hermolaus* poſteriora exempla ſic reddidit: *Etenim neque marculus per ſe excudendo eſt, neque ſerra ſecando, neque terebra inforando, ſed & excuſor & faber adhibendi extrinſecus ſunt, quorum opera atque vi eventa illa conſiſtant, excuſio, inforatio, ſectio.* Atqui hoc non dicit *Themiſtius*, ſed ſic: *Neque enim marculus ſufficit per ſe ad artem movendam, neque terebra, neque ſerra; niſi extrinſecus aliquid fuerit quod ſerra diſſecari, aut terebra forari debeat.* Multa ejusmodi occurrunt apud *Themiſtium*, & ejus interpretem *Hermolaum Barbarum*, animadverſione digna, quorum pleraque omnia penes me habeo: ſed in præſens horum ſpecimen aliquod dediſſe ſufficiat.

CAPUT IX.

Nonnulla e Philoponi *commentariis maculæ deterſæ.*

AD librum primum *de Anima* text. 54. ubi de corporis vario apparatu ad animam recipiendam ſecundum diverſas animalium ſpecies: Ἄλλη γὰρ καὶ κρᾶσις καὶ σύνθεσις τῶν κατὰ τὸ θυμοειδὲς χαρακτηριζομένων ζώων· ἄλλη τῶν κατὰ τὸ ἐπιθυμητικόν· ἄλλη τῶν δηλῶν, mendum leve eluo, in ultima voce, δηλῶν, pro δειλῶν *timidorum.* De ſententia, vide *Galenum* lib. 1. *de Uſu Partium* cap. 2. ubi hoc fuſe ſuo more explicat. Supra ad text. 51. Ὅσαι μὲν γὰρ τῶν ζώων ἀθάνατοι, μόνον αὐταὶ καὶ μόνου σφαιρικοῦ ἔτυχον σώματος. οἰκεῖον γὰρ τῷ ἰδίῳ τὸ κυκλικὸν σῶμα &c. ſcribe τῷ ἀϊδίῳ.

ἀϊδίῳ. Paulo poſt: Τὸ δὲ μικτὸν, ὁ ἄνθρωπος, οἰκείου καὶ τοῦ σώματος ἔτυχεν. Iſtud, ὁ ἄνθρωπος, ſapit gloſſema, quod ab ora libri in textum irrepſit. ſupra enim, quod mixtum intelligat, haud obſcure expreſſit: nempe Τὸ μικτὸν τῆς ἀνθρωπείας ψυχῆς; animam ipſam humanam diverſis partibus conflatam, una rationali: altera irrationali. ſequitur: Κύκλωθεν γὰρ σφαιρικοῦ ἡγεμονεύειν τὸ λογικὸν καὶ ἀΐδιον. Quædam deſunt: nempe, διὰ τό. ſenſus eſt, rotundum ſimul & longum corpus animæ humanæ eſſe tributum; quia ex duabus contexta partibus; una immortali & cœleſti quæ imperat, puta ratione: altera caduca & irrationali. priori igitur caput pro domicilio eſſe aſſignatum, globoſæ figuræ: alteri reliquum corpus ſub capite recta productum.

Ad eundem text. 54. in ſolutione inſtantiæ Epicuri contra *Platonem*: Οὐκ ἔστιν ἄρα τὸ μέλι, καθ' ὃ μέλι ἐστὶ γλυκύ. καθ' ὃ γλυκύ ἐστι, deeſt, ἀλλὰ, ante reduplicativam; Sic ἀλλὰ καθ' ὃ γλυκύ. ſequitur τοῦτο δὲ ἀδιανόητον. immo, οὐκ ἀδιανόητον. Deeſt negativa.

Ad text. 56. Ποία οὖν ἁρμονία ὁ θυμὸς, ἢ ἡ ἐπιθυμία ἢ ἡ αἴσθησις, ἢ τὰ λοιπά. πότερον Λύδιος, ἢ Φρύγιος ἢ Ἰάσπιος, ἤ τις ἄλλη: corruptus locus in voce Ἰάσπιος. Apud *Ariſtotelem* lib. 8. *de Republica* cap. 5. triplex harmoniæ genus diſtinguitur: Lydium, Doricum, Phrygium. In commentario *de Muſica*, qui *Plutarcho* adſcribitur, his ſpeciebus additur mixolydia & Ἰὰς, *Jonia.* uude adverbium Ἰαστὶ, in muſicis uſurpatum. *Scholiaſtes Æſchyli* in *Perſis*: Αὐλοῖς αὐλοῖς Μαριανδυνοῖς κρέκων Ἰαστί. Putavi olim legi debere ὑάγνιος, ab *Hyagni*, antiquo Tibicine; & modorum inventore: cujus meminit auctor citati libri *de Muſica*, & *Apulejus* lib. 1. Floridorum: *Hyagnis in canendo manus diſcapedinavit: primus duas tibias uno ſpiritu animavit &c.* At enimvero cum & *Aſium* harmoniæ genus apud antiquos laudatum fuiſſe, conſtet eodem *Apulejo* auctore; veriſimilius mihi videtur ſcripſiſſe *Philoponum* ἢ Ἄσιος. verba

L 5

ba *Apuleji* adſcribam: *Tibicen quidam fuit Antigenidas, omnis vocula melleus modulator, & idem omnimodis peritus modificator: ſeu tu velles Æolium ſimplex, ſeu Aſium varium, ſeu Lydium querulum, ſeu Phrygium religioſum, ſeu Dorium bellicoſum.*

CAPUT X.

Loca alia ejusdem Philoponi *emendata e* commentariis *in lib.* 2. de Anima.

HÆc ſaltuatim & ſtrictim attingimus hiſce in miſcellaneis, pauca e multis. cuncta enim perſequi alterius operæ eſt. Ad text. 15. explicans quomodo altrix poteſtas ſine aliis eſſe poſſit, non autem vice verſa aliæ ſine illa in mortalibus, hæc habet: Ἐπὶ μέν τοι τῶν θνητῶν, διὰ τοῦτο θνητὰ· εἶναι δύνατον τὴν κρείττονα &c. lege ἀδύνατον. ſubdit: ἐπεὶ γὰρ θνητόν ἐστι καὶ δέεται εἰς ῥοῆς. credo omnes videre unam eſſe vocem εἰσροῆς, *influxus.* In iis quæ deinceps ſequuntur, integræ dictiones exciderunt. Ἐπειδὴ καὶ ἀποῤῥεῖ, ἀνάγκη πάντως τῆς θρεπτικῆς δυνάμεως τῆς προσυφαινούσης ἀντὶ τοῦ ἀποῤῥεύσαντος ἐν τῷ σώματι, ἵνα φυλάττηται. poſt ἀποῤῥεύσαντος, lege, εἰσρεύσαν ὑγρόν. & mox, τῷ σώματι, expuncta præpoſitione ἐν. Ad text 44. Εἰπὼν ὅτι τὸν οἱονεὶ ἀπαθῆ ὑπὸ τὸ ὅμοιον, mendoſe, pro, ὅτι τὸ ὅμοιον ἀπαθὲς ὑπὸ τοῦ ὁμοίου. Ad text. ſequentem: Ποιητικὸν δὲ καὶ ἀπαθὲς τὸ τρέφον. ſcribe, τὸ τρεφόμενον.

Ad hæc verba *Ariſtot.* eodem textu, πότερον δέ ἐστιν ἡ τροφὴ &c. quo pacto alimentum ſimile corpori, aut diſſimile intelligi debeat, explicans, Medicos citat: Τροφῆς γὰρ, οἱ ἰατροί φασι, τὸ τρέφον τροφή.. Sententia eſt *Hippocra-*

pocratis ex lib. de *Alimento*, ſed mutila; ſic autem ſupplenda eſt, & locus hic *Philoponi*: Τροφῆς γὰρ, οἱ ἰατροί φασι, τὸ τρέφον, τὸ τροφή, καὶ οἷον τροφή, καὶ τὸ μέλλον τροφή.

Ibid. ad text. 88. de inſtrumentis vocalibus agens, τὸν φάρυγγα in maſculino genère *laryngem*, hoc eſt, *arteriæ aſperæ caput* ſignificare docet; in feminino *fauces*: ſpatium ſcilicet quod a radice linguæ uſque ad laryngem & œſophagum patet. Φάρυγξ ὅτε μὲν θηλυκῶς λέγεται, σημαίνει τὴν κυρίως φάρυγγα. αὕτη δέ ἐστιν ἡ ἐχανία ἡ μετὰ τὴν τῆς γλώττης ῥίζαν. ſcribe; ἀχανία a verbo χαίνω. idem *Philoponus* ſupra, de eadem re loquens: Ἔστι γὰρ τὸ μὲν ἀχανὲς τοῦ σώματος τὸ μέχρι τῆς ῥίζης τῆς γλώττης φάρυγξ. Profundum ſcilicet illud, in quo gulæ & aſperæ arteriæ extrema concurrant. Ita quidem *Philoponus* duplicem hujus vocabuli ſignificationem diſtinguit: perquam grammatice. alioqui promiſcue uſurpari in feminino etiam genere, modo pro faucibus, modo pro larynge, apud *Galenum* & alios bonos auctores obſervare eſt. De laryngis autem conſtitutione ſic eodem loco: Ἔστι δὲ ὁ φάρυγξ τὸ ἔσχατον τῆς τραχείας ἀρτηρίας, ὅπερ ὑπὸ τῶν τριῶν χόνδρων περιέχεται. τοῦ τε ἀρυταινοειδοῦς καλουμένου, καὶ τοῦ θυροειδοῦς, καὶ τοῦ ἀνωνύμου. i. *Eſt autem pharynx, ſeu larinx extremitas arteriæ aſperæ, quæ tribus cartilagnibus conſtat: ea quæ arytænoides, hoc eſt, gutturnio ſimilis; & quæ ſcuti formam refert, ob id thyroides dicta; tum ea, quæ nomine caret.* Quæ eſt igitur hæc laryngis cartilago ἀνώνυμος? quam recentiores Anatomici κρικοειδῆ i. *annularem* vocant: contra veterum auctoritatem atque ipſius *Galeni*, qui & ipſe in libro *de diſſectione vocalium inſtrumentorum* cap. 4. nullum ei cartilagini nomen potuiſſe inveniri tradit, quod nulli eàrum rerum, quæ in hoc mundo exiſtunt, aſſimilari poſſit; tametſi poſtremæ incumbens baſim κρικοειδῆ efficit.

Eodem in lib. ad text. 101. τοῦ ἀοράτου notiones tradens;

dens; & ejus quod dicitur κατὰ στέρησιν ὁρατὸν, ut tenebræ, & quæ obſcuritate parum a tenebris differunt. Καὶ τοῦ λίαν ἀμυδροῦ (inquit,) ὃ ἐγγίζων ἐστὶ τῇ στερήσει (ſupple ὄψις ἀντιλαμβάνεται κατὰ συμβεβηκὸς) οἷον λέγομεν εἶναι τὸ γλυκὺ φῶς. turpe eſt mendum pro λυκόφως, *crepuſculum*.

Ad lib. 3. *de Anima* cap. 6: in προθεωρίᾳ. quantam unius elementi jactura fraudem parum attentis facere poſſit, locus hic *Philoponi* oſtendet. Ἐπειδὴ εἶπε πῶς νοεῖ ὁ νοῦς τὸν ὅρον· ζητεῖ λοιπὸν πῶς νοεῖ τὸ ἀδιαίρετον μέγεθος. ὅπερ ἦν δεύτερον σημαινόμενον τοῦ ἀδιαιρέτου· τοῦτο δὲ τρίτον ἐστι. τὸ γὰρ μέγεθος τρίτον ἐστί. Agit ibi *Philoſophus* de indiviſibilium intellectione; in quorum claſſe ſecundum locum tribuit magnitudini, prout eſt quoddam totum, & ſimul intellectu comprehenditur. Τοῦτο δὲ τρίτον, ſupple, ἀδιαίρετον. *Iſtud autem individuum tertium eſt.* Ita ad verbum nullo ſenſu. mendoſe igitur τρίτον pro τριττὸν, *trinum*, quod ſcilicet tribus modis uſurpatur. Sequitur: Τὸ γὰρ τρίτον ἐστί. idem mendum eſt, & ſequentia indicant: Καὶ ὅλον γάρ ἐστι καὶ μέρη ἔχει, καὶ συντιθέμενόν ἐστι. ſcribe igitur τριττὸν: trina eſt magnitudo: nam & quoddam eſt totum: & partes habet plures: & compoſita eſt. Quæ eſſe trina, modi tres cognoſcendi arguunt; quippe eadem magnitudo, ut totum eſt quoddam, ab intellectu ſimul & abſque tempore cognoſcitur, nempe in inſtanti. Ut autem partes habet, ab intellectu etiam cognoſcitur, ſed non in uno inſtanti temporis, verum pluribus, unaquæque ſcilicet pars poſt aliam, ſeorſim indiviſibiliter: ut denique ex partibus conflata, non amplius mente, ſed cogitatione, quam διάνοιαν Græci vocant, uſurpatur. Atque hæc in tranſcurſu ex *Philopono* attigiſſe ſufficiat. larga quidem in hujus & aliorum interpretum Græcorum commentariis errorum seges eſt, meſſis multa, ſed operarii pauci. Satisque mirari non poſſum, nemini Criticorum noſtrorum, qui in bonorum auctorum libris emendandis totam

æta-

ætatem contriverunt, veniſſe unquam in mentem ut aliquam operam Græcis philoſophis darent, *Platoni*, *Ariſtoteli*, eorumque interpretibus Græcis, quibus nihil doctius, nihil eruditius eſſe poteſt. In primis autem *Joſephum Scaligerum* miror, tanta ingenii capacitate virum, & inexhauſta literarum omnium cupiditate, quam tam prolixe poëtis Latinis operam dediſſet, negaſſe Philoſophis non minus eruditione omni florentibus. Utinam aliquis tandem exoriatur philoſophiæ vindex, qui hanc e ſitu & tenebris, in quibus pridem jacet, in priſtinum ſplendorem referat: verum hujus boni vix ſpes hoc tempore, quo (quicquid harum tenebrarum adoratores garriant) nullum unquam veris ſtudiis, candori, probitati, bonæ menti magis importunum, adverſum, inimicum extitit.

CAPUT XI.

Ariſtotelis *locus difficilis ex libro de* Animalium motione *expenditur.*

PRimum, de qua re agat philoſophus præmittendum eſt. De *motu animalium* diſputans hoc principium ponit: ad omnem motum aliquo opus eſſe corpore ſtabili, extra illud quod movendum eſt, cui movens inſiſtat. Hoc autem principium eſſe verum, docet exemplo eorum, qui navigia & cymbas movent. Nam ſi quis extra navigium ſtans in terra conto ad malum impacto atque affixo, nitatur contra, ſi virium ſatis habeat, plane navem propellit: ſi autem in navigio ipſo conſtitutus, idem tentet, fruſtra ejus operæ ſit: nunquam enim

pote-

poterit movere. Non ſi Tityus aut Boreas ſpirent &c. verba quibus id dicit *Philoſophus* & quæ negotium faciunt hæc ſunt: Μαρτύριον δὲ τούτου τὸ ἀπορούμενον διὰ τί ποτε τὸ πλοῖον μὲν ἔξωθεν, ἄν τις ὠθῇ τῷ κοντῷ τὸ ἱστὸν, ἤ τι ἄλλο προσβάλλων μόριον, κινεῖ ῥᾳδίως. ἐὰν δ' ἐν αὐτῷ τις ὢν τῷ πλοίῳ, τοῦτο πειρᾶται πράττειν, οὐκ ἂν κινήσειεν, οὔτ' ἂν ὁ Τιτυὸς, οὐθ' ὁ Βορέας πνέωσιν ἔσωθεν ἐκ τοῦ πλοίου, εἰ τύχοι τις πνέων τὸν τρόπον τοῦτον, ὅνπερ οἱ γραφεῖς ποιοῦσιν. ἐξ αὐτοῦ γὰρ τὸ πνεῦμα ἀφιέντα γράφουσιν. Quod igitur in hoc verborum contextu negotium facit, verba hæc ſunt, Οὔτ' ἂν ὁ Τιτυὸς, οὔθ' ὁ Βορέας πνέωσιν, *Neque ſi Tityus & Boreas ſpirent &c.* videtur enim plurale iſtud πνέωσιν regi ab his duobus Τιτυὸς, Βορέας, tanquam duo ſint venti. Hoc autem abſurdum dictu eſt, neque veriſimile *Ariſtotelem* dixiſſe: tametſi parum in exemplis veritatem curant philoſophi: ſed tamen non acquieſcit animus meus, ut credam *Ariſtotelem*, *Tityum* gigantem ex fabulis notum, pro vento, vel in exemplum ſumpſiſſe. Apage. vidit hanc difficultatem *Niphus*, celebris inter recentiores Peripateticus, in commentario ad hunc locum: & pro Τιτυὸς, reſcribit, Εὖρος, nomen venti, qui ab ortu hiemali flat, auctore *Ariſtotele* lib. 2. *Meteor.* cap. 6. verum, cum omnes libri in voce Τιτυὸς conveniant, majoris audaciæ arbitror hanc expungere, & longe hujus animi fruſtra eſt *Niphus*. In *Scholiis Michaëlis Epheſii* ad hunc locum reperio hæc verba: Οὔτε ἂν ὁ Τιτυὸς ἢ ὁ κινῶν. Et mox de ventro Borea: Οὔτε ὁ Βοῤῥέως ἦν ἐν αὐτῷ πλοίῳ, καὶ ἔπνει ἀπ' αὐτοῦ, ἐκίνησεν ἂν αὐτό. Ex quibus verbis hunc locum ſupplere licet, nempe hoc modo: οὐκ ἂν κινήσειεν, οὔτ' ἂν ὁ Τιτυὸς ἢ ὁ κινῶν: in iis etiam quæ ſequuntur ſupplendo vox Εὖρος, ſic: οὔθ' ὁ Βορέας καὶ Εὖρος πνέωσιν ἔσωθεν. Interim ex hoc loco *Ariſtotelis* obſervari velim morem veterum pictorum, qui in navibus ac velificatione pingenda, ventos humana figura in ipſa nave, ex aliqua ejus parte, puta, puppe, inflatis buccis ſpirantes,

tes, ac vela inſlantes effingebant. Quod ſane hæc verba ſignificant: Ἐξ αὐλοῦ γὰρ (ſupple πλοίου) τὸ πνεῦμα ἀφιέντα γράφουσιν. ubi & ἀφιέντας, pro ἀφιέντα legendum eſſe in numero plurali, ex dictis planum eſt. Obſervanda etiam *Ariſtotelis* venuſtas & elegantia, qui dum naturæ leges in motibus animalium explanat: interea data occaſione memoratum pictorum illius temporis morem notet, inſcitiam redarguat.

CAPUT XII.

Latini interpretis *lapſus in quodam* Ariſtotelis *loco oſtenditur. Verbi* ψύχεσθαι *notio minus vulgata indicatur. in eodem error* Hermolai Barbari. Platonis *&* Galeni *loca explicantur.*

NOn eſſe verſionibus fidendum, ſed auctores ipſos ſua lingua eſſe legendos præſens animadverſio palam faciet. *Ariſtotelis* verba hæc ſunt, in libro, *de Memoria & Reminiſcentia*, de cauſſis oblivionis: Διὸ καὶ τοῖς μὲν ἐν κινήσει πολλῇ διὰ τὸ πάθος, ἢ δι' ἡλικίαν οὖσιν, οὐ γίνεται μνήμη· καθάπερ ἂν εἰς ὕδωρ ῥέον ἐμπιπτούσης τῆς κινήσεως καὶ τῆς σφραγῖδος· τοῖς δὲ διὰ τὸ ψύχεσθαι καθάπερ παλαιὰ τῶν οἰκοδομημάτων, καὶ διὰ σκληρότητα τοῦ δεχομένου τὸ πάθος, οὐκ ἐγγίνεται ὁ τύπος. Quæ ſic *vetus interpres* Latine expreſſit: *Unde & aliis quidem qui in motu multo, aut propter paſſionem, aut propter ætatem ſunt, non ſit memoria: tanquam utique in aquam fluentem incidente motu & ſigillo. Alii autem propterea quod frigida ſunt, ſicut antiqua ædificiorum, & propter duritiem ejus, quod impreſſionem ſuſcipit, non ingignitur figura.* Ex qua verſione liquet hunc interpretem ver-

verbum ψύχεσθαι accepiſſe communi notione, hoc eſt, pro *refrigerari*: cum eo loco ſignificet *areſcere* & *exſiccari*; quod plane indicant ſequentia verba: καθάπερ παλαιὰ τῶν οἰκοδομημάτων, *more veterum ædificiorum.* Quis enim dicat refrigerari ædificia temporis progreſſu & vetuſtate; ob eamque cauſſam vitium facere, & ruinoſa atque caduca effici? Sane non dicuntur frigeſcere, niſi quæ prius calida fuerunt, non igitur in ædificia ulla convenit refrigeratio; quæ omnia ſunt ſuapte natura frigida, utpote ex lapidibus, lignis & aliis rebus frigidis conſtantia. Verum eadem vetuſtate exſiccari paulatim conſumpto humore cum lapidum, tum eorum, quibus lapides & cæmenta inter ſe junguntur, gypſo videlicet & calce certum eſt: unde eorum compages laxari contingit; quæque prius ſolida erant & denſa, laxa atque ad diſſolutionem prona efficiuntur. Quemadmodum & *Themiſtius* in *Paraphraſi* ad eum locum ſatis evidenter inſinuat: Ἔοικεν γὰρ ἐν τοῖς γέρουσιν ἡ καρδία τὸ πρῶτον αἰσθητικὸν, τοῖς παλαιοῖς τῶν οἰκοδομημάτων. ὥσπερ γὰρ θρύπτεται ψυχομένη, καὶ τὰς ἐν αὐτῇ, τῶν πραγμάτων ἀπαλείφει τύπους. ὡς ἐκεῖνα τὴν ἠλειμμένην τίτανον, καὶ τὰ ἐν αὐτῇ γεγραμμένα ζῷα. ubi notanda hæc θρύπτεται ψυχομένη, *propemodo in partes minutas ſecatur præ ſiccitate immodica & fatiſcit.* Male igitur & *Hermolaus Barbarus* in verſione: *Laxatur & quaſi corruit algore.* Quis cor ſedem totius caloris, vel in decrepitis tam frigidum dicat, ut gelu rumpatur? At prævalente ſiccitate & humoris defectu, magis eſſe imbecillum, & laxum, & diſſolutioni obnoxium conſtat.

Nec vero mirum videri debet, verbum, ψύχω, ſignificationem habere aliquando ſiccitatis, cum θερμὸς, *calidus* interdum ſignificet *humidum*: ut apud *Platonem* in tertio *de Republica*, ubi poëticas fabulas de inferorum pœnis explodit e civitate; ne ejusmodi narrationes eorum animos, qui civium cuſtodiæ deſtinantur, metu debilitent; Ἡμεῖς δὲ ὑπὲρ τῶν φυλάκων φοβούμεθα μὴ ἐκ τῆς τοιαύτης

φρί-

φρίκης θερμότεροι καὶ μαλακώτεροι τοῦ δέοντος γένωνται ἡμῖν. Ad verbum: *Nos vero timemus pro cuſtodibus, ne ex ejusmodi horrore calidiores & molliores quam par eſt, nobis reddantur.* Quid calidiores? Itane caloris magnitudo fortitudini obſtat? Nihil minus: ſed humiditas potius, quæ calorem obtundit, & caloris inopiam fere ſequitur. Ex his & quendam *Galeni* locum in lib. *quod Animi mores ſequantur temperamentum corporis*, explicare licet. In quo ſcilicet dicit *Hippocratis*, non medicinæ parentis, ſed alterius filios olim fatuitatis nomine a Comicis irriſos διὰ τὴν ἄμετρον θέρμην, *ob immodicum calorem*, ut vulgo interpretantur: ego vero θέρμην eo loco *humiditatem* ſignificare ajo; quæ ubi modum in temperamento excedit, amentes homines & fatuos reddit: ut diſerte ibi *Galenus* pronuntiat. Poſtremo *Heſychius*, Grammaticorum doctiſſimus, ψύχειν, exponit ἀντὶ τοῦ ξηραίνειν.

CAPUT XIII.

Locus Ariſtotelis *ex* hiſtoriis animalium *de* coſtarum *numero, &* Lygniis *vulgo male acceptus emendatur.*

IN primo *hiſtoriarum* cap. 15. de artubus corporis humani, & membris quæ ſunt in conſpectu tradens, hæc de coſtis habet: Κοινὸν δὲ τῶ ἄνω καὶ κάτω πλευραὶ ἑκατέρωθεν ὀκτώ. περὶ γὰρ Λυγίων τῶν καλουμένων ἑπταπλεύρων οὐθενός πω ἀξιοπίστου ἀκηκόαμεν i. *Communes autem partis ſuperioris inferioriſque coſtæ utrinque octonæ. Nam de hominibus gentis Turdulorum, quos ſeptenis coſtis ferunt creari, nullius idonei auctoris teſtimonio conſtat.* Ita vertit *Theodorus Gaza*: & quos *Ariſto-*

teles Λυγνιὲς vocat, *Turdulos* reddit, & gentem eſſe dicit, quid ſecutus, neſcio: ut enim ait *Scaliger* in *commentario* ad hunc locum, neque cum turdo quicquam eſt *Lygnio* commercii. *Plinius* quidem neque *Lygniorum*, ubi de coſtis agit, facit mentionem; aut cum de Turdulis populis in tertio bis: in quarto etiam bis tradat, coſtarum meminit. Sed nec *Strabo*, *Cælius* lib. 2. *Antiquarum Lect.* non *Lygnios*, ſed *Ligures* legit ex *Polluce* ſcilicet, cujus hæc verba ſunt: Λιγύες ἑπλάπλευροι ἢ ἰσὼν ἢ κεκλῆνται. Omnes, quod miror, ex hoc loco Λυγνιὲς ἑπλαπλεύρες legunt, & ex!cribunt, atque etiam *Mercurialis* lib. 2. *Variar. Lectionum* cap. 10. neque porro *Hofmannus* aliter lib. 1. *de Thorace* cap. 2. niſi quod vidit eſſe mendum in his: Πλευραὶ ἑκατέρωθεν ὀκτώ. recte enim ἑπλὰ, legendum cenſet, verum non minus mirum de tali viro, eadem opera non vidiſſe mendoſe de *Lygniis* ſcriptum eſſe ἑπλαπλεύρες. Tum vitioſam lectionem explicare aggreſſus *Septilateres* (ita enim Græcam dictionem, ἑπλαπλεύρες, vertit) dictos a corporis robore interpretatur. *Ligures, inquit Cicero, montani, duri atque agreſtes.* tanquam Λιγύας ſcripſerit *Ariſtoteles*. Atqui ſi ſeptem utrinque homini coſtæ, ut volumus ſcripſiſſe *Ariſtotelem*, utque ipſe emendat *Hofmannus*: & *Lygnii* iſti item ἑπτάπλευροι, quid in eo mirum eſt, ut propterea *Ariſtoteles* fidem eorum, qui huic genti ſeptem coſtas tribuerent, ſuſpectam haberet? Non ergo *Lygnii*, quæcumque ea gens cenſeri debeat; ἑπλάπλευροι, ſed ὀκτάπλευροι. Et ita legendum eo loco *Ariſtotelis*, nullus dubito. Eſt enim tranſpoſitio numerorum: ὀκτὼ, pro ἑπτὰ: & ἑπτὰ, pro ὀκτὼ: in voce ἑπτάπλευροι: vera enim lectio eſt, τῶν καλουμένων ὀκταπλεύρων.

C A-

CAPUT XIV.

Menda deterſa e problematis Ariſtotelis. Heſiodi *&* Plinii *loca expenduntur. Hallucinatio* Aponenſis *in ejus* problematis *expoſitione.*

IDem *Ariſtoteles* ſect. 4. *problem.* 26. hanc quæſtionem proponit: Διὰ τί ἐν τῷ θέρει οἱ μὲν ἄνδρες ἧττον δύνανται ἀφροδισιάζειν· αἱ δὲ γυναῖκες μᾶλλον, καθάπερ καὶ ὁ ποιητὴς λέγει ἐπὶ τῷ σκολύμῳ,

Μαχλόταται δὲ γυναῖκες, ἀφαυρότατοι δέ τε ἄνδρες.

Verſus eſt *Heſiodi* e Poëmate, ἔργα καὶ ἡμέραι. verum quod hunc citat *Ariſtoteles* ἐπὶ τῷ σκολύμῳ, ut quo hæc citatio pertineat, intelligatur, totum *Heſiodi* locum adſcribere operæ pretium eſt:

Ἦμος δὲ σκόλυμός τ' ἀνθεῖ, καὶ ἠχέτα τέττιξ
Δενδρέῳ ἐφεζόμενος λιγυρὴν καταχεύετ' ἀοιδὴν
Πυκνὸν ὑπὸ πτερύγων, θέρεος καματώδεος ὥρῃ,
Τῆμος πιόταταί τ' αἶγες, καὶ οἶνος ἄριστος,
Μαχλόταται δὲ γυναῖκες, ἀφαυρότατοι δέ τε ἄνδρες
Εἰσὶν, ἐπεὶ κεφαλὴν καὶ γούνατα Σείριος ἄζει,
Αὐαλέος δέ τε χρὼς ὑπὸ καύματος. ἀλλὰ τότ' ἤδη
Εἴη πετραίη τε σκιὴ, καὶ βύβλινος οἶνος,
Μᾶζά τ' ἀμολγαίη &c.

Statim igitur ex his verſibus apparet, inde ſumptum eſſe iſtud problema, eo quod *Heſiodus* dicat mulieres, quo tempore *Scolymus* floret, (genus ſcilicet illud cardui, quod *cinara* dicitur, nos vulgari noſtro idiomate, *artichaux*, vocamus. Ita enim video viros harum rerum peritos *Scolymum* interpretari) mulieres, inquam, veneris eſſe appetentes & ſalaces; viros autem ignavos & imbecilles; cu-

 jus

jus rei cauſſam ibi ſciſcitatur *Ariſtoteles* & docet. Verum locutio negotium facit ἐπὶ τῷ σκολύμῳ, *in* vel *ſuper ſcolymo*, non admodùm bono ſenſu. cum nec Græci nec Latini ita loquantur. Itaque non defuere, qui tres has dictiones prorſus expungendas cenſerent: ut corruptas; ac ſubſtituerent pro his, ὁ ποιητὴς Ἡσίοδος λέγει. quam lectionem notatam a *Sylburgio* ex vetere manuſcripto teſtatur *Septalius*: cui & *Theodori Gazæ* verſio atteſtatur. Sed hæc ſuperflue dicuntur; & ſi quid ejusmodi obſervatum eſt in manuſcriptis, gloſſema eſſe putandum eſt, ab ora libri tranſlatum in textum, ut non raro accidit. Veriſimilius *Ariſtotelem* in hoc loco citando mentionem feciſſe *Scolymi*, tanquam ſigni ad deſignandum anni tempus quo æſtus maximus eſt: cum ſcilicet *Scolymus* floret: Quippe & *Plinius* eo modo citat libro & capite 22. ubi de *Scolymi* radice: *Urinam ciere præcipue traditur; ſanare lichenas & lepras ex aceto: venerem ſtimulare in vino Heſiodo & Alcæo teſtibus, qui florente ea cicadas acerrimi cantus eſſe, & mulieres libidinis avidiſſimas, viroſque in coitum pigerrimos ſcripſere, veluti providentia naturæ, hoc alimento tunc valentiſſimo.* Quo etiam ſpectat antiqua verſio Latina ejus loci ἐπὶ τῷ κολύμῳ: quam cum non intelligeret interpres, qui *Heſiodum* non legerat, *colurum* vertit, ceu vera lectio eſſet κόλουρος. Ut videre eſt in commentário *Aponenſis* ad librum *problematum*, qui putida illa verſione utebatur. Unde bonus ille vir multa de circulis ſphæræ ἀπροσδιονύσως philoſophatur: Tum non minus ridicule aliam affert lectionem *columno*: quo nomine quandam regionem calidam ſignificari autumat. Strenue etiam hic nugatus ex aporia *Hartungus*, quem ſequitur *Septalius* qui mendoſam lectionem, ſed integræ propiorem, alio & graviore quidem errore cumulat, pro κολύμῳ legens κολύβῳ *At multo magis, inquit, mihi probatur ſententia Hartungi 2. cap. 1. & 4. decuria, qui cenſuit legendum* ἐν κολύβῳ *repoſito ſcilicet* β. *pro* μ. *quæ litera ob characte-*

racteris ſimilitudinem in vetuſtis libris manuſcriptis ſæpe confundi ſolent. Intelligi autem voluit hoc nomine Heſiodum in villa ruſtica (*ſic enim* κόλυβον *Heſychius interpretatur* ἔπαυλιν) *id eſt, in 2. lib. qui eſt de agricultura.* Tanquam *Heſiodus* ſuum poëma partitus ſit in duos libros; & poſteriorem κόλυβον hoc eſt, Villam inſcripſerit. o acumen! Sed nimis diu nugis recenſendis immoror. vera lectio eſt: ὅταν ἀνθῇ σκόλυμος. ex qua partim tranſpoſitis, partim interpolatis quibuſdam literis nobis exſtitit hæc: ἐπὶ τῷ σκολύμῳ, facile enim ex ἀνθῇ præpoſitionem ἐπὶ, ex adverbio ὅταν, articulum τῷ in auferendi caſu expreſſerunt male ſeduli librarii, retracto ſcilicet eo, & poſt præpoſitionem collocato.

CAPUT XV.

Minus vulgata hujus nominis ἄνθρωπος *notio ex* Platone *obſervata.*

Videor obſervaſſe apud *Platonem*, nomen ἄνθρωπος, quod hominem ſonat, & naturam ſive, ut loquuntur, humanam ſpeciem ſignificat, ſolitum fuiſſe uſurpari de perſonis admodum vilibus & contemptis, ut de publico miniſtro judicum capitalium, quem Græci δήμιον, Latini *carnificem* vocant. In dialogo igitur, qui inſcribitur *Phædon ſive de Anima*, ubi *Socratis* extrema narrantur, & quidem ita graphice, ut neceſſe ſit lectorem, qui ferreus non ſit moveri, immo vero (quod de ſe *M. Tullius*, & *Cæſar Scaliger*, quoties eum locum legerent, teſtantur) illacrymare: Ibi, inquam, ſexies nomen ἄνθρωπος de miniſtro illo uſurpatur. Primum quidem ne ignoretur, de quo homine loquatur, ὁ τῶν ἕνδεκα ὑπηρέτης undecim

decim virorum miniſter vocatur: exinde ſemper ὁ ἄνθρωπος. Ipſe Socrates hunc parati veneni, atque horæ fatalis ſe admonentem cum lacrymis: Ὡς ἀστεῖος, ἔφη, ὁ ἄνθρωπος, καὶ παρὰ πάντα μοι χρόνον προσῄει καὶ διελέγετο ἐνίοτε. i, *Quam civilis homo, & quidem per omne tempus ad me accedebat interdum & colloquebatur.* Et paulo poſt: Καὶ ἐνεγκάτω τὶς τὸ φάρμακον, εἰ τέτριπται. εἰ δὲ μὴ, τριψάτω ὁ ἄνθρωπος. Rurſus: Ἰδὼν δὲ ὁ Σωκράτης τὸν ἄνθρωπον. Item: Ἀλλ' ὥσπερ εἰώθει ταυρηδὸν ὑποβλέψας πρὸς τὸν ἄνθρωπον. Sed & infra: Οὕτω γὰρ ἐκέλευσεν ὁ ἄνθρωπος. Poſtremo in fine dialogi: Καὶ ὁ ἄνθρωπος ἐξεκάλυψεν αὐτόν. Ceterum de honeſtis vix unquam Græci ἄνθρωπον uſurpant, potius ἄνδρα. Idem obſervaſſe Romanos propemodum conſtat. Certe apud *Terentium Heaut.* Act. 5. ſcen. 3. ſic uxor in jurgio compellat virum:

> *Profecto niſi caues tu, homo, aliquid gnato conficies mali.*

Ad quæ verba *Jo. Calphurnius* in ſcholio, *cum contemptu*, inquit, *& ſtomacho pronuntiandum.* ſic in *epiſtolis, Symmachus* lib. 6. epiſt. 55. *Heri* (inquit) *per hominem meum ſcripſi*, hoc eſt, amanuenſem. Hinc eſt fortaſſe quod in *Euangelio* Pilatus Chriſtum dominum virgis cæſum & ridicule amictum purpura, ac ſpinis coronatum Judæis oſtendens, *hominem*, per contumeliam ſcilicet, appellat; *Joan.* 19. verſ. 5. Ἐξῆλθεν οὖν ὁ Ἰησοῦς ἔξω, φορῶν τὸν ἀκάνθινον στέφανον, καὶ τὸ πορφυροῦν ἱμάτιον καὶ λέγει αὐτοῖς (ſupple Πιλάτος) ἴδε ὁ ἄνθρωπος. *Ecce homo.* ut nullum eſſet genus contumeliæ in verbis aut factis, quod non Chriſtus ſervator pro hominis ſalute perferret.

CAPUT XVI.

Antiquis licitum fuiſſe abjicere recens editos partus, quos alere nollent. vel certe abortivo conceptus nondum animatos perdere.

QUod licitum fuerit, oſtendo pluribus locis auctorum veterum; primum *Terentii Heauton.* ubi ſenex uxorem increpat, quod filiam præter ipſius mandatum ſuſtuliſſet: cum enim mulier dixiſſet,

Meminiſtin' me eſſe gravidam, & mihi te maximo opere dicere,
Si puellam parerem, nolle tolli.

Paulo poſt factum improbans ſenex, quod ſcilicet mulieri exponendam potius tradidiſſet, quam interficeret, ita loquitur,

—— Id quidem ego, etſi tu neges, ſcio,
Te inſcientem atque imprudentem dicere ac facere omnia:
Tot peccata in hac re oſtendis. Nam jam primum ſi meum
Imperium exſequi voluiſſes, interemptam oportuit.
Non ſimulare mortem verbis, re ipſa ſpem vitæ dare.

Idem in *Hecyra* act. & ſcen. 3. Mulier de puero, *continuo* (inquit) *exponetur.* Hinc etiam illud in *Andria*, ſervi nequiſſimi de herili filio, qui filium ex amica genitum decrerat tollere:

Audireque eorum eſt operæ pretium audaciam.
Nam inceptio eſt amentium, haud amantium:
Quicquid peperiſſet, decreverunt tollere.

Ex quo patet, liberum cuivis hoc fuiſſe, tollere editum in

lucem vel interficere. quem videlicet præ inopia alere non poſſet: aut qua alia cauſſa rebus ſuis haud commodum cenſeret. Ut Lyctum quendam prægnanti uxori præcipientem inducit *Ovidius* lib. 9. *Metam.*

Quæ voveam duo ſunt, minimo ut relevere dolore,
Utque marem parias, oneroſior altera ſors eſt,
Et vires fortuna negat, quod abominor: ergo
Edita forte tuo fuerit ſi femina partu
(Invitus mando, pietas ignoſce) necetur.

Nota interim cauſſam magis communem iis prolem interficiendi, ſi facultates non ſuppeterent ad liberaliter educandum: ne ſcilicet jam grandes diſtrahere a ſe paupertas cogeret. quod iſte ſe abominari ait: in filia potiſſimum, quia tales fere inopia coactæ corpore quæſtum faciebant. Ita enim & citato loco *Heaut.* ſenex ad uxorem, quæ filiam exponere maluiſſet, quam occidere:

Quam bene vero abs te proſpectum eſt! quid voluiſti? cogita:
Nempe anui illi prodita abs te filia eſt planiſſume
Per te, vel uti quæſtum faceret, vel uti veniret palam.

Plutarchus in libro *de amore prolis*: Οἱ μὲν γὰρ πένητες οὐ τρέφουσι τέκνα, φοβούμενοι μὴ χεῖρον ἢ προσήκει τραφέντα δουλοπρεπῆ καὶ ἀπαίδευτα, καὶ τῶν καλῶν πάντων ἐνδεᾶ γένηται. *Nam pauperes quidem liberos non alunt, timentes ne deterius, quam par eſt, educati, ſervilem in modum eruditionis atque omnium honeſtarum rerum expertes vivant.* Hæc fuit humanitas, hæc pietas illorum temporum. His adde ejusdem *Plutarchi* obſervationem lib. 5. *de Placit. Philoſophorum* cap. 18. Καθολικώτατον δὲ, μηδένα βούλεσθαι τὰ ὀκτάμηνα τρέφειν, *neminem editam octavo menſe prolem alendam putare.* Ut ſpurios igitur exponebant eo tempore natos, quod parum utique ab interficiendo abeſt: niſi quod fortuna interdum ſubveniebat; per eum quidem qui exponit, non ſtat, quo minus id quod expoſitum eſt, pereat.

cat. Necari autem ſolitos parentum arbitrio, citata *Terentii* & *Ovidii* loca evidenter probant. Quid igitur, dicet aliquis, ſi cui conjugato avaro liberos omnes ſtatim ab ortu extinguere placeret? Sane tantam fuiſſe ſcelerum licentiam incredibile eſt. An igitur clanculum exponebant, quod publice vetitum eſſet? An exponendi neceſſitatem magiſtratui profitebantur, & poteſtatem id faciendi accipiebant: ſi cauſſa exponendi juſta videretur? Non licitum fuiſſe, & qui facerent, clam & furtim feciſſe Autolyci exemplo apparet in *Suidæ collectaneis*: Αὐτόλυκος ἀρεοπαγίτης οὗτος ἦν. καὶ τοὺς οἰκείους ἐκθέμενος ἐν τοῖς χαρωνικοῖς ἑάλω. καὶ κατεψηφίσαντο αὐτοῦ οἱ δικασταί. Probabilius igitur non fuiſſe id permiſſum apud politiores gentes, ut Græcos, atque in primis Athenienſes, niſi ſi quid imperfectum & natura orbatum natum eſſet. Cum autem definitum liberorum numerum eſſe oporteret, ne quorum fœcunditas modum excederet, in ipſis primordiis fœtum nondum ſenſu aut vita præditum extinguere medicamentis non nefas putabant. Ita *Ariſtoteles* quidem ſciſcit in ſeptimo *de Republica* cap. 16. Et ante illum *Plato* in quinto *de legibus*, Ἐπισχέσεις γενέσεως, οἷς ἂν εὔρους εἴη γένεσις, inhibere generationem, quibus nimium procedit, permittit. Minus enim inhumanum cenſebant medicamentis inhibere generationem, aut inchoatum nec dum viventem fœtum extinguere, quam natum perdere. *Plinius* lib. 29. cap. 4. ubi de Phalangiis: *Tertium* (inquit) *genus eſt eodem phalangii nomine araneus lanuginoſus, grandiſſimo capite. quo diſſecto inveniri dicuntur intus vermiculi duo, adalligatique mulieribus cervina pelle, ante ſolis ortum, præſtare ne concipiant, ut Cæcilius in commentariis reliquit. vis ea annua eſt: quam ſolam ex omni atocio dixiſſe fas ſit, quoniam aliquarum fœcunditas plena liberis tali venia indiget.* Hactenus *Plinius*, ſatis declarans ſe factum non probare, cui non niſi certo caſu venia detur. Et ſane, ut mire *Tertullianus* ait in *Apologetico*,

getico, feſtinatio eſt homicidii, prohibere non naſci. Quod lumine naturæ ſecutus Medicinæ Parens in *Jusjurando*, nemini mulieri πεσσὸν φθόριον, hoc eſt, *abortivum* ſe daturum jurat.

CAPUT XVII.

Suppletur locus Ariſtotelis *mutilus e* Meteorologicis, *de Geographicis veterum tabulis.* Alexandri Aphrodiſei *perplexitas in eo loco.*

EST is locus in 2. Μετεωρολογικῶν cap. 5. his verbis conceptus in omnibus editis libris: Διὸ καὶ γελοίως γράφουσι νῦν τὰς περιόδους τῆς γῆς· γράφουσι γὰρ κυκλοτερῆ τὴν οἰκουμένην· τοῦτο δ᾽ ἐστὶν ἀδύνατον κατά τε τὰ φαινόμενα, καὶ κατὰ τὸν λόγον· ὅ, τε γὰρ λόγος δείκνυσι, ὅτι ἐπὶ πλάτος μὲν ὥρισται· τὸ δὲ κύκλῳ συνάπτειν ἐνδέχεται διὰ τὴν κράσιν. οὐ γὰρ ὑπερβάλλει τὰ καύματα, καὶ τὸ ψῦχος κατὰ μῆκος, ἀλλ᾽ ἐπὶ πλάτος. ὥς εἰ μή που κωλύει θαλάττης πλῆθος, ἅπαν εἶναι πορεύσιμον. *Quapropter & ridicule deſcribunt nunc circuitus terræ, faciunt enim eam, quæ habitatur, terram globoſam. hoc autem fieri non poteſt; ſive ea quæ apparent, ſive rationem ſpectamus. Nam & ratio oſtendit, quod in latum ſit terminata. In orbem vero & ſphærice connecti poteſt ob temperiem. Non enim immoderati ſunt æſtus, aut frigora ſecundum longitudinem, ſed ſolum ſecundum latitudinem. Itaque niſi maris vaſtitas prohiberet, totum ſecundum longitudinem ſpatium circuiri poſſet.* Quod nemo advertit, neque ipſe *Alexander Aphrodiſeus*, huic particulæ τὸ δὲ κύκλῳ συνάπτειν ἐνδέχεται διὰ τὴν κράσιν, aliquid deeſſe eorum, quæ præcedunt & ſequuntur, verborum ſeries & contextus indicat. Nam de

terræ

terræ habitabilis ſpatio agit, in longum & latum, & geographicarum tabularum auctores reprehendit, qui undique circulariter habitatam deſcribebant terram tam in latum, quam in longum, tanquam orbem etiam, qua in latum pateret, abſolveret. Hoc enim ſignificant verba hæc: *γράφουσι κυκλοτερῆ τὴν οἰκουμένην.* Nam *κυκλοτερῆ* ibi idem valet quod *σφαιρικὴν*, *globoſam*, *orbicularem*. Horum igitur jocularem errorem hinc coarguit *Philoſophus*, quod non viderent, habitatum ſpatium, qua in latum patet, neceſſario eſſe terminatum, hinc frigoris inclementia juxta arcticum polum: inde, plagæ aduſtæ nimio ardore: quo fit ut orbis ſic procedendo in latum, abſolvi nullo modo poſſit. In longum vero, quin globus abſolvatur, nihil impedit; cum per totum circuitum habitatæ regionis eadem prope modum temperies vigeat, neque æſtus aut frigora humanorum corporum patientiam excedant. Unde & totus ita procedendo orbis percurri poſſet, niſi maris (inquit) puta Atlantici, amplitudo obſtaret. Sine dubio igitur reponenda eſt vox *μῆκος*, quæ intercidit: & ſic legendum *Τὸ δὲ μῆκος κύκλῳ συνάπτειν ἐνδέχεται διὰ τὴν κρᾶσιν.* i. *Longitudinem vero circulo connectere atque aptare licet ob temperiem.* Hoc eſt: orbis ſecundum longitudinem abſolvi poteſt. Alioqui verba *Ariſtotelis* non cohærent: ſi enim ridicule iſti habitabili ſphæricam affingunt figuram: quomodo poſtea ſubdit: *Τὸ κύκλῳ συνάπτειν ἐνδέχεσθαι.* *Circulariter eandem poſſe habitabilem connecti?* Sane hæc pugnant. quia iſtud *τὸ κύκλῳ*, tam de *latitudine*, quam de *longitudine* accipi poteſt, ſiquidem ſphærica eſt terra. Solum hoc diſcrimen quod, *Τὸ κύκλῳ ἐπὶ πλάτος ὥρισται*, hoc eſt, *ſuperficies rotunda ſecundum latitudinem terminata eſt*: non autem *κατὰ μῆκος in longum*, ſed *συνάπτειν ἐνδέχεται.* *Alexander* autem iſtud, *τὸ δὲ κύκλῳ* de ſola longitudine vult intelligi: recte quidem intelligens; ſed præter vim & ſignificationem verborum. *Τὸ δὲ κύκλῳ*

τοῦτο

τοῦτο (inquit) ὅ ἐστι κατὰ τὸ ἀπὸ ἀνατολῆς ἐπὶ δύσιν, καὶ μῆκος, minus plane, ut dixi, & ex naturali verborum ſignificatione. Ceterum antequam hinc diſcedimus, ſupplendus nobis defectus in commentario *Alexandri*, quo loco, quid ſit πλάτος Geographis, definit: Τὸ πλάτος λέγων τὸ ἀπὸ τοῦ ἑτέρου διάστημα. ſcribe, τὸ ἀπὸ τοῦ ἑτέρου πόλου εἰς τὸν ἕτερον διάστημα. *Latitudo eſt intervallum ab uno polo ad alterum.*

CAPUT XVIII.

Quod falſo Averrois *quædam* Avempace *præceptori ſuo tribuat, quæ ſunt* Philoponi. *Quo tempore* Philoponus *vixerit; quo item* Averrois *&* Avempace?

PRoponit *Averrois* dubitationem valde acutam contra ſententiam *Ariſtotelis* de motu gravium & levium in vacuo: nempe hic negavit moveri omnino poſſe horum corporum ullum in ſpatio inani, quod nulla ſit ratio τοῦ μεταξὺ in vacuo & pleno ſpatio. τὸ μεταξὺ appellat *ſpatium illud in quo aliquid movetur.* quod aut plenum aëre, ut nunc eſt, aut vacuum cogitari poteſt. conſtat igitur nullam eſſe proportionem vacui ſpatii, ad plenum quocumque quantumvis ſubtili corpore: inter corpus enim & vacuitatem, ſive negationem corporis nulla eſſe poteſt proportio: igitur neque penetrationis & tranſitus in utroque. cum igitur in eo medio quod eſt plenius & magis reſiſtit faciliorē & celeriorē eſſe motum; in eo quod rarius & ſubtilius, difficiliorem & tardiorem eſſe rationi conſentaneum ſit, conſequens eſt, in vacuo quod nullo modo reſiſtit, tanto faciliorē

eſſe

eſſe & celeriorem motum, ut nulla ſit proportio celeritatis ejus motus, qui in eo fit, ad velocitatem motus in pleno ſpatio: & cum ut motus ad motum ſe habet, ita ſit ratio temporis ad tempus: nulla quoque erit proportio temporis, quo aliquid movetur in vacuo, ad tempus quo in pleno. Ergo non in tempore, ſed in momento fiet motus in vacuo ſpatio. Hæc quidem ratio eſt *Ariſtotelis*, qua probat non dari motum in vacuo.

Avempace autem ſic hujus rationis vim eludebat: aliud eſſe loqui de tarditate,quę accidit motui gravium & levium ex impedimento & reſiſtentia medii: aliud de ipſo motu ſecundum ſe. Ratio igitur *Ariſtotelis* bene oſtendit, nullam fore motus naturalis retardationem, ei corpori quod in vacuo moveatur, at non, quod nullus eſſet motus: quia ſublato impedimento, quod a medio affertur nihilo ſecius remanebit motus is, qui naturaliter corpori convenit. cum is motus naturam & modum corporis ſequatur, non autem ejus ſpatii, in quo fit motus. Hæc igitur objectio *Avempace* tam acuta *Averroi* viſa eſt, ut quia ſic dubitavit, hunc præ aliis omnibus philoſophis perſpicacis & profundi ingenii fuiſſe judicet. Locus, in quo hoc dicit *Averrois* eſt in *digreſſione* ad lib. 4. *Naturalis Auſcult.* textu 71. *Avempace igitur fecit dubitare in hoc ſermone in duobus locis. unus eorum eſt, in quo dicit quod proportio motus ad motum, non eſt ſicut proportio ſpiſſitudinis medii, ad ſpiſſitudinem medii. Secundus autem eſt, quod iſti motus ſunt impediti ex medio, & non naturales. Et nullus pervenit ante ipſum ad has quæſtiones: & ideo profundus erat iſte, ſuper alios.* Enimvero oblatam acuto & capitali Hiſpano ſponte hanc difficultatem facile equidem credo. At non poſſum non diligentiam *Averrois* deſiderare, qui in manibus haberet *Philoponi* commentarios; in quibus eandem dubitationem propoſitam videre potuit, nempe in Parecbaſi ad eundem locum *Ariſtotelis*. Quod ut omnibus planum fiat, *Philoponi*

ni ipſius verba ad eam rem pertinentia ſubjungam: εἰ τοίνυν δύο μὲν αἴτια τοῦ μὴ ἰσοταχῶς πάντα κινεῖσθαι τὰ κινούμενα, ἥτε διαφορὰ τῶν δι᾽ ὧν, καὶ ἡ διαφορὰ τῶν φερομένων, ἡ δὲ ἑτέρα ποιητικὴ αἰτία ἐστίν· οὐ γὰρ ἂν ἄλλην ἐπινοήσειέ τις. ἐὰν ἄρα ὑπεξαιρεθῇ τὸ ἐμποδίζον, μένει οὐδὲν ἧττον ἡ ἐν τοῖς κινουμένοις τῆς ἀνίσου κινήσεως αἰτία, ποιητικὴ οὖσα. οὐ γὰρ δὴ ἡ βαρύτης ἐν σχέσει ἄλλου τὸ εἶναι ἔχει. ποιότης γάρ ἐστιν αὐτὴ καθ᾽ αὑτὴν ὑπάρχουσα τοῖς σώμασιν. ἐπεὶ οὖν ἡ βαρύτης τὸ ποιητικόν ἐστιν αἴτιον τῆς ἐπὶ τὸ κάτω κινήσεως, ὡς καὶ αὐτῷ δοκεῖ (Ἀριστοτέλει) ὄντος καὶ διαστήματος δι᾽ οὗ ἐνεχθείη τὸ κινούμενον, λέγω δὴ τοῦ κενοῦ, οὔσης δὲ καὶ ποιητικῆς αἰτίας τῆς κινήσεως διαφόρου, καὶ μηδενὸς ὄντος τοῦ ἐμποδίζοντος, ἀνάγκη πᾶσα ἄνισον γενέσθαι καὶ τὴν διὰ κενοῦ κίνησιν. i. *Si igitur duæ ſunt cauſſæ quamobrem non æquali omnia velocitate moveantur, una quidem differentia eorum, per quæ motus agitur; altera autem ipſorum diverſitas mobilium: harum utique cauſſarum, altera erit efficiens, cum alia ne cogitatione quidem fingi poſſit. Quapropter eo remoto quod impediebat, manet nihilominus illa in iis quæ moventur, cauſſa efficiens motus. Sane enim gravitas non eſt ſita in habitudine ad aliud: cum ſit qualitas ipſa per ſe corporibus tributa. Quoniam igitur gravitas cauſſa eſt efficiens motus hujus qui deorſum tendit, quemadmodum & Ariſtoteli placet, poſito intervallo qua aliquid moveatur, eoque vacuo, poſita etiam cauſſa efficiente motus diverſi; ſimul remoto eo quod impedit, neceſſe eſt omnino fieri motum inæqualem per vacuum.* His quidem probat *Philoponus* fore inæqualem in vacuo corporum motum neceſſario, prout gravitate differunt: non autem ut *Ariſtoteles* ſtatuit, æqualem. ac proinde in vacuo dari motum. Sed & infra in eadem *digreſſione* expreſſe idem quod *Avempace* dicit: Καὶ ἔτι εἰ τὸ σῶμα, δι᾽ οὗ κινοῦνται τὰ διὰ τοῦ σώματος κινούμενα, ἐμποδιστικόν ἐστι τῶν φερομένων, ἔστι δηλονότι ὁ χρόνος, ὃς δαπανᾶται ἐν ἑκάστῃ κινήσει κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῶν ἐνυπαρχουσῶν ῥοπῶν ἐν τοῖς σώμασι, κἂν μηδὲν ᾖ τὸ ἐμποδίζον. &c.

Et

Et prætereaſi corpus, per quod moventur, quæ per corpora moventur, habet vim impediendi ea quæ feruntur: nimirum quoddam eſt temporis, quod in unoquoque motu impeditur ſecundum inditarum corporibus propenſionum rationem, etiamſi nihil extrinſecus impediat. Non abſimilia & apud *Simplicium* videre eſt. Vixit autem *Philoponus* ducenteſimo & triceſimo tertio anno poſt Diocletianum, ipſomet teſte in *Scholiis* ad eundem lib. 4. *Naturalis Auſcult.* nempe circa ætatem Tiberii II. qui Conſtantinus dictus eſt, vel etiam Mauricii: hoc eſt, Chriſti anno 576. circiter. *Philoponi* verba apponam: Φαμὲν γὰρ ἐνεστηκέναι νῦν καὶ ἐνιαυτὸν, καὶ μῆνα, καὶ ἡμέραν· ἐνιαυτὸν, Διοκλητιανοῦ ἔτος, τλγ´· μῆνα, παχών. ἡμέραν, δεκάτην. Eſt autem *Pachon* nomen proprium menſis apud Ægyptios, qui Novembri apud nos reſpondet. Fuit enim *Philoponus* genere Ægyptius Alexandria civitate oriundus. Proinde multo eo inferior fuit *Averrois*, qui Cordubæ natus in Hiſpania anno Chriſti, 1140. vel, ut aliis placet, 1153. floruit tempore Frederici primi Imperatoris. Quippe *Aegidius Romanus*, *Quodlibeto* 9. teſtatur ſe vidiſſe duos filios *Averrois* in aula Imperatoris Frederici Barbaruſſæ, circiter annum 1160. Fuit autem *Avempace*, *Avenrois* præceptor.

CA-

CAPUT XIX.

Plinii *locus de veterum in* auſpiciis *obſervandis ſuperſtitione illuſtratur.* Terentii *item locus.*

VErba hujus hæc ſunt lib. 2. cap. 7. *Divus Auguſtus lævum prodidit ſibi calceum præpoſtere inductum, quo die ſeditione militari prope afflictus eſt.* Quid eſt calceum præpoſtere induci? eſt lævum calceum dextro pedi, dextrum ſiniſtro aptari. oſtendo alio *Suetonii* loco in ejusdem *Auguſti vita:* ubi de hujus ſuperſtitione in ejusmodi obſervationibus: *Auſpicia* (inquit) *quædam, & omnia pro certiſſimis obſervabat. Si mane ſibi calceum perperam, ac ſiniſter pro dextero induceretur, ut dirum.* Hoc *Plato* ἔμπαλιν ὑποδεῖσθαι vocat in *Theæteto*, quo loco quemadmódum falſæ opiniones gignantur, explicat, hasque notionum cujus rei in memoria permutatione fieri docet: Λείπεται τοίνυν τὰ ψευδῆ δοξάσαι &c. Et paulo poſt eorum, qui præpoſtere calceantur, exemplo utitur ſic: Καὶ μὴ ἱκανῶς ὁρῶν ἄμφω, προθυμηθῶ τὸ οἰκεῖον ἑκατέρου σημεῖον ἀποδοὺς τῇ οἰκείᾳ ὄψει, ἐμβιβάσας προσαρμόσαι εἰς τὸ ἑαυτῆς ἴχνος, ἵνα γένηται ἀναγνώρισις· εἶτα τούτων ἀποτυχὼν, καὶ ὥσπερ οἱ ἔμπαλιν ὑποδούμενοι, παραλλάξας, προσβάλω τὴν ἑκατέρου ὄψιν πρὸς τὸ ἀλλότριον σημεῖον. Ex quibus verbis intelligi poteſt, id quoque Græcis obſervatum fuiſſe & religioſum, ne calceum lævum dextro pedi aut dextrum lævo præpoſtere inducerent. Libet *Terentii* & alium illuſtrare locum ex *Phormione*, quodam more inhibendi atque retrahendi aliquo properantes:

Ubi in gynæceum ire occipio, puer ad me accurrit Mida:
Pone apprehendit pallio, reſupinat: reſpicio: rogo

Quam-

Quamobrem retineat me: ait eſſe vetitum intro ad heram accedere.

Hunc modum apprehendendi pallio, quos avertere ab incepto itinere vellent; fuiſſe obſervatum & uſitatum ad Græcos, doceo ex *Platone*, a quo ſumpſit *Terentius*! Hæc ſunt *Platonis* verba, in primo πολιτειῶν ſive *de Republica*, initio: Κατιδὼν οὖν πόῤῥωθεν ἡμᾶς οἴκαδε ὡρμημένους Πολέμαρχος ὁ Κεφάλου, ἐκέλευσε δραμόντα τὸν παῖδα περιμεῖναι κελεῦσαι. Καί μου ὄπισθεν ὁ παῖς λαβόμενος τοῦ ἱματίου, κελεύει ὑμᾶς (ἔφη) Πολέμαρχος περιμεῖναι. i. *Conſpicatus igitur procul nos domum revertentes Polemarchus, Cephali filius, juſſit puerum, currentem jubere nos ſuis verbis manere; ac puer, cum pone me pallio apprehendiſſet; jubet vos (inquit) Polemarchus manere.*

CAPUT XX.

Quædam paſſim apud Maronem *notata.*

IN *Ecloga* quæ inſcribitur *Alexis*:

> *Tantum inter denſas, umbroſa cacumina, fagos*
> *Aſſidue veniebat: ibi hæc incondita ſolus*
> *Montibus & ſilvis ſtudio jactabat inani.*

præ animi ægritudine quosdam inanimata etiam alloqui, cœlum, terras, montes, ſilvas, notat *M. Tullius* in 3. *Tuſcul. Quæſt.* ubi de montibus variis, quos dolor in hominibus efficit: *Sunt autem alii, quos in luctu cum ipſa ſolitudine loqui ſæpe delectat, ut illa apud Ennium nutrix:*

> *Cupido cepit miſeram nunc me, proloqui*
> *Cœlo atque terræ Medeæ miſerias.*

Plutarchus lib. περὶ ἀδολεσχίας, hunc affectum in aman-

tibus, ad eorum loquacitatem refert: Οὕτω καὶ τοῖς ἐρωτικοῖς ἡ πλείστη διατριβὴ περὶ λόγους μνήμην τινα τῶν ἐρωμένων ἀναδιδόντας· οἵ γε κἂν μὴ πρὸς ἀνθρώπους, πρὸς ἄψυχα περὶ αὐτῶν διαλέγονται, i. *Sic & amatoribus plurima eſt circa ſermones occupatio, qui ipſis earum, quas amant, memoriam revocant: utpote qui, ſi homines abſint, cum inanimatis loquantur.*

Theſtylis & rapido feſſis meſſoribus æſtu
Allia, ſerpyllumque herbas contundit olentes.

Alliatum intelligit, quod *Moretum* ipſe vocat in poëmatio ita inſcripto: ſi tamen hujus auctor *Virgilius*: de qua re vide *Scaligerum* in *Catalecta*, ubi & de *alliato* plura eruditiſſime diſſerit. Sed quorſum *meſſoribus æſtu feſſis allia* & *olentes herbæ?* hoc plane eſt, quod dicitur, oleum flammæ addere. Ad refovendum eorum ſtomachum, ac nativum calorem externo diſſolutum atque debilitatum hoc fomento revocandum.

Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
& infra in eadem *ecloga*:
Mollia luteola pingit vaccinia caltha.
et alio loco:
—— Quid tum, ſi fuſcus Amyntas?
Et nigræ violæ ſunt, & vaccinia nigra.

Servius, *Violas* interpretatur. falſo: cum *Virgilius* verſu modo citato a *violis* diſtinguat: *Vergilius Marcellus* commentariis in *Dioſcoridem*, *iridis florem* nomine *Vaccinii* intelligit: *Fuchſius*, *mora agreſtia*, quæ βάτινα Græci vocant: & ambo fruſtra. *Franciſcus Maſſarias Fuchſium* ſequitur, & *mora agreſtia* eſſe putat. *Nicolaus* autem *Leonicenus*, *Vaccinium*, *Liguſtri* eſſe *acinos* cenſet. *Brodæus* pariter lib. 4. *Miſcell.* cap. 18. *Ego* (inquit) *Vaccinia liguſtri baccas expono, hoc ſenſu: albi liguſtrorum flores cadunt: at eorum baccæ nigræ colliguntur, ad aucupia nempe, & inducendos colores.* Sed & *Bontius* in lib. 2. *Garciæ ab Orta*, cap. 1. de

de Plantis quibusdam Indicis: *Vaccinia enim* (inquit) *ſunt baccæ liguſtri.* Sed hæc conjectura: uti & eorum, qui *mora agreſtia* exponunt, aliena omnino a ſenſu poëtæ cenſeri debet, qui *Vaccinium* inter flores haud obſcure ponit hoc verſu;

Mollia luteola pingit vaccinia caltha.

Quamobrem ſine dubitatione in eorum ſententiam deſcendo, qui *Vaccinium* & *hyacinthum* idem putant. Ita *Hermolaus Barbarus*, qui de *Hyſgino* loquens, idem quod *Vaccinium* & *hyacinthum* eſſe docet: quem *Ruellius Dioſcoridis* interpres, *Matthiolus* commmentator, *Adrianus Turnebus*, & *Philander* in *Vitruvii* cap. 4. lib. 7. ſequuntur. *Turnebus* verſum hunc *Theocriti* producit:

Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐντὶ, καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος.

quem ſic *Maro* Latine vertit:

Et nigræ violæ ſunt & vaccinia nigra.

Idem demonſtrat *Matthiolus* ex *Nothis Dioſcoridis*, in quibus legitur *hyacinthum* Romanis *Vaccinium* fuiſſe nuncupatum: Ῥωμαῖοι βάκκυμ, mendoſe pro βακκίνιυμ. Notandum inſuper, quod *Turnebus* lib. 30. *Adverſ.* cap. 14. advertit, in eo verſu, *Alba liguſtra cadunt*; uſurpari *plantam* pro *flore*. Hunc florem *Virgilius*, ut nullam ad uſum expetitum & inutilem, ſponte ait cadere. veruntamen invenio apud *Dioſcoridem* genus unguenti, quod ex floribus liguſtri parabatur; & medicis in uſu erat; dictum *κύπρινον*. Nam *κύπρος* Græcis ſonat *liguſtrum*. Hujus meminit lib. 1. Τὸ δὲ σκευαζόμενον ἐξ αὐτοῦ (κύπρου) χρίσμα κύπρινον θερμαντικὸν γίνεται, καὶ μαλακτικόν. & peculiari capite modum ejus conficiendi edocet cui titulus: Περὶ κυπρίνου σύνθεσ καὶ σκευασίας ἐλαίου. Non ergo verum eſt *cadere alba liguſtra*; ſed & ipſa a Medicis leguntur. Dicendum eſt hæc dici in perſona paſtoris amantis, & ad puerum, cui generi hominum non alia indicatura flores cogniti aut expetiti, niſi voluptatis.

In eadem *ecloga*:

—— Pallas quas condidit arces

Ipſa colat. ——

Non fruſtra hoc eruditiſſimus poëta, ſed ex Theologia veterum. *Ariſtides Orat.* in *Minervam*: Τὰς δὲ ἀκροπόλεις ἀνεῖλον αὐτῇ δικαίως. ἅμα γὰρ σύμβολον τῆς γενέσεως· ἅμα δὲ ὥσπερ τοῖς βασιλεῦσι καὶ ἡγεμόσι τεμένη καὶ χώρους ἐξαιροῦσιν, οὕτω τῇ τοῦ παντὸς ἡγησαμένῃ θεῷ τὰ ἐπικαιρότατα ἀνεῖλον. i. *Arces quoque ipſi merito conſecrarunt homines, partim in ſignum ortus, partim quod ſicut regibus & principibus loca certa definitaque excipi ſolent; ſic illi, quæ univerſo præeſt, Deæ, munitiſſima quæque dicarunt.* Haud abſimilia his habet *Phornutus* in libro *de Diis*, cap. *de Minerva.* Ἵδρυνται δὲ ἐν ταῖς ἀκροπόλεσι. &c. Ergo Symbolum procreationis Minervæ arces poſuerunt, quod e Jovis capite nata feratur. Minerva enim nihil aliud, quam cogitatio & ſcientia Dei. *Statius* lib. 2. *Thebaidos*,

Diva ferox, magni decus ingeniumque parentis.

Sed & mens homini in capite, quod eſt arx totius corporis. Per *arces* igitur hic animi virtutes & ſcientiæ intelligi debent: ſicut per *ſilvas* corporis voluptates, quæ in materia originem habent. Idem enim nomen, ὕλη, *materiam* & *ſilvam* ſignificat. Ut ſectam *Epicuri* agnoſcamus, quam hic & aliis paſſim locis exprimit *Maro.* Notum eſt *Epicurum* in una voluptate hominis bonum poſuiſſe, induſtriam omnem in ſcientiis quærendis damnaſſe. Hoc innuit his verbis:

—— Pallas quas condidit arces

Ipſa colat; nobis placeant ante omnia ſilvæ.

Unde ſubdit mox,

Torva leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam,

Florentem cytiſum ſequitur laſciva capella:

Te Corydon, o Alexi; trahit ſua quemque voluptas.

Reſpexit autem ad verſum citatum a *Platone* in *Phædro*,

Ὡς

Ὡς λύκοι ἄρνα φιλοῦσ', ὣς παῖδα φιλοῦσιν ἐρασαί.

Ut lupi agnum amant, ſic puerum amatores.

Trahit autem *voluptas* metaphorice, ut Philoſophi dicunt. *Themiſtius Paraphraſi* in primum *de Anima*: Πᾶν γὰρ τὸ ὀρεκτὸν ἀτεχνῶς ἕλκοντι καὶ σύροντι προσέοικε τὴν δύναμιν τὴν ὀρεκτικήν. *Quicquid enim deſideratur, plane eſt ſimile trahenti ac ducenti appetitum.* Eodem ſpectant hæc:

> *O Corydon Corydon quæ te dementia cepit?*
> *Semiputata tibi* &c.

item:

> *Quin tu aliquid ſaltem potius, quorum indiget uſus,*
> *Viminibus* &c.

quibus poëta ipſe Corydonis inertiam & deſidiam increpat, monetque ut aliquid utile agat, & ſic amorem pellat, qui ex nimio otio provenire ſolet.

Ex ſexta *ecloga*. inſcribitur hæc ecloga: *Silenus*, quod Silenum in ea inducat de rerum principiis & mundi ortu philoſophantem ex ſententia *Epicuri.* quod ſtatim his verſibus indicat:

> *Namque canebat, uti magnum per inane coacta*
> *Semina, terrarumque animæque mariſque fuiſſent,*
> *Et liquidi ſimul ignis.*

Nam per *ſemina* intelligit *atomos*; per *inane*, ſpatium corpore vacans, quæ duo *Epicurus* a *Democrito* accepta pro omnium rerum principiis ſtatuebat. Eſt autem tota hæc ecloga nihil aliud, niſi perpetua irriſio ſectæ *Epicureæ*, ſed obliqua & per figuras, ut poëtis mos. Nam primum *Silenum* facit hujus doctorem, eumque ebrium & crapula diſtentum, auditores; *Chromin* & *Mnaſylum* pueros, *Faunos* præterea & *Satyros* & *feras*, Ἀγροίκους τινὰς, καὶ αἰπόλους τοὺς πολλοὺς, σκιρτητικοὺς ἀνθρώπους, id eſt: *Agreſtes quoſpiam & caprarios pleroſque, homines ſaltationi deditos*: uno verbo, *ridicula & monſtroſa numina*, ut *Lucia-*

mus loquitur in *concilio Deorum*. Præterea pauca de *atomis* & *inani*, ac mundi ex his conſtitutione exorſus, ſtatim ad fabulas tranſit, de Pyrrhæ lapidibus, de abſurda & nefanda Paſiphaes venere, & aliis adhuc magis prodigioſis & frivolis. Quo ſane acerrimi ingenii poëta innuere voluit, minime alienam eſſe a fabulis poëtarum, *Epicuri* opinionem de rerum principiis, neque vendibilem niſi tali auditorio, quale ibi deſcribitur. Ita expedio quæſtionem, quam de hac fabularum interpoſitione motam fuiſſe refert *Servius*. *Quæſtio eſt* (inquit) *hoc loco: Nam relictis prudentibus rebus de mundi origine ſubito ad fabulas tranſitum fecit.* Sic autem ſolvit dubitationem: *ſed dicimus aut exprimere eum voluiſſe ſectam Epicuri, qui rebus ſeriis inſerit ſemper voluptates: aut fabulis plenis admirationis puerorum corda mulceri.* Vera autem ſolutio eſt, quam poſui. Nam quæ ipſe in opinionibus & diſciplinis magnificat, non viles, neque ridiculas perſonas, ſed graves & illuſtres ac venerandas dicere facit; ut in ſexto *Æneidos*, Anchiſem Æneæ patrem inter beatos Elyſii nemoris choros *Platonica* hæc:

Principio cœlum & terras campoſque liquentes
Lucentemque globum Lunæ: Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit &c.

Neque obſtat, quod in fine ſexti illius libri, Anchiſes filium & Sibyllam proſequens emittit porta eburna, qua ſcilicet *falſa ad cœlum mittunt inſomnia manes*, ut ipſe exponit. unde *Servius*: *Vult autem* (inquit) *falſa eſſe omnia, quæ dixit.* Quæ *Servii* expoſitio ſtare non poteſt. ſequeretur enim & illa omnia, quæ huic fabulæ interponuntur de Romanæ urbis exordio, & geſtis Regum atque illuſtrium ducum ejus gentis, tum de Auguſti ipſius majeſtate, falſa eſſe: quo nihil abſonum magis, & alienum a conſilio poëtæ. Non igitur omnia falſa vult videri quæ ibi narrantur; ſed ſolum, quæ de Æneæ cum Sibylla deſcenſu ad inferos, & ſuppliciis mortuorum.

C A-

CAPUT XXI.

Locus quidam Maronis *de* Tartaro *emendatus: alter de* limo *apud inferos notatus.*

HÆc ibi de Tartaro *Maro:*

—— Tum Tartarus ipſe
Bis patet in præceps tantum, tenditque ſub auras,
Quantus ad æthereum cœli ſuſpectus Olympum.
Hic genus antiquum terræ Titania pubes
Fulmine dejecti fundo volvuntur in imo.

Quid ſit *cœli ſuſpectus ad Olympum*, non intelligo: neque quorſum hæc diſtinctio *cœli* ab *Olympo*; quæ nomina promiſcue uſurpari apud poëtas notum eſt: aut ſi aliquando diſtinguuntur, utique in loco & cum ratione id fit: qualis in præſenti nulla apparet. Abſurda igitur hæc lectio cenſeri debet. vera, ut conjicio; eſt: *terræ ſuſpectus.* hoc ſenſu: tanta eſt ſubtus terram Tartari profunditas; quantus eſt terræ ſuſpectus ad Olympum: hoc eſt: a ſuperficie terræ. Oſtendo verbis *Apollodori*, de eodem Tartaro, unde *Maro* ſumpſit, lib. I. Τόπος δ' οὗτος (τάρταρος) ἐρεβώδης ἐστὶν ἐν ᾅδου, τοσοῦτον ἀπὸ γῆς ἔχων διάστημα, ὅσον ἀπ' οὐρανοῦ γῆ. Quod enim *Apollodorus* dixit, ὅσον ἀπ' οὐρανοῦ γῆ, ſupple διάστημα ἔχει· *Virgilius* vertit: *quantus eſt ſuſpectus terræ ad Olympum*· hoc eſt, intervallum. Quo ſenſu & *ſuſpectum* idem uſurpat in 9. ejuſdem operis:

Turris erat vaſto ſuſpectu.

Id eſt, vaſto intervallo ab imo turris ad faſtigium. In ſequenti autem verſu contrario errore, peccatum eſt:

Hic genus aniquum terræ Titania pubes.

Scribendum enim *cœli.* Titanes Cœli & Terræ filii, apud

 eun-

eundem *Apollodorum*. Duorum proinde nominum tranſpoſitione laborans locus ſic reſtituetur. Nec tamen abſurdum ſit, ſi quis receptam lectionem tueri velit, *ſuſpectum cœli* ſignificare ibi totum aëris intervallum atque intercapedinem a terræ ſuperficie uſque ad ætherem: utpote per quem, ut τὸ μεταξὺ viſionis, datur remotiſſima quæque, atque adeo cœleſtia ſuſpicere.

De *limo* autem apud inferos, cum legimus,

Tandem trans fluvium incolumes vatemque virumque,
Informi limo, glaucaque exponit in ulva.

non eſt putandum gratis hæc ſcripſiſſe poëtam, neque aliquo ſpectaſſe. Certe *Plato* in *Phædone*, in deſcriptione inferorum inter alia fœda & triſtia mentionem facit *luti*: a quo *limus* non multum differens: nempe hic humidior; lutum craſſius. Sic igitur *Plato* ibi, ubi de fluviis ſubterraneis: Πολὺ δὲ πῦρ καὶ πυρὸς μεγάλους ποταμοὺς, πολλοὺς δὲ ὑγροῦ πηλοῦ, καὶ καθαρωτέρου, καὶ βορβορωδεστέρου. i. *Item perennium fluminum ſub terra incredibiles magnitudines, aquarum tum calidarum, tum frigidarum; plurimumque ignem, & ignis ingentes amnes: multos quoque lutulenti humoris, partim purioris, partim ſordidioris.* Quod ergo *Plato* humidum lutum dixit, *Virgilius* informem limum vertit. Porro de hoc luto ſive limo, quid ſignificet, legantur *Platonici*, qui altius *Platonis* dicta ſcrutantur, quando conſtat, non poſſe hæc ad literam accipi; maxime autem *Proclus* in primo *commentariorum* ad *Timæum*, ubi de Atlantidis ſubmerſione ſententiam exponit, & quid ſit ibi ἀςάθεις, quid apud Orpheum καταχθόνιος ; Quæ apud eum legant ſtudioſi, ſi cui id curæ. Mihi ſufficit in præſens indicaſſe, unde hæc *Maro* ſumpſerit; cujus poëſim inexhauſtum eſſe antiquæ eruditionis & philoſophiæ penu, pridem magni viri obſervarunt.

CA-

CAPUT XXII.

Veterum opinio, perire animas eorum qui naufragio, aut aliter aquis ſubmerſi interirent. loca de his pugnantia expenduntur.

HOc modo excuſant *Maronem*, qui in primo *æneid.* Heroem ſuum in mari periclitantem metu magno perculſum ingemere, & ſe complorare facit:

Extemplo Æneæ ſolvuntur frigore membra;
Ingemit &c.

Quod idem & in Achille fecit *Homerus*, quem pariter *Iliad.* Φ. genus id mortis abominantem inducit. Quorum imitatione *Ovid.* in elegiis *de Ponto*:

Demite naufragium, mors mihi munus erit:

Servius ad eum locum rationem hujus pavoris hanc reddit: *Ingemit, non propter mortem: ſequitur enim: O terque quaterque beati, ſed propter mortis genus. grave eſt enim, ſecundum Homerum, perire naufragio, quia anima ignea eſt, & extingui videtur in mari, id eſt, elemento contrario: ut Igneus eſt ollis vigor.* Extingui igitur funditus animas in aquis percuntium putabant. Hujus ſtultæ opinionis meminit *Syneſius* in *epiſtola* quarta, cujus initium, Λύσανδρος ἐκ Βενδιδείου. *Homeri* etiam verſum affert in eam ſententiam,

Αἴας δ' ἐξαπόλωλεν, ἐπεὶ πίεν ἁλμυρὸν ὕδωρ.

Ajax interiit, poſtquam bibit ſalſam aquam.

Τὸν ἐν θαλάττῃ (inquit) θάνατον ἀκριβεστάτην ἀπώλειαν εἶναι πειθόμενος. οὐδένα γὰρ ἄλλον ἐξαπολωλέναι φησὶν, ἀλλ' ἕκαστος ἀποθνήσκων, ἄϊδός δε βέβηκε. i. *Mortem mari planiſſimum eſſe interitum ſtatuens. Nullum enim alium interiiſſe ait; ſed unuſquiſque obiens, deſcendit ad orcum.* Aliam con-

jecturam addit: Ταῦτ᾽ ἄρα καὶ ἐν δυσῖν νεκυΐαιν ὁ μικρὸς Αἴας οὐδαμοῦ τῶν δραμάτων εἰσενηνέχθαι, ὡς τῆς ψυχῆς οὐκ οὔσης ἐν ᾅδου. i. *Proinde in duabus mortuorum recenſionibus, Ajax nuſquam in fabula introductus eſt: quaſi animus ejus in Orco non eſſet.* Verum, quod ad opinionem attinet, multis viſum eſſe, animæ naturam eſſe igneam & interitui obnoxiam, apparet ex *placitis philoſophorum* apud *Plutarchum*, & apud *Ariſtotelem* in primo *de anima*. Nam & *Heracliti* ſententia hæc fertur: Ψυχῆσι θάνατος, ὕδωρ γενέσθαι. &c. *Mors animarum, aquam fieri.* Quod autem *Servius* juxta hanc opinionem ait,Æneam eo loco induci gementem, quod animæ ſuæ timeret, ne totus in mari interiret, jurare auſim, ne per ſomnium quidem *Maroni* in mentem veniſſe; cum iis, quæ in operis ſerie apud eum leguntur, e directo pugnet. Quippe in ſexto ejus operis, *Palinurum*, qui dormiens deciderat in mare & ſuffocatus fuerat, Æneas alloquitur, hoc eſt, animam ejus nondum ſedibus mortuorum receptam, quod inhumatum ejus corpus jaceret. Ibidemque alios plures mari item ſubmerſos ab Ænea cognoſci facit:

Cernit ibi mæſtos & mortis honore carentes
Leucaſpim, & Lyciæ ductorem claſſis Orontem:
Quos ſimul a Troja ventoſa per æquora vectos
Obruit auſter, aqua involvens navemque viroſque.

Male etiam exponit, quod in eodem libro legitur;

Ingens eſt ollis vigor & cæleſtis origo
Seminibus.

Putans ſignificari igneam animæ naturam, cum hæc verba ad tenue & æthereum animæ vehiculum pertineant, ut alii etiam obſervarunt. Vera ratio eſt, quia, qui ſic peribant, honore ſepulcri carebant, & quamdiu inhumatum corpus jaceret, animam non recipi in numerum mortuorum, neque requieſcere arbitrabantur. Quemadmodum & *Maronis* ipſius eodem loco, & innumeris aliis poëta-

poetarum locis oſtendi poteſt. Qui in eo ſecuti ſunt *Homerum*; apud quem in *Odyſſ.* ε. Ulyſſes in pari periculo lamentatur, non quia animam extingui putet naufragio, ſed quod ſic morientes diu inhumati jacerent, & quod genus id mortis inglorium cenſeatur:

Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ ϗ τετράκις &c.

& paulo poſt,

Ὡς δὴ ἔγωγ' ὄφελον θανέειν.

tum cauſſam reddit, quare vellet cum aliis Trojanis periiſſe apud Trojam:

Τῷ κ' ἔλαχον κτερέων, καί μευ κλέος ἦγον Ἀχαιοί.

Tunc ſortitus eſſem exſequias, & meam gloriam Achai celebraſſent. Ex his enim *Maronis* ſuperiora, ut profecta, ſic exponi debent.

Quod autem *Syneſius Homerum* in eam ſententiam trahit ob hunc verſum:

Αἴας δ' ἐξαπόλωλεν ἐπεὶ πίεν ἁλμυρὸν ὕδωρ.

Et verbum ἐξαπόλωλεν ibi perfectum hominis interitum, animæ videlicet cum corpore extinctionem interpretatur, multis modis peccat. Primum falſum eſt *Homerum* ita ſcripſiſſe. In noſtris quidem libris hunc verſum ita ſcriptum reperio;

Ὡς ὁ μὲν ἔνθ' ἀπόλωλεν, ἐπεὶ πίεν ἅλμυρον ὕδωρ.

Supple Αἴας, cujus ibi naufragium & mors deſcribitur; nempe in quarto *Odyſſea.* Adeant Studioſi hunc locum. Quod etiam argumentum ſubjungit, propterea in mortuorum recenſione utriuſque νεκυίας, nullum fieri Ajacis illius mentionem, facile ex dictis ſolvitur. Nam quia inhumatorum animas in mortuorum ſedem recipi non putabant, merito *Homerus* in mortuorum nomenclatura apud Inferos Ajacem illum, ut in mari extinctum & inhumatum præterit.

Non igitur extingui & perire animam ſic conſumptorum putabant, ſed in aqua errare, donec humati eſſent;

immo

immo fuerunt, qui nunquam in inferos deſcendere, ſed perpetuo errare arbitrarentur: in quorum ſententia *Propertius*, de Marcelli Octaviæ ſororis Auguſti filii obitu, quem Bajanis aquis ſubmerſum interiiſſe conſtat, ſic libro 4. cecinit:

At nunc inviſa magno cum crimine Bajæ,
Quis Deus in veſtra conſtitit hoſtis aqua?
His preſſus Stygias vultum demiſit in undas,
Errat & in veſtro ſpiritus iſte lacu.

Qui cum legitime humatus atque etiam magnifice, ut par eſt, ſepultus fuiſſet; nihilominus, quod aquis ſuffocatus interiiſſet, *ſpiritum* ejus ſive *animam* per lacum Bajanum errare dicit Poëta eruditiſſimus. *Achilles Tatius* in *Leucippes & Clitophontis Amoribus*: Λέγουσι δὲ τὰς ἐν ὕδατι ψυχὰς ἀνῃρημένας (ſcribe ἀνῃρημένων) μηδὲ εἰς ᾅδου καταβαίνειν ὅλως· ἀλλ' αὐτοῦ περὶ τὸ ὕδωρ ἔχειν τὴν πλάνην. i. *Ajunt autem animas eorum, qui in aqua pereunt, omnino in Plutonis domum non deſcendere, ſed ibi circa eam aquam vagari atque oberrare.* Quomodo igitur hæc conſiſtere poſſunt, ut pereuntium in aqua animæ extinguantur ſimul, & in eadem aqua errent?

C A-

CAPUT XXIII.

Liquidum plaſma *quid ſit apud* Perſium? *diſſentientes* Turnebi *&* Caſauboni *explicationes. Cantantium in theatris, & recitantium mos, de vocis formatione loca* Ariſtotelis *&* Quintiliani; *item* Theophraſti *de tibicinio: & alia ad eam rem pertinentia.*

PErſius ineptam procerum Romanorum ambitionem, qui verſibus pangendis & publice recitandis plauſum captabant, ſic *Satyra* prima ſalſe irridet:

Scilicet hæc populo pexuſque togaque recenti,
Et natalitia tandem cum Sardonche albus
Sede ſedens celſa, liquido cum plaſmate guttur
Mobile colluerit, patranti fractus ocello.

ibi *Turnebus*, *liquidum plaſma* mollem & teneram vocem, fictamque ad oſtentationem exponit: Quam interpretationem, quæ eſt ejus eruditio, præcipuorum locis auctorum confirmat. Sed, pace tanti Viri dicam, non mihi perſuadet, & potius *Caſaubono* aſſentior, qui liquorem vel certe ſorbitiunculam interpretatur, quo recitatores fauces colluere ſolebant ad leniendam vocem vel certe reficiendam, ubi raucеſcere inciperet. Ad quod ſignificandum non potuit *Perſius* verba invenire aptiora; & quæ magis proprie rem exprimant. Idque in uſu fuiſſe ibi *Caſaubonus* idoneis etiam argumentis probat: quibus addere licet hunc *Suetonii* locum *de Nerone*: *Ibidem ſæpius & per complures cantavit dies, ſumpto etiam ad reficiendam vocem brevi tempore, impatiens ſecreti a balneis in theatrum tranſiit, mediaque in orcheſtra frequente populo epulatus, ſi paulum ſubbibiſſet, a-*

liquid

liquid ſe ſufferti tiniturum Græco ſermone promiſit. Ubi verbum *ſubbibere*, [cui apud Græcos reſpondeat, pridem idem *Turnebus* lib. 27. *Adverſ.* cap. 18. & poſt eum *Caſaubonus Animadv.* ad 1. *Athen.* cap. 22. docuerunt. nempe huic ὑποπίνειν vel ὑποβρέχειν.] de hac leniendæ medicamento arteriæ conſuetudine intelligi debet. In quo jocülariter plane lapſus *Ariſtoteles* deprehenditur; qui in *problemate* 3. ſect. 27. hunc morem ſorbendi aut ſubbibendi, in theatris obſervatum hiſtrionibus, pavori eorum & trepidationi tribuit: eo quod metus ſanguine introrſum compulſo ſitim excitet, non modo in ſpectaculis; ſed etiam in præliis. verba quibus id dicit, hæc ſunt: Ὁ δὲ φόβος ὅτι διψητικὸν, καὶ οἱ ἐν ταῖς τροπαῖς δηλοῦσιν. οὐδαμοῦ γὰρ οὕτω διψῶσι· καὶ οἱ ἀγωνιῶντες σφόδρα. διὸ καὶ διακλύζονται καὶ ἐπιῤῥοφοῦσι καθάπερ Παρμένων ὁ ὑποκρίτης. ἢ τούτοις μὲν οὐκ ἔστι δίψος, ἀλλὰ ξηρότης πεφευγότος τοῦ αἵματος· ὅθεν καὶ ὠχροί; σημεῖον δὲ τὸ μὴ πίνειν πολὺ, ἀλλὰ καὶ βροχθίσαι. i. *Metum enim ſitim poſſe afferre conſtat militum argumento, qui ſuperati fugam rapuerint: nunquam enim tantam ſitim patiuntur, quemadmodum & qui publice dicturi trepidant. quamobrem fauces colluunt, & paulum quid ſorbillant, ut Parmeno hiſtrio ſolebat. Aut ejuſmodi homines non ſitis, ſed ſiccitas ſanguinis fuga vexat: unde etiam palleſcunt. Hujus indicium, quod non multum bibunt, ſed & guttur colluiſſe, iis ſatis eſt.* Hunc igitur morem gutturis medicamento leniendi ac vocis eliquandæ, ut ejuſdem *Perſii* voce utar, non vidiſſe *Ariſtotelem* mirum eſt. Sed reliqua exſequamur. Quod igitur *Turnebus* vocabulum *plaſma* eo loco *Perſii* ad vocis formationem transfert, præter ejus mentem arbitror. Quod tamen vocem πλάττεσθαι Græci dixerint, Latini *formari & fingi*, locus *Ariſtotelis* lib. 4. hiſtor. cap. 9. indicat: Ἤδη δὲ ὦπται καὶ ἀηδὼν, νεοττὸν προδιδάσκουσα· ὡς οὐχ ὁμοίως φύσει τῆς διαλέκτου οὔσης καὶ τῆς φωνῆς, ἀλλ' ἐνδεχόμενον πλάττεσθαι; *Et jam viſa eſt luſcinia, pullum exercens*

ercens. tanquam non perinde natura ſit ſermo & vox; ſed hæc poſſit formari. *Fabius* lib. XI. cap. 3. de *vocis vitiis* agens: *Sunt enim* (inquit) *multa vitia, de quibus dixi, cum in quadam primi libri parte puerorum ora formarem.* De cantu etiam tibiarum *Theophraſtus* id verbum uſurpat lib. 4. περὶ φυτῶν. Quo loco veteres uſque ad Antigenidem αὐλεῖν ἀπλάςως ſolitos, hoc eſt *indiſtincte* & *immodulate* notat: Πρὸ Ἀντιγενίδȣ μὲν ὅταν ηὔλȣν ἀπλάςως. et paulo poſt: ἐπεὶ δὲ εἰς τὴν πλάσιν μετέβησαν, ἡ τομὴ μετεκινήθη, ſupple καλάμων. *Aliter calami cœpere incidi, poſtquam varietas acceſſit*, ſupple *modulatus*: ita enim *Plinius* vertit, & poſt eum *Theodorus*. Atqui contrarium hujus vocabuli uſum habemus apud *Fabium* lib. I. cap. 19. nempe pro graviore ſono & ſimplici, quod eſt oppoſitum varietati: *Nec verba in faucibus patietur audiri, nec oris inanitate reſonare: nec quod minime ſermoni puro conveniat, ſimplicem vocis naturam pleniore quodam ſono circumlinire: quod Græci κατα-πεπλασμένον dicunt. Sic appellatur cantus tibiarum: quæ præcluſis, quibus clareſcunt, foraminibus, recto modo exitu, graviorem ſpiritum reddunt.* Fit autem artificioſa hæc ſoni varietas in tibia, opera & vario impulſu digitorum, quædam aliis apertis foramina obturantium, quod καρκινȣ̃ν δακτύλȣς *Antiphanes* dixit citato verſu apud *Athenæum* lib. 15.

Αὐλητικῶς δὲ καρκινȣ̃ν τȣ̀ς δακτύλȣς.

hoc eſt, diſparare ac divaricare digitos, quo pacto pedes ſuos cancri, dum gradiuntur. *Apulejus*, *diſcapedinare manus* dixit, in primo *Floridorum*. *Ante Hyagnim nihil aliud plerique callebant, quam, ut Virgilianus opilio ſeu bubſequa,*

Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen.

Quod ſi quis videbatur paulo largius in arte promoviſſe; ei quoque tamen mos fuit una tibia, velut una tuba, perſonare. Primus Hyagnis in canendo manus diſcapedinavit. Eſt etiam

καρ-

καρκινοῦν verbum in agricultura uſitatum, & de ſtirpium radicibus uſurpatur; cum expandi in terra atque explicari incipiunt, *Theopraſto* auctore: Ὅταν ὁ σῖτος ῥιζωθῇ, κατὰ τῆς γῆς κεκαρκινῶσθαι φασί. Refert *Suidas* in *Collectaneis.*

CAPUT XXIV.

De quibusdam locutionibus poëticis: pectus ferreum, vox ferrea, mens alba, columna *pro* monte; *& alia ejusmodi.*

PAſſim apud *Homerum* legere eſt, de invicto animi robore & conſtantia,

—— σιδήρειον νύ τοι ἦτορ.

Certe ferreum tibi eſt cor. idque alii poëtæ ſecuti ſunt, atque etiam proſæ orationis auctores, ut *Cicero* in *Lælio* ſeu *de Amicitia*: *Quis tam eſſet ferreus, qui eam vitam ferre poſſet.* Tam multa exempla occurrunt, & tam vulgo id notum eſt, ut ineptus ſit, qui velit in re manifeſta diligentiam ſuam oſtendere. Id modo obſervatione in his dignum viſum eſt mihi, quod veteres illi ferrum pro idea & exemplo indomitæ virtutis, & potentiæ ad agendum efficaciſſimæ quocumque in genere poſuerunt. Itaque *Homerus* non veritus eſt ignem *ferreum* dicere, quo tamen nihil minus ferreum eſſe conſtat, ſi ſubſtantiam ejus ſpectamus, quæ ſumme eſt tenuis, rara, & ad inſtar ætheris liquida & pellucens: unde *Maro* hunc liquidum in *Eclogis* vocat. Patet hoc verſu *Iliad* ψ.

Ἐν δὲ πυρὸς μένος ἧκε σιδήρειον.

Pindarus vero eodem ſenſu ignem ϛερεὸν dixit *Ode Olymp.* 10. ὑπὸ ϛερεῷ πυρὶ πλαγαῖς τε σιδάρου. Solido igne, rigido,

do, duro. Sed & *Maro*, *ferream vocem*, quæ nihil aliud eſt, niſi ictus & impreſſio aëris. Sic *ferreus Hercules* olim viſebatur. *Plinius* lib. 34. cap. 44. *Eſt in eadem urbe* (*Thebis*) *& ferreus Hercules, quem fecit Alcon laborum Dei patientia inductus.*

Plato autem in ſecundo *de Republica* pro *ferreo*, *adamantinum* dixit: Οὐδεὶς ἂν γένοιτο ὡς δόξειεν, οὕτως ἀδαμάντινος, ὡς ἂν μείνειεν ἐν τῇ δικαιοσύνῃ. Unde *Adamantius*, opinor, cognomen *Origeni* inditum ab incredibili in ſtudiis labore & patientia.

Apud eundem *Pindarum* λευκὰς φρένας hoc eſt, *albam mentem* reperio in malum partem pro ſtolida & indocta, *Ode* 4. *Pyth.*

> Πεύθομαι γάρ μιν Πελίαν ἄθεμιν
> Λευκαῖς πειθήσαντα φρεσίν.

Scholiaſtes ad hunc locum: Λευκὰς εἶπε φρένας, κατὰ τὸ ἐναντίον τοῦ παρ' Ὁμήρῳ μελαίνας, ἃς ἐκεῖνος ἀπὸ τῶν ἐν βάθει διαφαινομένων ὑδάτων κατὰ μεταφορὰν ὠνόμασι. Nempe hujus epitheti ratio hinc ducta eſt; quod ſicut aquæ parum profundæ pellucidæ & albæ apparent, profundæ autem opacæ & nigrantes: ſic *mens alba* dicitur, quæ non habet niſi ſuperficiem, neque alte in rerum occultam veritatem cogitatione deſcendit. qualem *Democritus* in *epiſtola* ad *Hippocratem* νοῦν ἀκρόπλοον dixit: quæ ſumma tantum rerum & in ſuperficie poſita attingit. Poſſet etiam intelligi in qua nullum adhuc impreſſum cognitionis veſtigium; & eſt tanquam tabula aut charta, in qua nondum quicquam ſcriptum eſt. Qua ſimilitudine utitur *Philoſophus* in 3. *de anima*. Sed & ipſe *Pindarus* citata *Ode* 10. *Olymp.*

> Πόθι φρενὸς ἐμᾶς γέγραπται.

Idem *Pindarus* in verſibus quos de Ætna fecit, citatis à *Gellio* & *Macrobio*, *columnam* pro *monte* poſuit:

> Κίων δ' οὐρανία, συνέχει

Νιφόεος ἄςτνα, πάνετες,
Χιόνος ὀξείας τιθήνα.

Et in *Cæſaris Scaligeri* cenſuram ea cauſſa incurrit, cujus hæc ſunt verba lib. 5. *Poëtices* cap. 4. *Quis ſine riſu* (*ſapientem intelligo*) *cœli columnam*, *montem dicat?* Ceu flagitium eſſet, Poëtam aliquid præter exactam philoſophandi normam audere, & ubique hæc poëtica ad vivum, quod ajunt, unguem reſecari debeant. Quod ergo dicit, neminem ſapientem ſic loqui, ut *montem cœli*, *columnam* vocet, ad rem non pertinet, ſed an quiſquam aliorum magni nominis poëtarum ſic locutus ſit. Atqui reperio *Æſchylum* in *Promotheo* hoc ipſum dixiſſe de Atlante.

Οὐ δῆτ᾽ ἐπέι με καὶ κασιγνήτου τύχαι
Τείρουσ᾽ Ἄτλαντος, ὃς πρὸς ἑσπέρους τόπους
Ἕστηκε κίων, οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς
Ὤμοις ἐρείδων ἄχθος οὐκ εὐάγκαλον.

Latine ſic:

Non ſane, quando me cognati fortunæ
Affligunt, Atlantis, qui juxta plagas Heſperias
Stat columna, cœli & terræ humeris ſuſtinens
Onus haud portatu facile.

Sane ſi recte de eo monte dixit Virgilius

——— *Cœlum qui vertice fulcit.*

Non video cur non poſſit eadem licentia poëtica dici columna; cum præſertim *Catullus*, *in Galliambo*, *montes*, *columina* appellet;

Ego vitam agam ſub altis Phrygiæ columinibus.

Ita enim *columina* ibi malim interpretari, quam arbores, ut *Turnebus*, *Adverſ.* lib. 29. cap. 20.

C A-

CAPUT XXV.

Locus Terentii *expenſus & ſcrupulus ex eo ſublatus.*

HIc Bacchidem meretricem *Hecyra* act. 5. ſcen. 1. ſic loquentem inducit,

Ego pol quoque etiam timida ſum, cum venit mihi in mentem, quæ ſim,
Ne nomen mihi quæſtus obſtet apud te: nam mores facile tutor.

In his verbis ſcrupulus; quomodo quæ ſe meretricem fateatur, & quæſtum corpore faceret, *mores facile tutari* dicat. Sic demi hic ſcrupulus poteſt. mores non tam ex vivendi genere & ſtatu præſenti alicujus, quam ex animi affectione & propoſito æſtimari debent: nam multis, quo minus ſuo arbitrio vivant, fortuna obſtat. In primis vero egeſtas pleriſque feminis, quibus forma & ætas ſuppetit, ne ſint pudicæ. Idque quædam apud eundem *Terentium* in *Andria* ſignificat his verbis:

Mi Pamphile, hujus formam atque ætatem vides:
Nec clam te eſt, quam illi utraque res nunc utiles
Et ad pudicitiam, & tutandam ad rem ſient.

Ita quidem legunt viri docti *nunc utiles*. ſed aliam lectionem boni codices habent; quam *Donatus* agnoſcit & tenet, nempe *inutiles*, tametſi & *utiles* legi fatetur. utroque modo legatur, idem ſenſus eſt. nempe id ſignificat parum prodeſſe mulieribus formam & ætatis florem ad tutandam pudicitiam, quibus non ſit præſidium domi: hoc eſt obeſſe potius. Addit autem & ad rem tuendam; quia adoleſcentulæ non admodum rebus domeſticis adminiſtrandis incumbunt, ſed voluptatibus potius,

Νιφόεσσ' αἴτνα, πάνετες,
Χιόνος ὀξείας τιθήνα.

Et in *Cæſaris Scaligeri* cenſuram ea cauſſa incurrit, cujus hæc ſunt verba lib. 5. *Poëtices* cap. 4. *Quis ſine riſu (ſapientem intelligo) cœli columnam, montem dicat?* Ceu flagitium eſſet, Poëtam aliquid præter exactam philoſophandi normam audere, & ubique hæc poëtica ad vivum, quod ajunt, unguem reſecari debeant. Quod ergo dicit, neminem ſapientem ſic loqui, ut *montem cœli*, *columnam* vocet, ad rem non pertinet, ſed an quiſquam aliorum magni nominis poëtarum ſic locutus ſit. Atqui reperio *Æſchylum* in *Promotheo* hoc ipſum dixiſſe de Atlante.

Οὐ δῆτ' ἐπεί με καὶ κασιγνήτου τύχαι
Τείρουσ' Ἄτλαντος, ὃς πρὸς ἑσπέρους τόπους
Ἕστηκε κίων, οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς
Ὤμοις ἐρείδων ἄχθος οὐκ εὐάγκαλον.

Latine ſic:

Non ſane, quando me cognati fortunæ
Affligunt, Atlantis, qui juxta plagas Heſperias
Stat columna, cœli & terræ humeris ſuſtinens
Onus haud portatu facile.

Sane ſi recte de eo monte dixit Virgilius
—— *Cœlum qui vertice fulcit.*

Non video cur non poſſit eadem licentia poëtica dici columna; cum præſertim *Catullus*, *in Galliambo*, *montes*, *columina* appellet;

Ego vitam agam ſub altis Phrygiæ columinibus.

Ita enim *columina* ibi malim interpretari, quam arbores, ut *Turnebus*, *Adverſ.* lib. 29. cap. 20.

CAPUT XXV.

Locus Terentii *expenſus & ſcrupulus ex eo ſublatus.*

Hic Bacchidem meretricem *Hecyræ* act. 5. ſcen. 1. ſic loquentem inducit,

Ego pol quoque etiam timida ſum, cum venit mihi in mentem, quæ ſim,
Ne nomen mihi quæſtus obſtet apud te: nam mores facile tutor.

In his verbis ſcrupulus; quomodo quæ ſe meretricem fateatur, & quæſtum corpore faceret, *mores facile tutari* dicat. Sic demi hic ſcrupulus poteſt. mores non tam ex vivendi genere & ſtatu præſenti alicujus, quam ex animi affectione & propoſito æſtimari debent: nam multis, quo minus ſuo arbitrio vivant, fortuna obſtat. In primis vero egeſtas pleriſque feminis, quibus forma & ætas ſuppetit, ne ſint pudicæ. Idque quædam apud eundem *Terentium* in *Andria* ſignificat his verbis:

Mi Pamphile, hujus formam atque ætatem vides:
Nec clam te eſt, quam illi utraque res nunc utiles
Et ad pudicitiam, & tutandam ad rem ſient.

Ita quidem legunt viri docti *nunc utiles*. ſed aliam lectionem boni codices habent; quam *Donatus* agnoſcit & tenet, nempe *inutiles*, tametſi & *utiles* legi fatetur. utroque modo legatur, idem ſenſus eſt. nempe id ſignificat parum prodeſſe mulieribus formam & ætatis florem ad tutandam pudicitiam, quibus non ſit præſidium domi: hoc eſt obeſſe potius. Addit autem & ad rem tuendam; quia adoleſcentulæ non admodum rebus domeſticis adminiſtrandis incumbunt, ſed voluptatibus po-

tius. Quid igitur ſi eadem ſit formoſa & egens? Idem *Terentius* in eadem *fabula*:

Interea mulier quædam abhinc triennium
Ex Andro commigravit huc viciniæ,
Inopia & cognatorum negligentia
Coacta, egregia forma, atque ætate integra.

Hac igitur neceſſitate multas ad quæſtum prolabi conſtat; idque indicant meretriculæ ibidem: Critoni enim interroganti

Quid vos? quo pacto hic? ſati' ne recte?

reſpondet Myſis: *Noſne? ſic*

Ut quimus, ajunt; quando, ut volumus, non licet.

Quod igitur quædam ſint bono ingenio meretrices & meliore fortuna dignæ, teſtatur etiam *Ariſtænetus epiſtol.* 12. ubi Euemerum quendam ſic ad Leucippum ſcribentem inducit, de ſuæ amicæ moribus: Ἐφήδομαι τοῖς τρόποις εὖ μάλα συμπρέπουσι τῇ μορφῇ. Ἑταίρας μὲν γὰρ ἡ Πυθίας εἴληχε βίον· ἁπλότητα δὲ σύμφυτον ἔχει, καὶ ἄμεμπτον ἦθος. ἅπαντα τῆς τάξεως βελτίω τοῦ βίου· καὶ αὐτόν με μάλιστα ᾕρηκε τῷ ἀκάκῳ. *Moribus quoque ejus delector, qui apprime formæ congruunt. Nam Pythias quidem meretricis ſortita eſt vitam: verum tamen ingenio eſt ſimplici, & inculpatis moribus. omnia habet meliora vitæ inſtituto: tum me inprimis probitate ſua fuci & malitiæ experte cepit.* Eodem pertinent, quæ habet *Ludovicus Vives*, vir conjugatus quidem, ſed tamen, ut ex ſcriptis ejus colligo, ſanctiore vita, quam presbyteri multi & epiſcopi, ſcriptum reliquit in libro, *de Officio Mariti: Inter has* (inquit) *meretrices non deſunt, quæ probiore ſunt ingenio & ſtudioſo magis honeſtatis: quæque ad flagitium fortaſſis impelluntur, nulla quidem neceſſitate (neque enim malefaciendi neceſſitas poteſt eſſe ulla) ſed certe*

ſpecie

ſpecie neceſſitatis aliqua ; qua ſi carerent, non pauca illarum vitam honeſtius inſtituerent. Quæ ſint autem probi & honeſti ingenii ſigna in meretrice ibidem Bacchis iſta oſtendit : cum nihil ad fidem faciendam ſanctius ſe habere dicit jusjurando. Hoc enim ſe piam & reverentem Deorum indicat ; præterea cum ſe Pamphilum poſt nuptias ſegregatum habuisſe ſancte affirmat : quo ſe juſtitiæ amantem & legibus ſubjectam declarat. Cum igitur non paucas tali ingenio præditas meretrices eſſe conſtet, non mirum videri debet, quod Chriſtus in *Euangelio* denuntiet ſacerdotibus & Phariſæis, fore ut publicani & meretrices eos præcedant in regno Dei; non omnes quidem, ſed qui ex his naturali ingenii probitate & fide magis capaces veri inveniuntur. Non mirum item, ſi quidam non ſocordes viri atque etiam principes, ex impurato illo grege quasdam liberali forma & moribus non dubitarunt ſibi matrimonio conglutinare, parum curantes ſtultam multorum verecundiam & ſuperſtitionem, qui ab his, ut peſtilentibus & deploratæ atque inſanabilis nequitiæ veterno corruptis abhorrent. Ita cenſeo : ab ejusmodi mulierum commercio ab ineunte ætate ſemper alienus & abhorrens, ſi quis unquam.

CAPUT XXV.

Sententia Pindari, *quadam*, *&* *altera* Simonidis, *ab* Horatio *expreſſa*.

QUod *Horatius* Od. 1. *Carminum* alium alio delectari ſtudio inductione oſtendit, ſe autem lyricæ Poëſeos amore flagrare, nec poſſe abſtrahi, hanc illi mentem a *Pindaro* injectam, ipſius *Pindari* verbis, quæ *Sextus Empiricus* citat in primo *Pyrrhon. Hypotheſeon* ad 2. modum ἐποχῆς, probare viſum eſt, quando hoc ab aliis obſervatum non memini;

> Ἀελλοπόδων μὲν τιν' εὐφραίνουσιν ἵππων τιμαὶ καὶ στέφανοι,
> Τοὺς δ' ἐν πολυχρύσοις θαλάμοις βιωτά.
> Τέρπεται δὲ καί τις ἐπ' οἶδμα ἅλιον ναῒ θοᾷ σῶν διαστείβων.

Hæc tantum ex *Pindaro*, *Empiricus* quæ fuſius perſecutum Lyricorum hunc principem haud dubito. *Horatius* autem ſumpto hinc argumento, quod *Pindarus* dixit quoſdam gaudere velocium equorum honoribus & coronis, hoc modo expreſſit:

> *Sunt quos curriculo pulverem Olympicum*
> *Collegiſſe juvat, metaque fervidis*
> *Evitata rotis, palmaque nobilis,*
> *Terrarum dominos evehit ad Deos.*

cetera quæ ibi perſequitur *Horatius*, pariter a *Pindaro* expreſſa pateret, ſi carmen totum exſtaret. Idem *Horatius* lib. 3. hanc ſententiam e Græcis mutuatus videtur:

> *Eſt & fideli tuta ſilentio*
> *Merces.*

nempe ex *Simonide*, cujus verba plane eandem ſententiam com-

complexa *Ariſtides* in 2. *Platonica*, hunc in modum citat: Καὶ φανῇ τι καὶ δειλίας· εἰ δὲ ϐέλει, σιωπῆς ἀκίνδυνον γέρας. ὥς τις τῶν Κείων ἔφη ποιητής. Quippe iſtud *tuta Silentio merces*: plane illis gemellum eſſe; σιωπῆς ἀκίνδυνον γέρας, nemo non videt.

CAPUT XXVII.

Locus Ariſtotelis *de* Thermis naturalibus *illuſtratur*.

NUſquam magis Phyſicus eſt *Ariſtoteles* quam in volumine *quæſtionum naturalium*. Et certe id poſtulat ratio operis. omnium igitur, quæ ibi proponuntur, cauſſas naturales, quoad ejus fieri poteſt, reddere conatur. At enimvero eorum quæ vulgi opinione & ſuperſtitione conſtant, vanum eſt cauſſas e naturæ adytis velle afferre. Quamobrem fruſtra hunc eſſe operæ cogor fateri; cum in *problemate* ultimo ſect. 24. cur calidæ aquæ naturales variis locis erumpentes, *ſacræ* antiquis exiſtimarentur, explicare conatur. Διὰ τί (inquit) τὰ θερμὰ λετρὰ, ἱερά; ἢ ὅτι ἀπὸ τῶν ἱερωτάτων γίνονται, θείȣ καὶ κεραυνȣ. Nempe hanc cauſſam reddit, cur thermæ naturales ſacræ habeantur, quod a ſulphure & fulmine calorem ſuum mutuentur, quæ res omnium maxime ſacræ exiſtimentur. Sed hoc explicare, eſt obſcurum per obſcurius, vel certe per æque ignotum: nam par difficultas; cur ſacrum ſulphur, cur fulmen? Neque video, cur ſulphur magis ſacrum quam auripigmentum, quam bitumen, & alia foſſilia, videri debeat. neque fulmen porro, ſi ejus naturam ſpectamus, magis inter ſacra habendum, quam

aliæ aëris impreſſiones, quæ μετέωρα Græcis dicuntur. frivola plane hæc interpretatio eſt, & Ariſtotele indigna. Mire tamen hic æſtuant interpretes, & cum bene longa diſputatione ſe & lectorem fatigarunt, hunc hoc minus quam antea incertum dimittunt. Mihi ſimplicius &, niſi fallor, verius rem hanc poſſe explicari videtur, ſi dicamus morem fuiſſe veterum, *ſacra* & *divina* appellandi ea, quorum nos cauſſæ laterent, & quæ eſſent ejusmodi, ut ſenſus noſtros aliqua ſpecie inſigni, aut poteſtate moverent. Ex ignorantia namque admiratio: ex admiratione divinitatis ſuſpicio. Hinc θεήλατον πάθος *Euripidi*: cujus cauſſa eſſet ignota. Sic mentem humanam *Seneca* epiſtola 41. ſacram, immo Deum vocat, quia natura ejus in occulto eſt. *Prope eſt a te Deus, tecum eſt, intus eſt. Ita dico, Lucili, ſacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorumque obſervator & cuſtos.* Tum deinceps lucos ſacros, antra, aquarum calentium fontes, eadem ratione ſacros exiſtimatos declarat, verbis ad oſtentationem uſque exquiſitis & ſonantibus: *Si tibi occurrit vetuſtis arboribus, & ſolitam altitudinem egreſſis frequens lucus, & conſpectum cœli denſitate ramorum aliorum alios protegentium ſubmovens, illa proceritas ſilvæ, & ſecretum loci, & admiratio umbræ in aperto tam denſæ, fidem tibi numinis facit.* Et paulo poſt: *Magnorum fluminum capita veneramur, ſubita ex abdito vaſti amnis eruptio aras habet, coluntur aquarum calentium fontes, &c.* Magis veriſimilis igitur cauſſa hæc eſt, cur eæ aquæ habitæ ſint *ſacræ*, quod ſcilicet ignota ſemper fuerit cauſſa ejus caloris, qui in iis præter naturam hujus elementi infixus manet; ut pote qui etiamnum naturæ ſtudioſis diſputandi materiam præbeat. Ut autem dixi, eorum mos fuit, quorum proprias cauſſas videre non poſſent, iis Deum auctorem inſcribere & talia *ſacra* & divina putare. Ceterum libet animi gratia, antequam hinc diſcedo, ſubjungere ex *Athenæo*, ea lavacra naturalibus aquis calidis ſcatentia,

non

non modo priſcis ſacra fuiſſe habita, ſed etiam quod Herculi ſacra eſſent, vulgo exiſtimatum fuiſſe. ita enim libro 12. in diſputatione de voluptate: Ἡ διὰ τί τὰ θερμὰ λουτρὰ τὰ φαινόμενα ἐκ τῆς γῆς πάντα Ἡρακλέους φασὶν εἶναι ἱερά;

CAPUT XXVIII.

Vindicatur Virgilius *a quorundam cenſura.*

NUmanus lib. 9. *Æneid.* ſic in Trojanos invehitur:

Non pudet obſidione iterum valloque teneri,
Bis capti Phryges, & morti prætendere muros:

& quæ ſequuntur. Ibi Critici *Maronem* accuſant, quod *bis captos* dixerit Phrygas, quos *ter* obſeſſos, & expugnatos fuiſſe conſtet. *Nos* (inquit *Brodæus* lib. 4. *Miſcell.* cap. 7.) *non bis tantum, ſed ter captum, exciſumque Ilium fuiſſe cenſemus: primum ab Hercule, deinde ab Amazonibus, poſtremo a Græcis duce Agamemnone. Unde Theocritus in Ara,* Τευχείδα τρίπορθον *vocat.* Tum pluribus exemplis oſtendit, non debere Poëtarum dicta ad exactam hiſtoriæ & veritatis normam exigi: in quibus & hunc locum* profert. Sed profecto *Virgilius* tali defenſione, hoc quidem loco, non eget. Ter Trojam captam fuiſſe negari non poteſt: non tamen *Maro* ibi male *bis captos Phryges* Numanum iſtum dicere facit; qui ſcilicet non multo antea a Græcis victi ſub Agamemnone fuiſſent: quæ altera Trojanorum clades, a prima quæ ſub Hercule accedit, memoratur. Tametſi enim

Τζετζες Trojam primum ab Hercule, deinde ab Amazonibus; tertio ab Agamemnone expugnatam refert: quem *Brodæus* ſequitur; non tamen auctores defuiſſe putandum eſt, & fortaſſe graviores, qui ejusdem civitatis everſionem ab exercitu Græcorum ſub Agamemnone, ſecundam ab illa Herculea, quam primam fuiſſe convenit, dicerent. Primum ſcilicet Trojam captam fuiſſe ab Hercule ob equos Laomedontis: 2. ab Agamemnone inducto in urbem ligneo equo. 3. a Charidemo, cum equo in urbis ingreſſu prolapſo, portæ occludi non potuiſſent. quo ordine triplicem hujus civitatis calamitatem, ut magis vulgatam & certam *Plutarchus* in præfatione ad *vitam Sertorii*, in illa in ſimilium fortunæ eventuum inductione proponit his verbis: Ἑάλω δὲ τὸ Ἴλιον ὑφ᾽ Ἡρακλέους διὰ τὰς Λαομέδοντος ἵππους, καὶ ὑπὸ Ἀγαμέμνονος διὰ τοῦ δουρείου προσαγορευθέντος ἵππου, τρίτον δ᾽ ὑπὸ Χαριδήμου ταῖς πύλαις ἵππου τινὸς ἐμπεσόντος.

CAPUT XXIX.

Quo ſenſu Beatus Hieronymus, Ruffinum, Calphurnium lanarium *appellet?*

HIeronymi verba hæc ſunt in *Apologia adverſus Ruffinum*: *Nam ut tibi ſciolus eſſe videaris, & apud Calphurnianos diſcipulos doctrinæ gloriam teneas, totam mihi phyſicam opponis*, &c. rurſus in eadem *Apologia*: *Nimirum iſte eſt Salluſtianus Calphurnius.* Præterea in *epiſtola* quadam ad San-

Sanctum Auguſtinum: *Miſit mihi temeritate ſolita ſua maledicta Calphurnius cognomento lanarius, quæ ad Africam quoque ſtudio ejus didici perveniſſe.* Quid igitur ſibi vult *Hieronymus* tali Adverſarii transnominatione? *Eraſmus* in *commentariis* hoc explicare conatur, ſed longe, meo quidem judicio, a propoſito aberrat; *Ita ſubinde* (inquit) *vocat Ruffinum, ut indoctum & Craſſum.* Et in *comment.* epiſtolæ ad Auguſtinum: *Niſi fallor, ſentit Ruffinum, quem ita ſubinde vocat, velut indoctum & culinæ quam literarum ſtudioſiorem: alludens ad Perſianum illud:*

Continuo Craſſum ridet Vulphernius ingens
Et centum Græcos curto centuſſe licetur.

quandoquidem in nonnullis Perſii codicibus Calphurnium legi pro Vulphernio. Mox de etymo hujus nominis ſubdit: *Videtur autem vox conficta a calido furno, ut & cognomentum lanarii a lanionibus, qui carnes vendunt in Macello.* Quæ annotatio *Eraſmi* (pace viri tanti dixerim) ridicula eſt. Quaſi vero id nomen per F. & non per P. ſcribatur. Vetus enim & genuina ſcriptio eſt; *Calpurnius*, unde poſtea *Calphurnius* dici cœpit. Nam a *Calpo* auctore ejus gentis nomen *Calphurnii* deflexum, vel ex *Lucano* conſtare poteſt, qui id expreſſe docet in *poëmatio* ad *Piſonem*:

—— *Hinc tua Piſo*
Nobilitas, veteriſque citant ſublimia Calpi
Nomina, Romanas inter fulgentia gentes.

Nec minus ridicule *Lanarii* cognomentum a *Lanionibus*, contra omnem analogiam deducit. Sed neque verum, quod ibidem dicit, ejus nominis argumento, argui *Ruffinum*, ut craſſum, & culinæ, quam literarum ſtudioſiorem. Immo hunc eloquentem & ſtudioſum fatetur *Hieronymus*: tantummodo ut malignum, arrogantem, & temerarium

rarium, atque etiam *Origeniſtam* traducit. Quod eloquentem agnoſcat, verba ipſius indicant in eadem *Apologia*, quibus ſannam repercutit exprobrantis ſibi lectionem Ciceronis & aliorum auctorum Ethnicorum, idque occaſione ſomnii, quod *Hieronymus* ipſe vulgaverat, in quo accuſatum ſe, ut Ciceronianum, & judicis ſupremi ſententia pœnas dediſſe memorabat. Hoc (inquam) cum ei exprobraret *Ruffinus*, *Hieronymus* hunc ejuſdem criminis damnandum eſſe convincit his verbis: *Unde tanta tibi verborum copia, ſententiarum lumen, tranſlationum varietas, homini qui oratoriam vix primis labris in adoleſcentia deguſtaſti? aut ego fallor, aut tu Ciceronem occulte lectitas.* Quin eidem mox, & flumen eloquentiæ, & ingenii magnitudinem tribuit, hunc in modum ſcribens: *Et ideo tam diſertus es, mihique lectionis ejus (Ciceronis) crimen intendis, ut ſolus inter Eccleſiaſticos ſcriptores eloquentiæ flumine glorieris: licet magis philoſophos ſequi videaris, ſpinas Cleanthis, & contorta Chryſippi, non ex arte quam neſcis: ſed de ingenii magnitudine.* Rurſus in ejuſdem apologiæ decurſu, multis interjectis, ſic de quadam Ruffini epiſtola loquitur: *Ex quo apparet te illam epiſtolam, aut pluribus diebus ſcripſiſſe, ut ſtili ipſius elegantia probat: aut ſi tumultuaria dictio eſt, nimium te eſſe negligentem, qui cum extemporalis talis ſis, meditatus deterior fueris.* At hunc imperitiæ arguit *Hieronymus.* Quid mirum? in reſponſione ſcilicet, cum ſe ab adverſario docto & eloquente in multis reprehenſum doleret. omnino igitur de *Calphurnio Lanario* in iis *Hieronymi* locis fugit ratio *Eraſmum.* ſupereſt, ut, quid conjecturæ mihi in mentem venerit, dicam. Reperio apud *Plutarchum* in *vita Sertorii* quendam fuiſſe *Calphurnium*, cognomento *Lanarium*, Syllanis temporibus; ex eorum numero, qui Syllæ partes ſequebantur. Hunc autem inſidiis, quas Julio Salinatori ſtruxit, & capitali perfidia innotuiſſe. Nam cum Julius

Serto-

Sertorii, qui poſt Marianæ factionis cladem in Hiſpaniam ſe receperat, juſſu, Pyrenes clauſtra armis teneret, Anniumque unum e Syllæ ducibus aditu prohiberet; nec vi aperta præſidio dejici poſſet, *Calphurnius*, qui in Annii exercitu erat, ut credere par eſt, ſeſe eſſe transfugam mentitus, in Julii caſtra irrepſit, atque ibi amicitiæ prætextu fallens capta occaſione hominem inſidiis necavit. Καλπουρνίου δέ τινος ἐπίκλησιν Λαναρίου, δολοφονήσαντος τὸν Ἰούλιον, καὶ τῶν στρατιωτῶν τὰ ἄκρα τῆς Πυρήνης ἐκλιπόντων, ὑπερβαλὼν Ἄννιος, ἐπήει χειρὶ μεγάλῃ τοὺς ἐμποδὼν ἀνιστάς. Nihil ergo abſurdi ſit putare *Hieronymum Calphurnii* iſtius nomine abuſum, ad ſignificandum proditorem, ac perfidiam in ſe *Ruffini* oblique deſignandam: quod hunc non minori ſcelere ſibi inſidiatum crederet. Qui ſi non ferro caput ſuum petiiſſet; certe famam vita ipſa cariorem, lingua & ſcriptis maledicentiſſimis, quantum in ſe erat, oppreſſiſſet.

CAPUT XXX.

Plutarchi *locus inſignis emendatur & explicatur.*

IN libello, qui inſcriptus eſt: Εἰ καλῶς εἴρηται τὸ λάθε βιώσας; quæ ſententia eſt *Epicuri*, & fertur in primis, commendantis otium & vitæ latebras iis, qui bene vivere volunt; locum reperio inſignem, ſed cujus ſententiam fruſtra ex editionibus quiſquam conſequi ſtudeat, nedum ex *Amioti* noſtri verſione, qui corruptum eſſe hunc non vidit: Δοκῶ δὲ ἐγὼ καὶ τὸ ζῆν αὐτὸ, καὶ ὅλως τὸ φῦναι καὶ μεταχεῖν ἀνθρώπων γενέσεως, εἰς γνῶσιν ὑπὸ θεοῦ δοθῆναι. ἔστι δὲ ἄδηλος καὶ ἀγνω-

γνωστὸς ἐν τῷ παντὶ πολλῷ, καὶ κατὰ μικρὰ καὶ σποράδην φερόμενος. ὅταν δὲ γένηται συνερχόμενος αὐτῷ καὶ λαμβάνων μέγεθος, ἐκλάμπει καὶ καθίσταται δῆλος ἐξ ἀδήλου, καὶ φανερὸς ἐξ ἀφανοῦς. οὐ γὰρ εἰς οὐσίαν ὁδὸς ἡ γνῶσις, ὥς ἔνιοι λέγουσιν, ἀλλ᾽ οὐσίας εἰς γνῶσιν. οὐ γὰρ ποιεῖ τῶν γινομένων ἕκαστον, ἀλλὰ δείκνυσιν, ὥσπερ οὐδὲ ἡ φθορὰ τοῦ ὄντος, ἄρσις εἰς τὸ μὴ ὄν ἐστιν, ἀλλὰ μᾶλλον εἰς τὸ ἄδηλον ἀπαγωγὴ τοῦ διαλυθέντος. Ut ergo emendationis, quam affero, ratio omnibus conſtet, prius aperiendum eſt *Plutarchi* conſilium in hoc libello. Nempe hoc illi propoſitum eſt, refellere dogma iſtud Epicuri, atque oſtendere, non oportere in occulto deliteſcere, niſi qui more Epicuri vivere inſtituat, nempe inter ganeas, & fœdarum voluptatum miniſteria. Quanquam neque ipſum Epicurum latebrarum patientem fuiſſe ſcriptorum ejus multitudo indicat: Ceterum ſocietatis humanæ intereſſe bonos viros non ignorari, multis clarorum virorum exemplis declarat: deinde etiam documentis e natura promptis. cujus poteſtas in iis, quæ antea latebant in lucem & notitiam protrahendis maxime verſetur: nihil enim aliud eſſe gigni aliquid, quam abſconditum e latebris educi, atque ita ab aliis multis, quibus confuſum eſt, diſcerni, ut cognoſci poſſit. Ex hac ſententiæ *Plutarchi* declaratione, ad verborum ejus emendationem me confero. Δοκῶ δὲ ἐγὼ καὶ τὸ ζῆν αὐτὸ, καὶ τὸ ὅλως τὸ φῦναι καὶ μετασχεῖν ἀνθρώπων γενέσεως, εἰς γνῶσιν ὑπὸ θεοῦ δοθῆναι. Hoc primum ſane leve mendum tollo, ἀνθρώπων pro ἀνθρώπῳ: ſed non contemnendum, cum ſenſum obſcuret: nam plane ἀνθρώπῳ legendum: eſt enim dativus, qui regitur a ſequenti verbo δοθῆναι. *Amiotus* ita accepit, quaſi vellet *Plutarchus* a Deo conceſſum eſſe hominibus ortum, ut ipſe ab iis cognoſcatur. Quæ interpretatio plane eſt aliena a mente *Plutarchi*. Et ex iis, quæ ſequuntur intelligi poteſt: ſtatim enim ſubdit *Plutarchus*, Ἔστι δὲ ἄδηλος καὶ σποράδην

φερό-

φερόμενος. Quæ etiam abſurde *Amiotus* de Deo accipit: cum de homine nondum genito intelligi debeant, vel potius de hominis principiis, quæ antequam homo gignatur, ſparſim aliis confuſa in univerſo feruntur; quo fit ut homo in illo ſtatu ſit ἄδηλος & ἄγνωστος: quia in rerum πανσπερμίᾳ ad minima redactus, aliorumque diſſimilium confuſione obſcurus & latens. Cum vero illa principia, ſive atomi, homœomeriæ, ſive particulæ elementorum, ab illa perplexitate atque disgregatione in unum colliguntur, tunc homo apparere incipit, & in evidentiam adducitur. Mox ſubjungit: Οὐ γὰρ εἰς οὐσίαν ὁδὸς ἡ γνῶσις, ὥς ἔνιοι λέγουσιν, ἀλλ' οὐσία εἰς γνῶσιν. ad verbum: *Non enim cognitio, via eſt ad eſſentiam, ut quidam dicunt: ſed eſſentia ad cognitionem.* Quis hoc intelligat? ſubeſt igitur mendum, nempe in voce γνῶσις. pro qua citra dubitationem, reſcribo, Γένεσις. οὐ γὰρ εἰς οὐσίαν, ὁδὸς ἡ γένεσις. ſenſus eſt: generatio non eſt via, ſive motus ad esſentiam, ſed ad cognitionem. Ratio evidens: non enim rerum eſsentiæ ipſæ cum prius non esſent, esſe incipiunt, & in ortum dantur, ſed prius ſubſiſtentes in ſuis cauſſis, in apertum proferuntur, hoc eſt: ex obſcuris evidentes & conſpicuæ redduntur. Hoc autem *Plutarchus* ita disſerit in ſententia veterum naturæ interpretum, qui nihil aliud generationem esſe ſtatuebant, præter quorundam inter ſe mixtionem: corruptionem nihil aliud, niſi mixtorum: ſeparationem. Ita enim *Empedocles* apud *Ariſtotelem* lib. 4. *Metaphyſ.* ſciſcit,

—— Φύσις οὐδενός ἐστιν,
Ἀλλὰ μόνον μίξις τε διάλλαξίς τε μιγέντων
Ἐστι, φύσις δ' ἐπὶ τοῖς δ' ὀνομάζεται ἀνθρώποισι.

Sed & *Hippocrates* in primo περὶ διαίτης, ſi ejus libri au-

ctor

ctor *Hippocrates* : Ὅτι δ᾽ ἂν διαλέγωμαι, τὸ γενέσθαι, καὶ τὸ ἀπολέσθαι τῶν πολλῶν ἔινεκεν ἑρμηνεύσω. ταῦτα δὲ καὶ ξυμμίσγεσθαι καὶ διακρίνεσθαι δηλῶ. & paulo poſt : γενέσθαι, ξυμμιγῆναι, τωὐτό. i. *Quid vero dicam, generari & perire; vulgi gratia interpretabor. Hæc autem commiſceri & diſcerni ajo ſignificare. Generari idem eſt, quod commiſceri.* Supra autem dixerat: Ἀπόλλυται μὲν γὰρ οὐδὲν ἁπάντων χρημάτων, οὐδὲ γίνεται, ὅ, τι μὴ καὶ πρόσθεν ἦν. ξυμμισγόμενα δὲ καὶ διακρινόμενα ἀλλοιοῦται; & mox: νομίζεται δὲ παρὰ τῶν ἀνθρώπων, τὸ μὲν ἐξ ᾅδου ἐς φῶς αὐξηθὲν γενέσθαι. i. *Exiſtimant homines illud quod ex orco* (hoc eſt e naturæ ſinu & latibulis) *in lucem auctum eſt, generari.* Hæc non potui, quin adſcriberem: utpote quibus & *Plutarchi* ſententia mirum in modum declaratur, & emendatio noſtra confirmatur.

CAPUT XXXI.

Platonis *locus ex* Phædone *explicatur.*

IN eo pulcherrimo *dialogo*, *Plato* Cebetem audita quapiam Socratis dubitatione, de quæſtione inter Philoſophos agitari ſolita, an liceat homini aliquando ſcipſum interficere, ſic interloquentem inducit: Καὶ ὁ Κέβης ἠρέμα ἐπιγελάσας, ἴττω Ζεὺς, ἔφη, τῇ αὑτοῦ φωνῇ εἰπών. quæ verba *Ficinus* ita reddit: *Tunc Cebes ſubridens: Ittio Juppiter, inquit, ſua ipſius lingua loquens.* Quod cur ita verterit, fateor me neſcire. Nam ſi Græcam dictionem ἴττω Latinis literis expreſſam exhibere volebat, *itto*, non *ittio*, ſcriptum oportuit. Præterea majuſculam lite-

literam I initio ponit, tanquam eſſet nomen proprium, unum ſcilicet e Jovis nominibus. Ex quo ſuſpicio ſane datur, hunc, quid ἴττω ibi ſignificet, ignoraſſe; multoque minus intellexiſſe, quo ſenſu ea locutio uſurpari ſoleret. Hoc igitur explicare haud abs re fuerit, ἴττω ζεὺς, locutio eſt ſignificans *Thebana* lingua, *ſciat Juppiter.* Nam ἴττω, Thebani dicebant, pro ἴστω, a verbo ἴσημι *ſcio.* Ita igitur & Cebetem, qui Thebanus erat, *Plato* inducit loquentem. Solebant autem ea locutione uti in iis,quæ admodum dubia, & difficilia ad explicandum viderentur: ut eo loco Cebes. Nam dixerat Socrates de Philolai ſententia, qua ille pronuntiabat, nemini licere ſeipſum interimere; mirum hoc videri poſse, ſi cum, ut ſunt res humanæ, quibusdam melius ſit mori quam vivere, non liceat his ſibimet prodesſe, hoc eſt mortem ſibi conſciſcere. hoc ergo addubitantem audiens Cebes, & rei difficultatem intelligens, tum objectionis acumine non indelectatus, ac ſubridens ſua lingua dicit: ἴττω Ζεὺς *ſciat Juppiter!* quaſi diceret, videri id tam incertum, quod proponit Socrates, ut hujus quid ſit verum, hominum nullus, invenire aut decernere poſſit: utpote quod ſoli Deo notum ſit. Quod hic ſit ſenſus hujus locutionis Thebanis uſitatæ, oſtendo alio loco *Platonis* in *epiſtola* 7. ad Dionis Propinquos, ubi de Dionyſii junioris Syracuſarum tyranni gloriatione, qui ſe jactabat de ſummis & primis naturæ veritatem comprehendisſe, tametſi de iis ſemel audiisſet: immo vero de tantis rebus ſcripſisſe: Εἰ μὲν οὖν (inquit) ἐκ τῆς μιᾶς συνουσίας τοῦτο γέγονε, τάχα ἂν εἴη γέγονε δ' οὖν ὅπως, ἴττω ζεὺς, φησὶν ὁ Θηβαῖος. ubi *Marſilius Ficinus* verba hæc; ἴττω ζεὺς, vertit: *proh Juppiter!* putans Thebanorum lingua, ἴττω, esſe interjectionem. Sic autem is locus Latine exprimi poteſt. *Verum ſi ex uno colloquio id factum eſt*; (ſupple: ſumma rerum principia ſi ita intelligentia eſt complexus, ut alios plane posſet docere) *fortaſſis id non ſit ne-*

gandum. Quomodo autem fieri potuerit, viderit Juppiter. Qui poſterior *Platonis* locus indicat & aliis Græcis fuisſe in ore hanc formulam: Eandem habemus apud *Ariſtophanem*, in fabula Α᾽χαρνῆς; ubi Thebanum inducit mercatorem ſic loquentem: ἴττω Ἡρακλῆς, pro ἴσω. Item poſt, Nicarcho Sycophantæ interroganti, cujus eæ merces eſſent, idem Boeotius mercator reſpondet,

Τῷ δ᾽ ἐμά,
Θείβαθεν, ἴττω ζεύς.

mea ſunt, Thebis advecta, norit Juppiter: quod ibi idem valet, ac: Deum teſtor.

Finis Libri III.

PETRI

PETRI PETITI,

PHILOSOPHI & MEDICI,

MISCELLANEARUM OBSERVATIONUM

LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

Ciceronis *&* Luciani *de variis Philoſophorum opinionibus cenſura expenditur. qualis in Philoſophia extiterit* M. Tullius? *De Romanorum illius ætatis ingenio & ſtudiis*, Cæſaris Scaligeri *&* Mureti *judicium.*

NOta ſunt τοῦ ἐν ἁγίοις *Auguſtini* verba de *Cicerone* in libris *confeſſionum* : *Perveneram in librum cujusdam Ciceronis, cujus linguam mirantur omnes, pectus non ita.* Quibus verbis patrum ille cordatiſſimus indicat, multis tum perſuaſum fuiſſe *M. Tullium* meliorem eſſe oratorem, quàm philoſophum. Credo etiam (quæ fuit ejus gravitas) ita etiam de ſe ipſum *Ciceronem* ſenſiſſe, ac præ ſe

tuliſſe, ut multis in aliarum diſciplinarum atque artium cognitione, nedum philoſophiæ, ſe inferiorem haberi, æquo animo pateretur, unam modo ſibi eloquentiæ laudem vindicaret. Noverat enim, non eſſe datum eidem homini in pluribus excellere. Quod hæc fuerit mens *Ciceronis*, indicant verba hæc in præfatione librorum de *Officiis*. Ibi filium ſic alloquitur; *Sed tamen noſtra legens, non multum a Peripateticis diſſidentia (quoniam utrique & Socratici & Peripatetici eſſe volumus) de rebus ipſis utere tuo judicio: nihil enim impedio. Orationem autem Latinam profecto legendis noſtris efficies pleniorem. nec vero hoc arroganter dictum exiſtimari velim. Nam philoſophandi ſcientiam concedens multis, quod eſt oratoris proprium, apte, diſtincte, ornateque dicere; quoniam in eo ſtudio ætatem conſumpſi, ſi id mihi aſſumo, videor id meo jure quodammodo vindicare.* Ita ibi de ſe præfatur *Tullius*, more *magnorum virorum & fiduciam magnarum rerum habentium. Nam levia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt.* Libet enim hæc *Cornelii Celſi* verba, quibus Hippocratis errorem ſuum de futuris capitis humani agnoſcentis generoſitatem laudat, hoc loco uſurpare. Quam enim *Cicero* hic philoſophiæ ſcientia aliis concedenda magnanimitatem oſtendit, eam in proprio errore agnoſcendo atque emendando, ſat ſcio, præſtitisſet, ſi aut ipſe eum errorem videre potuisſet, aut aliquem, qui ſibi demonſtraret, habuisſet. Quapropter non linguam modo *Ciceronis*, ut multi, ſed & pectus laudo, ac bonam mentem & ſapientiam omni laude cumulati, & nunquam ſatis laudati viri amplector ac veneror. Quod præfari viſum eſt, ne quis hanc diſputationem, quam in verbis ejus habiturus ſum, a me hoc conſilio ſuſceptam putet, ut quippiam ejus gloriæ vel in philoſophicis detraham. Quod tamen ſi facerem, in philoſophicis, inquam, virorum doctiſſimorum & ei amiciſſimorum exemplo tueri posſem, nempe *Julii Cæſaris Scaligeri*,

ri, qui paſſim in *Exercitationibus*, *Ciceronis* in philoſophia errores notat: *M. Anton. Mureti* in libris *Var. Lectionum*: *M. Antonii Majoragii*, cujus libri ſex *Antiparadoxon* exſtant, quibus ejusdem, in *Paradoxis* peccata in Philoſophiam & dialecticam libere ac ſine venia exagitat. Quod eos recto conſilio feciſſe arbitror, ne quis nimius *Ciceronis* amator verborum elegantia deceptus eoſdem errores auctoritate ejus tueatur. nihil enim nobis veritate carius aut antiquius eſſe debet. Et de his hactenus nunc propoſitum aggredior.

Exſtat ſententia hæc *Ciceronis* in præfatione libri primi de *Natura Deorum*, his verbis: *Res enim nulla eſt, de qua tantopere non ſolum indocti, ſed etiam docti diſſentiant. Quorum opiniones cum tam variæ ſint, tamque inter ſe diſſidentes, alterum fieri profecto poteſt, ut earum nulla: alterum certe non poteſt, ut plus una vera ſit.* In hoc igitur mihi eſt negotium, quod negat fieri poſſe, ut earum opinionum plus una vera ſit & tamen fieri poſſe omnino cenſet, atque affirmate pronuntiat, ut nulla earum vera ſit. Primum etenim palam eſt, iſtud *fieri poſſe*, aut *fieri non poſſe*, utrumque in eadem quæſtione & circa unam eandemque rem, de qua aliquid affirmatur aut negatur, ſpectandum eſſe. Alioqui de diverſis, diverſas eſſe opiniones ſimul veras nihil abſurdi eſt, puta ignem calidum eſſe & animam immortalem: Hoc poſito ſic conſidero: in logicis hæ propoſitiones idem valent, ſive ut loquuntur, *æquipollent*: *non poſſibile eſſe*; *impoſſibile eſſe*. tum huic, *impoſſibile eſt*, iſta, *neceſſe eſt non eſſe*. Quare & hæ æquivalent: fieri non poteſt, ut plus una opinione vera ſit; neceſſe eſt non eſſe duas opiniones veras; neceſſe eſt, unam tantum opinionem eſſe veram. Ex his ſic diſputo. cum palam ſit, neceſſe eſſe circa eandem rem, unam tantum opinionem eſſe veram, quod & ipſe *Tullius* fatetur, & per ſe manifeſtum eſt; hujus alia ratio afferri non poteſt, præter hanc, quia una alteram neceſſario excludit. Quare au-

tem excludit? profecto quia illi pugnat contradictorie: velut ens non enti, & non ens enti. quod genus oppoſitionis *Ariſtoteles* in lib. de *Interpretatione* ἀντίφασιν vocat: Latini *contradictionem*. Ceterum quæ ſic inter ſe pugnant, ſeque mutuo excludunt: horum ſi unum verum, neceſſe eſt alterum eſſe falſum, & viciſſim, ſi unum falſum, alterum eſſe verum. Non ergo fieri poteſt, quod *Cicero* ait, ut nulla earum opinionum vera ſit. Quippe ex iis, quas ubi recenſet, multas eſſe pugnantes ἀντιφατικῶς patet ex ipſius verbis: *Velut*, (inquit) *in hac quæſtione plerique* (*quod maxime veriſimile eſt*, *& quo omnes duce natura vehimur*) *Deos eſſe dixerunt*: *dubitare ſe Protagoras*: *nullos eſſe omnino Diagoras Melius & Theodorus Cyrenaicus putaverunt*. Ponamus igitur hanc eſſe falſam ut eſt, quæ nullos eſſe Deos dicit: qui fieri poteſt, ut non ſit vera illi oppoſita & pugnans: eſt aliquis Deus?

Nam quod *Cicero* iis, qui nullos eſſe Deos dicunt, opponit, eos qui Deos in plurali eſſe affirmant, hoc nihil in præſens refert: Nam ponimus eſſe falſam, ut eſt, quæ nullos eſſe Deos ſciſcit: quo poſito nemo non videt ſequi neceſſario, ut hæc quæ contradictorie oppoſita eſt, ſit vera: aliquis eſt Deus. ut enim *Ariſtoteles* probat in tertio *Metaphyſicorum*, contradictorie oppoſitorum, nihil medium eſt: Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ μεταξὺ ἀντιφάσεως ἐνδέχεται εἶναι οὐθέν. ἀλλ' ἀνάγκη, ἢ φάναι ἢ ἀποφάναι ἓν καθ' ἑνὸς ὁτιοῦν. Denique (ut quæ ibi ad hujus rei demonſtrationem affert philoſophus, omittam; neque enim præſentis inſtituti eſt hæc diſputatio) adeo menti omni ſe lex hæc contradicentium adjungit approbatque, ut qui in ea re ambigat, inſanus, & amens merito judicetur. Hoc enim negare nihil aliud eſt, quam vim deſtruere animi humani, & lumen rationis omne extinguere.

Sed & in iis quæ ſequuntur ſubeſt contradictio: *Quod vero maxime rem, cauſſamque continet*, *eſt*, *utrum nihil agant*, *nihil*

nihil moliantur, ab omni curatione & adminiſtratione rerum vacent: an contra ab his et a principio omnia facta, & conſtituta ſint, & ad infinitum tempus regantur, atque moveantur, in primiſque magna diſſenſio eſt. Et paulo poſt; *Sunt enim philoſophi, & fuerunt, qui omnino nullam habere cenſerent humanarum rerum procurationem Deos.* Hæc una eſt pars contradictionis: altera in his quæ infra ibidem ſequuntur: *Sunt autem alii philoſophi, & hi quidem magni & nobiles, qui Deorum mente, atque ratione omnem mundum adminiſtrari & regi cenſeant.* Manifeſta igitur apparet & in hac diviſione contradictio: Datur providentia: non datur providentia, ac proinde harum alterutram poſueris eſſe falſam, neceſſe eſt alteram ei oppoſitam eſſe veram. Falſum igitur, quod ait *Cicero* fieri poſſe, ut nulla earum opinionum ſit vera. Simili hallucinatione lapſus eſt philoſophorum hoſtis & inſectator *Lucianus* in *Hermotimo*, ſive de *Sectis*, & pariter arbitratus fieri poſſe, ut omnes philoſophi mentiantur. Demonſtrationem, qua ſibi effectum putavit, adſcribere placet: Ita enim melius Sophiſtæ iſtius, & perditi nebulonis vanitas patebit. Latine autem, ut vertit interpres, adſcribam: *Sit*, inquit, *nobis certus aliquis numerus ex compoſito conſtitutus, nempe viginti. Jam ſi quis viginti fabas in manum ſumeret, & ea clauſa decem quoſpiam homines interrogaret, quotnam fabas in manu ſua concluſas haberet: illi autem ducti conjectura, hic quidem ſeptem, ille triginta, alter vero decem aut quindecim, prorſuſque alius alium numerum divinaret: poſſibile enim eſt aliquem forte fortuna verum dicere; ſed & hoc poſſibile, ut omnes ex æquo alius alium numerum dicat, falſum tamen & a quo longe lateque abſit certus ille numerus, adeo ut nullus ex illis dicat virum in manu ſua habere viginti fabas.* Nos jam oſtendimus quaſdam eſſe philoſophorum opiniones ſine medio inter ſe pugnantes & prorſus contradictorias, quarum alterutram eſſe veram neceſſe eſt. Iſte oppido ſophiſtice & inſcite, ita arguit, ac ſi nulla in his omnino eſſe poſſet contradi-

ctio, ſicut nulla eſt contradictio inter diverſas numeri ſpecies, quas in exemplum ibi adducit. Sane in ea hypotheſi fateor fieri poſſe, ut nemo eorum qui interrogantur, numerum fabarum manu contentum, nempe viginti, divinet. At ſi idem ſic alios interrogaret, quem in manu numerum habeo, eſtne par, an impar? primus an compoſitus? ibi nemo non videt, neceſſe, quiſquis reſpondeat, aut veram aut falſam reſponſionem dare.

Nos vero non dicimus omnes philoſophorum opiniones, inter ſe comparatas, ſic ſe habere, ut ſit neceſſe aliquam ex his eſſe veram. Id enim iis tantum convenire cenſemus, quæ contradictorie opponuntur. Multæ autem ſic ſe habent, ut numeri ſpecies diverſæ. Tales arbitror veterum opiniones de ſummo hominis bono, quid ſit videlicet quod hominem beatum reddat: tum quæ hactenus propoſitæ ſunt de cauſſa, quæ facit ferrum moveri ad magnetem. Non ſolum enim fieri poteſt? ut harum nulla ſit vera; ſed plane ita eſſe certo ſcio. Ad eundem modum harum opinionum de hominis ſine ultimo & ſummo bono, quarum alia voluptatem corporis ejusmodi eſſe ſciſcit: alia indolentiam; alia opes; alia honores; alia virtutem; nullam eſſe veram certum eſt. Solus enim Deus homini cognitus, bonum ejus eſt ſummum & finis ultimus. At ſi ita quæratur, omnesne homines fieri beati expetant, an prorſus nemo felix eſſe velit; ubi quæcumque reſponſio exiſtat, aut falſam eſſe aut veram neceſſe eſt. Sicut duarum opinionum de anima humana, quarum una immortalem aſſerit, altera mortalem, neceſſe eſt alteram eſſe veram aut falſam; utraque ut ſit falſa, fieri non poteſt. Difficile eſſe fateor utra ſit vera, ita perſuadere ratione in hac caligine humana, ut nullus amplius ſit ambigendi locus: ſed tamen oportere alterutram eſſe veram non ambigitur. Ita namque cogit ἀντιφάσεως ἀξίωμα, *contradictionis lex & neceſſitas*: ut *Simplicius* in *comment.*

ad

ad primum *Natur. auſcultationis* loquitur. Cujus vis etiam apparet in omni legitima & adæquata diviſione. hujus etenim neceſse eſt aliquam partem eſse veram. Unde interdum diviſio adhibetur in ſcientiis ad aliquam declarationem ejus, quod aliunde manifeſtum eſt per ſe; aut aliunde compertum, ut apud *Ariſtotelem*, cum multis aliis locis, tum in quarto libro, citatæ tractationis; ubi hanc diviſionem inſtituit: Σχεδὸν γὰρ τέτταρά ἐστιν, ὧν ἀνάγκη τὸν τόπον ἕν τι εἶναι· ἢ γὰρ μορφὴ, ἢ ὕλη, ἢ διάστημά τι τὸ μεταξὺ τῶν ἐσχάτων, ἢ τὰ ἔσχατα, &c. i. *Quatuor enim fere ſunt, quorum neceſſe eſt unum aliquod eſſe locum: aut enim forma eſt, aut materia, aut ſpatium aliquod medium inter extrema* &c. Ex qua quidem diviſione, quam ad propoſitum ſufficientem & adæquatam cenſet, quid horum ſit locus, ceterorum omnium remotione declarat. Hujusmodi ſyllogiſmum ἐκ πλειόνων διαιρετικὸν dixere, *Simplicio* teſte in *commentario* ad hunc locum: Ὅτι δὲ τοῦτο ἐστιν, (ſupple τὸ πέρας τοῦ περιέχοντος &c.) ἐφεξῆς καὶ ἐκ διαιρέσεως πειρᾶται δεικνύναι, καὶ χρῆται τῷ ἐκ πλειόνων λεγομένῳ διαιρετικῷ ὄντι τοιούτῳ. ἤτοι τὸ α΄. ἢ τὸ β΄. ἢ τὸ γ΄. ἢ τὸ δ΄. &c. Non enim diviſio ex ſe probat, quod ignotum eſt, ut neque inductio, ſed quod aliunde notum eſt, aut per ſe manifeſtum, id exhibet & quaſi oculis uſurpandum manibusque palpandum ſubjicit. Eſt enim per ſe notum, duarum contradictionis partium oportere alterutram eſse veram. Hanc igitur neceſſitatem oſtendit diviſio, ut in hoc ſyllogiſmo disjunctivo: quo *Ariſtoteles* utitur, initio capitis 2. lib. 1. *Phyſic. Neceſſe eſt aut unum eſſe principium, aut plura: ſed non eſt unum: ergo plura.* Quæ eadem neceſſitas apparet in his disjunctivis; neceſse eſt, aut omnino nullum eſse Deum; aut eſse aliquem Deum, qui ſit cauſſa & principium omnium rerum. Item: neceſse eſt unum eſse Deum, aut plures: Deum conſulere rebus humauis: aut nullam eſse providentiam. Atque hac diſputatio-

tatione ſic *M. Tullium* erroris in propoſita ſententia convictum conſtrictumque tenemus, ut non ſit defenſioni aut provocationi locus. Non tamen continuo auſim cum *Scaligero* ob aliqua ejusmodi peccata pronuntiare univerſum Romanum forum philoſophiæ eſſe ignarum. viderit ipſe. & *Muretus* qui lib. 6. *Var. Lect.* cap. 1. non abſimili cenſura omnes veteris reipublicæ Romanæ proceres, tanquam ſexagenarios de ponte dejicit: *Beati autem illi* (inquit) *& opulenti, & omnium gentium victores Romani, in petendis honoribus, & in prenſandis civibus, & in exteris nationibus verbo componendis, re compilandis occupati, philoſophandi curam ſervis aut libertis ſuis & Græculis eſurientibus relinquebant. Ipſi quod ab avaritia, quod ab ambitione, quod a voluptatibus reliquum erat temporis, ejus ſi partem aliquam aut ad audiendum Græcum quempiam philoſophum, aut ad aliquem de philoſophia libellum vel legendum vel ſcribendum contuliſſent, jam ſe ad eruditionis culmen perveniſſe, jam victam a ſe & profligatam jacere Græciam ſomniabant.* Tametſi & *Maro* ſapiens vates, Quiritibus ſuis, ceterarum omnium diſciplinarum atque artium gloriam abjudicare videtur, unam relinquere politicæ laudem, ac dominandi faſtum, his ſcilicet verſibus:

Excudent alii ſpirantia mollius æra,
Credo equidem, & vivos ducent de marmore vultus:
Orabunt cauſſas melius, cœlique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent.
Tu regere imperio populos Romane memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem,
Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.

Verum hæc non tantum in me valent, ut non ſemper *M. Tullium* in philoſophorum illuſtrium numero habendum cenſeam; tametſi ad *Platonis* & *Ariſtotelis*, eorumque, qui preſſius eorum imperatorum veſtigia ſecuti ſunt, & ei ſoli curæ incubuerunt, ſummam haud quaquam adſpirat.

ſpirat. Verum homini Romanum morem ambiendis & gerendis honoribus ſequenti, publicisque negotiis aſſidue occupato, non levis gloria eſt, ad eam philoſophiæ peritiam, quam in libris ejus videmus, proceſſiſſe: tot & tantas philoſophorum quæſtiones, & mente conſequi & oratione explicare potuiſſe. In quibusdam lapſus eſt, fateor: & quis non? At in multis egregium præſtat philoſophum. Maxime, ubi ſtultas vulgi de Diis opiniones, in divinis illis de *Natura Deorum* libris explodit: Epicureos de principiis rerum & hominis bono delirantes caſtigat: Stoicos fatali neceſſitati cuncta alligantes in ordinem cogit. Quibus diſceptationibus optime de philoſophia meritum eſſe nemo non fateatur.

CAPUT II.

Alius Ciceronis *locus, de ſapientum otio, & vulgi vita occupata accuratius conſideratur.*

Libet alium ejusdem locum proponere atque expendere, in quo nec Muſas ſatis propitias habuiſſe videri poteſt. Cum ſcilicet in primo de *Officiis* libro, comparans officia, quæ ex hominum communitate ducuntur, cum iis quæ ex cognitione, haud obſcure actionem, ſecretis ſtudiorum præfert. *Cum* (inquit) *omnis honeſtas manet a partibus quatuor, quarum una ſit cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis: hæc in diligendo officio ſæpe inter ſe comparentur, neceſſe eſt. Placet igitur aptiora eſſe naturæ, ea officia, quæ ex communitate, quam ea quæ ex cognitione ducantur.* Item paulo infra: *Quibus rebus intelligitur, ſtudiis officiisque ſcientiæ præponenda*

ponenda eſſe officia juſtitiæ, quæ pertinent ad hominum utilitatem, qua nihil homini debet eſſe antiquius. Rurſus: *ita fit, ut vincat cognitionis ſtudium, conſociatio hominum atque communitas.* In fine diſputationis hunc epilogum ſive concluſionem ponit: *Ergo omne officium, quod ad conjunctionem hominum, & ad ſocietatem tuendam valet, anteponendum eſt illi officio, quod cognitione & ſcientia continetur.* Hæc de opinione & judicio *Ciceronis.*

Nunc rationes, quibus id ſe effeciſſe putavit, quantum potero breviter & dilucide exponam, prima quidem eſt ejuſmodi: ſi quis omnium, quæ ad victum cultumque corporis, attinent, copia affluat; omnia quæ corpori nocere posſunt, procul habeat, proſpera & conſtanti valetudine utatur, in ſumma denique corporis & animi tranquillitate conſtituatur, ita, ut omni hominum commercio & conſuetudine careat, non eam vitam putet vitalem; & malit mori, quam in tali ſolitudine ætatem vivere. Alteram rationem ducit a natura ſapientiæ, quam Græci σοφίαν vocant, & a prudentia diſtunguunt. Hæc vero cum definiatur rerum divinarum, atque humanarum ſcientia, Deorum & hominum inter ſe ſocietatem atque communitatem contineat, neceſſe eſt. Porro hæc eadem ſapientia, omnium maxima virtutum cenſetur: ergo & quod ab ea communitate hominum & Deorum officium ducitur, id maximum eſt.

Tertia ratio ab ipſius contemplationis natura ducitur, quam eſſe mancam ait quodammodo, & inchoatam, ſi nulla actio rerum conſequatur. tum ſic interrogat: *Quis eſt tam cupidus in perſpicienda, cognoſcendaque rerum natura, ut, ſi ei tractanti contemplantique res cognitione digniſſimas, ſubito ſit allatum periculum, diſcrimenque patriæ, cui ſubvenire opitularique poſſit, non illa omnia relinquat, atque abjiciat, etiamſi dinumerare ſe ſtellas, aut metiri mundi magnitudinem poſſe arbitretur?*

Quarta

Quarta & poſtrema ratio eſt a judicio & conſuetudine ſapientum, qui ſecreta ſtudiorum & ſolum veritatis inveſtigationem atque contemplationem profeſſi, non tamen omnino ab augendis hominum utilitatibus & commodis receſſerunt. Immo ita ſe compararunt, ut prodeſſe poſſent, partim erudiendo alios voce, ut Thebanum Epaminondam Lyſis Pythagoreus, Syracuſium Dionem Plato; Periclem Anaxagoras: Alcibiadem Socrates, tum alii alios; partim monumentis literarum de moribus, de legibus, ac regendarum civitatum ſcientia editis. Ex quibus & hoc conſequens & tanquam corollarium elicit, *Melius eſſe eloqui copioſe, modo prudenter; quam vel acutiſſime ſine eloquentia cogitare. Quod cogitatio in ſe ipſa vertitur, eloquentia vero complectitur eos, quibuſcum communitate juncti ſumus.*

Hactenus *Tullii* ſententiam de duplici genere vitæ, & argumenta, quibus civile & negotioſum philoſophico anteponit, expoſui, conſequens eſt, ut alia, quæ me deterrent, quo minus ei opinioni ſubſcribam, explicare pergam. Primum igitur moveor auctoritate ſummorum philoſophorum, quos aliter ſentire & decernere video: ſcilicet hominis finem & ſummam perfectionem in rerum optimarum cognitione eſſe ſitum. Non ſunt autem optima, quæ in civili adminiſtratione verſantur, ſed ad optima ducunt, nempe adminicula & opportunitates extrinſecus ſubminiſtrando, quibus homines per politicas virtutes, juſtitiæ & temperantiæ cultum, ad verum humanæ naturæ bonum perveniant. Alioqui homo quid optimum eſſet in univerſo. At multa eſſe conſtat ſupra hominem: nempe Deum & Deo propriora. Aliorum omnium quæ ſunt infra, ut ſi optimum; non tamen ſecundum hæc ſocietatis officia, quæ tumultu ac perturbatione plena eſſe videmus; ſed qua ad diviniora contemplatione aſſurgit: quod proprium philoſophorum. Quamobrem ſola hæc

opera-

operatio nos Deo conjungit, ceteræ omnes ab eo ſegregant: digna proinde, quæ aliarum omnium ſcopus & finis habeatur. Denique quanto divina humanis excellunt, tanto mens & contemplatio veritatis ceteris vitæ officiis & muneribus præſtant. Poſſem multa in hanc ſententiam *Platonis* & aliorum loca proferre; ſed brevitatis cauſſa unius *Ariſtotelis* omnium principis teſtimonio contentus ero. Hæc ſunt ejus verba in 6. *Moral. ad Nicom.* Ἄτοπον γὰρ, εἴτις τὴν ἐπιστήμην πολιτικὴν, ἢ τὴν φρόνησιν σπουδαιοτάτην οἴεται εἶναι, εἰ μὴ τὸ ἄριστον τῶν ἐν τῷ κόσμῳ ἄνθρωπός ἐστιν. i. *Abſurdum enim eſt, ſi quis ſcientiam civilem, aut prudentiam honeſtiſſimam eſſe exiſtimat: niſi quis optimum omnium quæ in mundo ſunt, hominem dicat.* Hanc vero exceptionem idem paulo poſt removet: Εἰ δ᾽ ὅτι βέλτιστον ἄνθρωπος τῶν ἄλλων ζώων, οὐδὲν διαφέρει· καὶ γὰρ ἀνθρώπου ἄλλα πολὺ θειότερα τὴν φύσιν εἶναι (φανερὸν) τὰ φανερώτατά γε, ἐξ ὧν ὁ κόσμος συνέστηκεν &c. i. *Quod ſi hominem ceterorum animalium optimum eſſe dixerint, id nihil refert: quandoquidem homine alia natura ſunt longe diviniora, ut ea, quæ ſunt manifeſtiſſima, ex quibus mundus conſtitutus eſt.* Qui igitur uni ſapientiæ vacat & contemplationi divinorum, is ſi dignitatem operationis ſpectamus, & vitæ modum, judice *Ariſtotele*, ſupra eos eſt, qui humana tantum curant; ad civitates moderandas, atque tuendas curam omnem ſtudiumque convertunt; iis denique muneribus obeundis omnem ætatem conterunt.

Hæc autem a *Platone* pridem tractata & profligata quæſtio eſt, cum multis locis, tum divinitus in *Gorgia*, ſive de *Rhetorica*, contra iſtos civilis potentiæ admiratores. Sed & in *Apologia*, in *Phædro*: ubi numine afflatus de philoſophi ſtudio & occupatione hunc in modum vaticinatur; Διὸ δὴ δικαίως μόνη πτεροῦται ἡ τοῦ φιλοσόφου διάνοια. πρὸς γὰρ ἐκείνοις ἀεί ἐστι μνήμῃ κατὰ δύναμιν, πρὸς οἷσπερ ὁ θεὸς ὢν, θεῖός ἐστι. Τοῖς δὲ δὴ τοιούτοις ἀνὴρ ὑπομνήμασιν ὀρ-

θῶς

θῶς χρώμενος, τελέους ἀεὶ τελετὰς τελούμενος, τέλεος ὄντως μόνος γίγνεται. ἐξιστάμενος δὲ τῶν ἀνθρωπίνων σπουδασμάτων, καὶ πρὸς τῷ θείῳ γιγνόμενος, νουθετεῖται μὲν ὑπὸ τῶν πολλῶν, ὡς παρακινῶν, ἐνθουσιάζων δὲ λέληθε τοὺς πολλούς. i. *Quapropter ſola philoſophi cogitatio merito recuperat alas. Nam illis ſemper, quantum fieri poteſt, memoria inhæret, quibus Deus inhærens, divinus eſt. Talibus autem commentationibus qui recte utitur, perfectiſque ſemper myſteriis imbuitur, perfectus re vera ſolus evadit. Ab humanis autem ſtudiis ſegregatus, divinoque inhærens, carpitur a multitudine, quaſi delirans & parum mentis compos, ſed ipſum Deo plenum eſſe populum latet.* Qui ergo ab humanis ſe negotiis ſapientiæ more ſequeſtrat, ut ei tantum vacet; non modo non δημαγωγοῖς ullis dignitate cedit, ſed etiam longe iis vitæ gradu & conditione excellit: ac ſi verum fateri volumus, tanquam Deus quidam inter homines verſatur. Sed jam rationes illas *M. Tullii*, quibus negotioſam vitam, philoſophico otio potiorem contendit, preſſius conſiderare operæ pretium eſt.

Ad primum fateor neminem, quantumvis ſapientem & rerum omnium affluentem copiis, ſic in ſolitudine vivere poſſe, ut hominem nunquam videat: fateor: inquam, ſed non ea cauſſa eſt, quam ponit *Cicero*, quia melior ſit ſocietas, eaque officia quæ ad ſocietatem pertinent, contemplatione; ſed quia humana imbecillitas non patitur quenquam uni ſemper officio & operationi eſſe intentum. Ita *Ariſtoteles* lib. 9. *Moral. ad Nicom.* cap. 9. hanc impatientiam puræ & perpetuæ ſolitudinis explicat: Μονώτῃ μὲν οὖν χαλεπὸς ὁ βίος· οὐ ῥάδιον γὰρ καθ᾽ αὑτὸν ἐνεργεῖν συνεχῶς· μεθ᾽ ἑτέρων δὲ καὶ πρὸς ἄλλους ῥᾶον. i. *Homini ſolitario difficilis vita eſt: quippe operari per ſe aſſidue haud facile: cum aliis vero & ad alios facilius.* Et lib. 10. *Mor. ad Nicom.* cap. 4. Οὐδεὶς συνεχῶς ἥδεται, ἢ κάμνει· πάντα γὰρ τὰ ἀνθρώπεια ἀδυνατεῖ συνεχῶς ἐνεργεῖν. Unde porro hæc ſit diffi-

difficultas, idem declarat in primo *Rhetoricæ* his verbis: Μεταβολὴ πάντων γλυκὺ· τὸ γὰρ αὐτὸ ἀεὶ, ὑπερβολὴν ποιεῖ τῆς καθεςώσης ἕξεως. *Mutatio omnium jucunda eſt: idem enim ſemper, facit exſuperantiam conſtituti habitus.* Quod ſic intelligo: operatio perficit naturam, unaquæque ſecundum habitum quendam illi proprium, & in certo genere: qua perfectione inducta atque habitu completo, operatio ex jucunda fit moleſta, quia ſuperflua naturæ in eo genere, utpote jam ſecundum eum habitum completæ & ſatiatæ. ſed aliam operationem quærit, per quam in alio genere perficiatur. Hujus cauſſam rurſus dat divinus vir in 6. *Eudemiorum* capite ult. quem & locum adſcribere placet: Ο'υκ ἀεὶ δ' ἐθὲν ἡδὺ τὸ αὐτὸ, διὰ τὸ μὴ ἁπλῆν εἶναι ἡμῶν τὴν φύσιν, ἀλλ' ἐνεῖναί τι καὶ ἕτερον, καθὸ φθαρτή· ὥςε ἄν τι θάτερον πράττῃ, τοῦτο τῇ ἑτέρᾳ φύσει παρὰ φύσιν· ὅταν δ' ἰσάζῃ, οὔτε λυπηρὸν δοκεῖ, οὔτ' ἡδὺ τὸ πραττόμενον. ἐπεὶ εἰ τοῦ ἡ φύσις ἁπλῆ εἴη, ἀεὶ ἡ αὐτὴ πρᾶξις ἡδίςη ἔςαι. διὸ ὁ θεὸς ἀεὶ μίαν καὶ ἁπλῆν χαίρει ἡδονήν. i. *Jam vero nihil idem nobis ſemper eſt jucundum, quia ſimplex non eſt noſtra natura: Sed ineſt in ea etiam aliquid alterum ac diſpar, ex quo intereat, neceſſe eſt. Itaque ſi quid agat altera pars, hoc alteri natura, præter naturam eſt. Cum vero exæquatæ ſunt ambæ partes, neque moleſtum quod agitur, neque jucundum videtur. Nam ſi cujus natura ſimplex ſit, eadem actio ſemper erit jucundiſſima. Itaque ſemper una & ſimplici Deus voluptate potitur.* Hæc igitur loca philoſophorum principis aut non viderat *M. Tullius*, aut tunc non in memoria habebat, aut certe diſſimulavit, quod ſuam cauſſam ageret. Eſt autem in eo argumento paralogiſmus a non cauſſa tanquam causſa. Quod enim nemo ſolus ſemper eſſe poteſt, licet ſapientiſſimus, nullaque re necesſaria indigens: ſed alios homines requirit, hoc non inde fit, quia ſocietatis officia ſint meliora & præſtantiora, quam contemplationis, ut ponit *Cicero* ſed ob causſam modo explicatam, puta naturæ noſtræ infirmitatem.

Ad

Ad alterum argumentum,quod a ſapientiæ finitione ducitur,nego, ſi ſapientia ſit maxima virtutum: ſequi id officium eſſe maximum,quod a communitate ducatur. *Quia*, inquit, *in rerum divinarum & humanarum ſcientia continetur Deorum & hominum communitas, & ſocietas inter ipſos.* Quid tum? An quia in ordine & contemplatione univerſi, hominum ſocietatis fontes, ac civitatum regendarum principia videt ſapiens, eaque eſt cognitio maxima: ideo maximum regere civitates & populi negotia tractare? Et hujuſmodi adminiſtratio ejus ſcientiæ & contemplationis fructus & opus præcipuum finiſque ultimus dicetur? certe non ſequitur. non enim princeps hæc ſcientia & maxime divina per ſe ad hæc humana refertur, ſed contra ad ipſam reliquæ artes, diſciplinæ, inventa, humana denique omnia tanquam ad finem referuntur. Finis autem ſapientiæ & fructus uberrimus, contemplatio ipſa & poſſeſſio veritatis: quo nihil beatius, nihil divinius neque apud Deum; neque apud homines eſſe poteſt. Cum ergo cujuſque ſcientia & officii dignitas commendatioque a fine ducatur: ab una rerum contemplatione, ſapientiæ dignitatem eſſe repetendam liquet. Ex quo efficitur, quicquid extra eam eſt contemplationem, nempe omne illud officium, quod ab hominum ſocietate ducitur, multum infra ſapientiæ faſtigium ſubſiſtere, neque ad ejus ſplendorem & excellentiam ullo modo aſpirare.

Urget *Cicero*, eſtque tertium ejus argumentum, cognitionem contemplationemque naturæ eſſe mancam quodammodo, atque inchoatam ſine actione & negotio publico: ſed fruſtra. Quod enim hujus tanquam indicium adducit, parum ad rem pertinet, quia hoc quid valeat, non intelligit. Nemo eſt tam cupidus perſpiciendæ rerum naturæ, qui non in diſcrimine patriæ, cui ſubvenire poſſit, illa omnia abjiciat. fateor. Sed non fit, quia melior actio, & cognitioni anteponenda, ut putat; ſed

quia nulla cuiquam, niſi ſalva republica, cum ſtudiis ratio, aut contemplatio eſſe poteſt. Non modo igitur in patriæ periculo ſapiens, ſed & litis conteſtandæ cauſſa; & pecuniæ, qua opus habet, recipiendæ, & corporis curandi, relinquet muſæum. Ex quo nihil aliud ſequitur, niſi quædam officia magis eſſe homini neceſſaria, quam ſit contemplatio veri & naturæ cognitio: non autem quod ſimpliciter meliora, & digniora cenſeri debeant. Non enim quod magis neceſſarium, id etiam dignitate antiſtat: immo contra uſuvenit, ut maxime neceſſariis minus honoris habeatur. Poſtremum argumentum eſt ab inſtituto & conſuetudine ſapientum, qui voce aut ſcriptis, quam indepti erant, ſcientiam, ac ſua inventa in diſciplinis ad alios manare voluerunt, ac ſuam cognitionem ad publicam utilitatem contulerunt. Sed non videt *Cicero*, quod aliis erudiendis ſapientes ſe accommodant, eadem ratione fieri, qua locupletes facile non habentibus aliquid de opibus ſuis impertiunt: non quia hunc finem in divitiis cumulandis habuerunt, aut ea cauſſa poſſident, ut aliis largiantur (nam ſibi primum ad vitæ uſus & commoditates eas expetunt), ſed quia magnis opibus id conſequens, ut qui abundat, de eo quod ipſi abundat, partem egentibus libenter impertiat, ob hoc ipſum, quia bonus eſt, & ex pura benignitate. Sic in dogmate Peripateticorum, ſeparatæ mentes ſive intelligentiæ movent cœleſtia corpora, non quia tali munere aut motu egent, aut ipſarum in tali officio perfectio & felicitas conſiſtat, ſed quia eſt quid earum contemplationi, & excellenti bonitati conſequens.

Non minus falſum eſt, quod inde ceu corollarii vice elicit, melius eſſe copioſe eloqui, modo prudenter, quam vel acutiſſime ſine eloquentia cogitare, ſi res in ſe ſpectetur. Quod enim ait acutiſſime cogitare, de eo potiſſimum intelligi debet, qui altiſſima ſcientiarum & vul-

go

go inacceſſa ſcrutatur & cogitat. In his enim contemplandis maxime ingenii vigor & acumen apparet. Prudenter autem cogitare de eo, qui probabilia quidem, ſed vulgi captum non excedentia copioſe oratorum more in foro aut curia disſerit. Nec dubium quin hæc ſit mens *Ciceronis*: dum ſecreta ſapientis ſtudia & cogitationes, cum hominis in republica occupati ſolicitudine & negotio comparat. Quorum unum ad ſapientiæ profeſſionem; alterum ad vitam civilem attinet. Si igitur, ut dixi, res in ſe ſpectatur, ut par eſt veritatem quærenti, nihil vanius hoc *Ciceronis* judicio reperietur. Ecquis enim adeo cœcus ambitione & amens, ut non videat longe eſſe melius ſimpliciter, rectas de Deo & providentia opiniones habere, immo vero & naturæ vim atque opera, ordinemque univerſi & cauſſas contemplari; pro ea facultate, quæ homini data eſt, quæ in iis videt, quocunque ſermone explicare: quam de alicujus civitatis adminiſtratione, de vectigalibus, de annona, de militia, & judiciis de bello & pace prudenter & eloquenter apud populum dicere? tametſi iſtud altero multo eſſe reipublicæ utilius, non dubitatur? valde, inquam, cœcum ambitione eſſe oportet, qui humana iſta & caduca divinis & æternis, in ſtudiis præferat. Patet autem vitium ſubeſſe ei orationi, cum melius dicit copioſe eloqui, modo prudenter, quam acutiſſime ſine eloquentia diſputare. Si enim melius intelligit, quod eſt multitudini magis accommodatum, concedi poteſt: Si quod in ſe eſt præſtantius & pulchrius, hoc ſenſu plane falſum cenſemus. Velut quod ibidem addit, eloquentiam ſolitaria & tacita cogitatione eſſe meliorem, quod cogitatio in ſe vertitur; eloquentia alios quibus conjuncti ſumus, complectitur. Immo id maxime divinum ineſt cogitationi, quod vertitur in ſe & conſiſtit; hoc certum nobilitatis ejus argumentum, quod alia non reſpicit: quippe in quo ipſamet hominis perfectio, ſuprem-

mumque bonum ab alio omni abſolutum conſiſtit. Sola igitur ſimplici & tacita contemplatione accedunt homines ad Deum, & beati efficiuntur, non eloquentia, quam nemo unquam propter ſe expetivit; ſed propter aliud melius eloquentia. Nimis profecto hic orator eſt *Marcus Tullius*, & magis quid populo eſſet plauſibile, quam quid vero magis conſentaneum curavit.

Sed cum propoſuiſſet diſputare de *Officiis*, putavit ad rem pertinere, ſi omnia humana ad ſocietatem vitamque in communi degendam referret: vel etiam cauſſam ſuam agebat, qui ſe totum eloquentiæ, & negotio publico dederat. fuit quidem libertatis & reipublicæ amans, ſed ambitioſiſſimus, ideoque, ut alii omnes oratores, populi mancipium, in vulgi opinione & honoribus, hominis bonum conſtituens. Multa de *Officiis* præclare ab eo ſcripta ſunt: nullum tamen tam ſanctum officium eſſe conſtat, cui non ambitionis cauſſa deeſſe poſſet: nullum vinculum, quod non abrumperet, ſi aliquod inde ſibi ad honores tendenti obſtaculum aut moram objectum iri arbitraretur, ut cuivis conjectare licet, ex iis quæ de Cæcilio ſcribit in prima *epiſtolarum ad Atticum*: quo loco in excuſationem læſæ amicitiæ, verba hæc affert *Euripidis*; θεῖον γὰρ ἀγαθὸν ἡ τιμή, quibus *honor bonum divinum* eſſe dicitur, et quidvis ea cauſſa molienti ignoſcendum cenſet. Plane idem ſentiens, quod *Cæſar* aliis ejusdem poëtæ verſibus, quos Latine a ſe converſos in ore habebat: *Nam ſi violandum eſt* &c.

Verumtamen ut fuit doctus & excellenti ingenio præditus, ea interdum loquitur, ex quibus potius diſſimulasſe in tempore veritatem, quam ignorasſe intelligatur. Quippe earum diſputationum, quas *de finibus* inſcripſit, lib. 5. univerſam illam regendarum civitatum prudentiam & affines illi virtutes aperte a ſapientum ſtudiis & conſideratione diſtinguit, atque infra conſtituit his verbis: *Actionum autem genera plura, ut obſcurentur etiam minora,*

majo-

majoribus. Maxime autem ſunt primum, ut mihi quidem videtur, & iis quorum nunc in ratione verſamur, conſideratio, cognitioque rerum cœleſtium, & earum, quas a natura occultatas & latentes indagare ratio poteſt: deinde Rerump. adminiſtratio aut adminiſtrandi ſciendique prudens, temperata, fortis, & juſta ratio, reliquaque virtutes & actiones virtutibus congruentes. Sed in primis, quæ *ad Atticum* ſingularem amicum in epiſtola 24. libri 2. ſcribit, meliora hunc vidiſſe iis, quæ ſectatus eſſet, ac popularium ſuorum exemplo, & conſuetudinis torrente abreptum fuiſſe oſtendunt: ubi poſtquam nonnulla de hominum judiciis, & famæ apud poſteros cura, tum iis quæ Romæ agerentur dixit: hæc ex adytis cordis profert: *Sed quid ego hac, qua cupio deponere, & toto animo, atque omni cura* φιλοσοφεῖν? *Sic, inquam, in animo. Sic vellem ab initio. Nunc vero quoniam, qua putavi eſſe praclara, expertus ſum quam eſſent inania, cum omnibus Muſis rationem habere cogito.* Ejusdem ſtomachi hæc, in alia *ad* eundem *Atticum* epiſtola libro quarto: *Ego hic paſcor bibliotheca Fauſti: fortaſſe tu putabas his rebus Puteolanis & Lucrinenſibus* (nempe oſtris & aliis piſcibus) *ne hac quidem deſunt. Sed mehercule, ut a ceteris oblectationibus deſeror & voluptatibus propter Remp. ſic literis ſuſtentor & recreor: maloque in illa tua ſedecula, quam habes ſub imagine Ariſtotelis, ſedere, quam in iſtorum ſella curuli.* Quæ & alia magni illius viri in eandem ſententiam, tam ab ejus juſtituto & genere vivendi abhorrentia, cum conſidero, *teſtimonium veritatis ubique occupantis principatum*, ut *Tertullianus* ait, *de Praſcript. adverſus Hæretic.* agnoſco libens. tanta eſt enim ejus vis & poteſtas, ut homines vel invitos interdum ad ſui confeſſionem adigat. Quod cum alii graves auctores, tum *Polybius* lib. 13. acute perſpexit, & memorabili hac ſententia expreſſit, quam ut mire his conſentaneam, ſubjungere viſum eſt: Καί μοι δοκεῖ μεγίστην θεὸν τοῖς ἀνθρώποις ἡ φύσις ἀποδεῖξαι τὴν ἀλή-

θειαν, καὶ μεγίστην αὐτῇ προσθεῖναι δύναμιν. πάντων γοῦν αὐτὴν καταγωνιζομένων, ἐνίοτε καὶ πασῶν τῶν πιθανοτήτων μετὰ τοῦ ψεύδους ταττομένων, οὐκ οἶδ᾽ ὅπως αὐτὴ δι᾽ αὐτῆς εἰς τὰς ψυχὰς εἰσδύεται τῶν ἀνθρώπων. καὶ ποτὲ μὲν παραχρῆμα δείκνυσι τὴν αὐτῆς δύναμιν, ποτὲ δὲ πολὺν χρόνον ἐπισκοτισθεῖσα, τέλος αὐτὴ δι᾽ αὐτῆς ἐπικρατεῖ καὶ καταγωνίζεται τὸ ψεῦδος. hoc eſt, *Equidem exiſtimo naturam mortalibus veritatem conſtituiſſe Deam maximam, maximamque illi vim attribuiſſe. Nam hac cum ab omnibus oppugnetur, atque adeo omnes nonnunquam veriſimiles conjecturæ a mendacio ſtent; ipſa per ſe neſcio quomodo in animos hominum ſe inſinuat; & modo repente illam ſuam vim exſerit; modo tenebris obtecta longo tempore, ad extremum ſuapte vi ipſa vincit, obtinetque, & de mendacio triumphat.*

CAPUT III.

Alius Ciceronis *locus*, *de* Catonis morte ſpontanea *ex eodem libro primo* Officiorum. *quid ſit* gravitas *de hominis ingenio uſurpata?*

Sed & quæ idem diſputat de conſilio, quod Cato Uticæ cepit abrumpendæ vitæ, & ad exitum invitis omnibus perduxit, in eodem libro de *Officiis*, quam popularem ſecutus ſit philoſophandi modum, perſpicue demonſtrant. Notus eſt in hac parte veterum furor, ſi quid iis accidiſſet gravius, quam ferendum videretur, ut juſtas ſe habere e vita excedendi cauſſas putarent. Nam hoc inter præcipua virtutis ſpecimina ponebant, ſi ſe manu ipſi in libertatem aſſererent. Quod εὔλογον ἐξαγωγὴν vocabant, de qua re libellus exſtat inter *Plotini Enneadas*.

In

In primis Romani tale facinus honeſtum, & generoſi animi argumentum cenſebant: unde apud *Horatium* Catonis *nobile letum*. Multa & *Seneca*, *Lucanus*, *Valerius*, *Plinius junior*, *Tacitus* in eandem ſententiam habent. Hanc igitur & *Cicero* opinionem vulgi ſecutus ſic Catonis factum defendit: *Atque hæc differentia naturarum tantam habet vim, ut nonnunquam ſibi ipſi alius conſciſcere debeat, alius in eadem cauſſa non debeat. Num enim alia in cauſſa M. Cato fuit, alia ceteri, qui ſe in Africa Cæſari tradiderunt? Atque ceteris forſitan vitio datum eſſet, ſi ſe interemiſſent, propterea quod eorum vita levior & mores fuerant faciliores: Catoni autem cum incredibilem tribuiſſet natura gravitatem, eamque ipſe perpetua conſtantia roboraſſet, ſemperque in propoſito, ſuſceptoque conſilio permanſiſſet, moriendum potius, quam tyranni vultus adſpiciendus fuit.* Hoc igitur eſt quod nunc conſiderandum cenſemus, num ſcilicet gravitas morem eum in humanis actionibus differentiam conſtituat, ut quod uni nefas eſt, id alii in eadem cauſſa, ob hanc naturæ & morum gravitatem facere liceat.

Principio quid *gravitatis* nomine intelligi debeat, noſſe convenit, non modo ſuſceptæ diſputationis cauſſa, ſed & eruditionis, ne nos vocabuli, quod in bonorum auctorum, qui puriſſime Latine locuti ſunt, monumentis frequenter occurrit, ſignificatio lateat. ut etiam intelligatur, quid iidem auctores velint, cum maxime propriam Romanæ genti gravitatem aſſerunt. Ut cum *Cicero* ipſe ſic de populo Romano in *orat.* pro *Sextio* loquitur: *Primum in ea civitate nati, unde orta mihi gravitas & magnitudo animi videtur.* Item *Plinius* lib. 23. cap. 1. ubi vinorum genera diſtinguit *Nos* (inquit) *in iſta Romana gravitate, artiumque liberalium appetentia, non ut Medici, ſed, ut judices ſalutis humanæ, diligenter diſtinguemus.* Rurſus lib. 29. cap. 1. *Solam hanc artium Græcarum (medicinam) nondum exercet Romana gravitas in tanto fructu* Quid eſt igi-

tur *gravitas?* quantum ex literis colligere poſſum, Gravitas habitus eſt mentis, qua quis neque facile opinioni cuiquam aſſentitur, neque item ab ea, quam ſemel veram judicavit, facile ſe niſi fortiori ratione & manifeſtis rebus deduci patitur. oſtendo ex *Cicerone* lib. 1. de *Natura Deorum* non longe ab initio: *Quid tam temerarium, tamque indignum ſapientis gravitate, atque conſtantia, quam aut falſum ſentire, aut quod non ſatis explorate perceptum ſit, & cognitum, ſine ulla dubitatione defendere?* Apparet etiam manifeſtiſſime hoc exemplo gravitatis Lacedæmoniorum, quod narrat *Cornelius Nepos* in *vita Pauſaniæ:* quem cum Argilius proditionis detuliſſet, ejuſque literas ad Perſarum regem protuliſſet; non prius tamen Ephori quicquam in eum exſequi ſuſtinuerunt, quam ipſum *Pauſaniam* adverſus ſe teſtem haberent: *Non eſt prætereunda gravitas Lacedæmoniorum hoc loco: nam ne hujus (Argilii) quidem indicio impulſi ſunt, ut Pauſaniam comprehenderent: neque prius vim adhibendam putaverunt, quam ſe ipſe indicaſſet.*

Contra qui levibus momentis ad aſſentiendum impelluntur, facileque in hanc vel illam partem flectuntur, *leves* dicuntur. Qualem in veteribus Gallis (ſi credere fas eſt) animorum habitum Cæſar notat, lib. 4. *de bello Gallico*, his verbis: *His de rebus Cæſar certior factus, & infirmitatem Gallorum veritus, quod ſunt in conſiliis capiendis mobiles, & novis plerunque rebus ſtudent, nihil his committendum exiſtimavit. Eſt autem hoc Gallicæ conſuetudinis; ut, & viatores etiam invitos conſiſtere cogant: &, quod quiſque eorum de quaque re audierit, aut cognoverit, quærant, & mercatores in oppidis vulgus circumſiſtat; quibus ex regionibus veniant, quaſque res ibi cognoverint, pronuntiare cogant. His rumoribus atque auditionibus permoti, de ſummis ſæpe rebus conſilia ineunt: quorum eos e veſtigio pœnitere neceſſe eſt, cum incertis rumoribus ſerviant, & plerique ad voluntatem eorum*

rum ficta reſpondeant. Hujusmodi ſunt fere omnes juvenili ætate, mobili animo ad omnem impreſſionem, quos *Plato* in *Theæteto* haud certum tenere curſum, ſed varias in partes velut *ἀνερμάτιςα πλοῖα male ſaburrata naves* impetu ferri dicit: Quo *Flaccus* reſpiciens, ad eum modum parum ſe ullius dogmatis aut ſectæ tenacem fatetur:

Quo me cumque rapit tempeſtas, deferor hoſpes.

Tali igitur ingenio præditos, *leves* Latinus ſermo appellat; *graves* autem, qui contrario modo ſe habent, ſtabiles in opinionibus & propoſiti tenaces. Sumpta eſt autem vox per tranſlationem ab ea, quæ eſt in corporibus, gravitate, qua deorſum ſubſident, & in loco inſiſtunt. Quo enim graviora ſunt, eo magis in loco permanent, ac difficilius inde educuntur: levia autem corpora facile moventibus cedunt, & ſi leviſſima ſunt, ſponte evolant.

Ceterum, non, ſi quis ægre cuipiam orationi aſſentitur, aut difficulter a ſententia deducitur, continuo hunc virum gravem dixeris: nam multis, ne rebus manifeſtis aſſenſum præbeant, ingenii tarditas & hebetudo obſtat; ne ſententiam mutent, pertinacia & naturæ torvitas quædam & rigor inflexibilis; quod genus Græci *αὐθάδεις* & *ἰδιογνώμονας*, vel etiam *ἀμαθεῖς*, nos *pertinaces* & *indociles* vocamus. quem mentis habitum nemo laudaverit. Nos gravitatem animi virtutem, vel præcipuam cenſemus; nulla quidem magis philoſophum decet; nulla tam animum veritati amicum reddit & conciliat; ab errore præſervat. Ad hanc gravitatem pertinere arbitror illud notum *Epicharmi*, *μέμνασο ἀπιςεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.* quo artus ſapientiæ ſtatuit non credere: temere ſcilicet & ſine valida ratione. Eſt igitur gravis, non quisquis difficulter credit, ſed qui ex prudentia, quia ſcit verum a falſo diſcernere, & in unoquoque rationes omnes & momenta acute expendit, ſolum id ſequitur, quod magis ratione confirmatum, & veritati congruens videtur.

tur. Ejuſmodi fuit Socratis gravitas, talis omnium, qui jure ſapientes dicuntur.

His ita ut par eſt, conſtitutis, nego ex gravitate feciſſe Catonem, cum ſe interfecit, ne Cæſarem victorem & dominum videret, ſi hoc facinus contra rationem. ſi quidem nulla, ut probavimus, gravitas eſſe poteſt, niſi quam ratio moderatur. Atqui certiſſimum eſt recte philoſophanti, nullam, uno Dei mandato excepto, cuiquam idoneam dari poſſe ſui interimendi cauſſam; quam autem *M. Tullius* Catonem habuiſſe dicit, hanc futilem & ridiculam fuiſſe oſtendo. negat ei gravitati & conſtantiæ animi quæ in Catone fuit, conſentaneum fuiſſe, ſub regno Cæſaris vivere, potius igitur illi mortem fuiſſe oppetendam, quam vultum tyranni aſpiciendum cenſet, neque aliam præterea qua id probet rationem tam atrocis facti affert. Atqui decebat philoſophum, aliquam hujus cauſſam proferre, qua intelligeretur ex vera gravitate, & certo conſilio id profectum; non autem (quod *Auguſtinus* lib. 1. *de Civit. Dei* cap. 23. exiſtimat) invidia, ne hoc etiam ad Cæſaris gloriam accederet, pepercile Catoni; aut pudore ſervitutis. Nunc ſolius, ac, ut jam docebo, falſæ gravitatis ſpecie objecta lectorem deſtituit.

Moriendum, inquit, *potius Catoni fuit, quam vultus aſpiciendus tyranni.* quid ita? quia incredibilem natura ei gravitatem dederat; cumque ſupra omnes mortales gravis & conſtans eſſet, huic perſiſtere in propoſito neceſſe fuit, & mori potius, quam ſententiam mutare. Semper enim tyrannidi adverſatus fuerat, ejus cauſſa Cæſari bellum indixerat, libertatem omni ope defenderat: igitur tyrannum nullo modo ferre debuit: proinde aut debellandus fuiſſet tyrannus, quod fieri poſſe deſperabat; aut quod in proclivi erat, anima relinquenda, ne vivendo, indigna videre & pati cogeretur. Hæc, niſi fallor, *Ciceronis* ſententia eſt in hac defenſione Catonis. cujus unicum fundamentum

eſſe

eſſe liquet, quod Cato in propoſito manens, vitam ſub principatu Cæſaris retinere non debuit. Hoc autem quis falſo a *Cicerone* accipi non videt? Nempe id ſemper fuit propoſitum Catonis Reipublicæ conſulere, libertatem tueri, tyrannidi obſtare, removere eam & impedire, quantum ſcilicet in ipſo esſet. Quippe hoc in primis prudentiæ & gravitatis, non plus neque aliter prodesſe velle, quam licet. Majora viribus, & quæ fieri non posſunt, affectare, levitatis, & temeritatis. Hoc ſi animo erat Cato, quid, quæſo, tyrannis obſtabat, quo minus in eo propoſito maneret, hoc eſt, libertatem communem & jus æquale probaret, violentiam & oppreſſionem improbaret, atque odio haberet, oppreſſerat Cæſar armis Rempublicam: fortunæ hæc vis, non culpa Catonis. Ceterum nihil in animos fortuna juris habet, neque ſi quis viribus & fortunæ ſuccumbit, continuo propoſitum mutat. Potuit Cato idem manere ſub Cæſare, qui incolumi Republica olim fuerat, hoc eſt, libertatis amans, potentiæ non legitimæ hoſtis, meliorum rerum ſuaſor, ubi opus eſſet, dehortator pejorum: uno verbo rigidæ illius virtutis, quam probabat, asſectator & vindex. Alioqui virtus fortunæ obnoxia esſet, & libidinis alienæ ac vitiorum mancipium. Quod philoſophi negant, in primis Stoici, quos Cato in philoſophia maxime probabat. His placuit *omnes ſapientes liberos* eſſe, *ſtultos omnes*, *ſervos*, quem locum copioſe in *Paradoxis Cicero* ex Stoicorum ſententia tractat: quo loco hanc theſim ponit: *niſi ſapientem, liberum eſſe neminem.* & probat, quia libertas eſt poteſtas vivendi ut velis: id autem ei ſoli esſe concesſum, cujus omnia conſilia, resque omnes, quas gerit, ab ipſo proficiscuntur, eodemque referuntur, nec eſt ulla res, quæ plus apud eum polleat, quam ipſius voluntas, atque judicium. Cui definitioni congruit diviſio illa rerum, quæ in nobis, & quæ extra nos, apud *Epictetum*. Nam ut ibi dicitur, quæ in nobis

bis ſunt, natura ἐλεύθερα, ἀκώλυτα, ἀπαρεμπόδιστα, hoc eſt, *libera ſunt, neque impediri aut probiberi ullo modo poſſunt.*

Quid ni igitur potuiſſet hoc modo liber eſſe Cato, ſub quocumque dominatu Cæſaris, ſi ſapiens fuit, ut volunt? Niſi forte putamus Socratem non fuiſſe liberum ſub triginta tyrannis, qui tempore illo civitatem Athenienſium duriſſima ſervitute premebant. Quorum violentam dominationem & injuſtitiam, cum vir ille ſapientiſſimus ſummopere, ut par eſt, improbaret; non tamen ut eam fugeret, ſibi manus ipſe violentas attulit, ac ne civitate quidem excedere voluit. Nam potuiſſet, ut antea Pythagoras, & alii complures, proficiſci in exilium, ne patriæ calamitatem videret. Sed illa fortuita ad ſe pertinere non putabat: quo ſtatu rerum, qua fortuna uterentur Athenienſes, non eſſe in ſe ſitum intelligebat: vellet depellere tyrannos, civitatem ſervitute oppreſſam liberare, ſi poſſet, cum id facultatem ſuam excedere videret, quo potuit ſolituſque fuit modo, cives doctrina & præceptis ſapientiæ adjuvare non diſtitit, atque ita idem vitæ propoſitum, atque inſtitutum ſequens, dignam philoſopho & viro magno conſtantiam & gravitatem præſtitit. non aliter enim ſub tyrannis vixit, ac in civitate libera vixerat: eandem animi invicti magnitudinem ac libertatem oſtendit, ſuoque exemplo probavit poſſe omnia mutari, uno excepto ſapientis animo. Quale animi invicti robur *Horatius* admirans, præclare his verſibus expreſſit:

Juſtum & tenacem propoſiti virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida: neque auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Jovis manus.

Si

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Quod igitur inter vina & amores juvenum comeſſabundus poëta vidit, quomodo Catonem fugit, tam cordatum virum, tam gravem, tam ſeverum? An non hoc monſtri ſimile, hominem philoſophiæ deditum, & præceptis ſapientiæ plenum, uſque adeo veræ rationis, ſuique oblivifci, ut, quia Cæſar viveret, ſibi eſſe moriendum putaret. Triginta tyrannos Socrates ferre potuit; Cato unum non poterit? Idem Socrates apud *Platonem* in *Phædone* quenquam ſe vita exigere, priusquam inevitabilem Deus neceſſitatem impoſuerit, nefas judicat; Cato hujus doctrinæ, quæ veriſſima eſt, minime ignarus; qui millies fortaſſe eum *dialogum* legerat, ea ipſa nocte, qua ſe interemit, relegerat, nihilo minus ira atque indignatione victus, immani ſe vulnere mactat, viſcera propriis manibus ſpargit & diſſipat, non lacrymis amicorum non filii, non domeſticorum ploratu ullo & lamentationibus movetur; non philoſophorum quos ſecum habebat, Apollonidis Stoici, & Demetrii Peripatetici, qui, ut veriſimile eſt, eadem illa, quæ modo expoſui, vel etiam meliora, ſuggerebant, ac vehementer eum a tali incepto dehortabantur, ullis diſputationibus cedit: *Cicero* (quod magis mirum videatur) *Platonis* ſummus admirator, qui alicubi, ait malle ſe cum *Platone* errare, quam cum aliis vera ſentire, traditam a *Platone* veritatem deſerit, & potius, quam Catonem, heroem ſuum (ita enim in *epiſtolis ad Atticum* vocat) peccaſſe fateatur, atrociſſimum omnium facinus contra philoſophorum potiorum decreta, immo contra naturæ primam legem propalam defendit. Quod igitur male defendat, ex dictis patet: nunc quod heic Catonis factum probat, ut alibi ſuppreſſo Catonis nomine improbat atque vituperet, videre operæ pretium eſt. Sic idem in præfat. lib.

lib. 2. *de Divin. Dabunt igitur mihi veniam mei cives, vel gratiam potius habebunt, quod cum eſſe in unius poteſtate reſpubl. nequeat ego me abdidi, neque deſerui neque affixi: neque ita geſſi, quaſi homini aut temporibus iratus: neque ita porro aut adulatus, aut admiratus ſum fortunam alterius, ut me mea pœniteret: id enim ipſum a Platone philoſophiaque didiceram, naturales eſſe converſiones quaſdam rerum publicarum* &c. Nimirum his verbis, niſi admodum fallor, *Catonem*, qui id non viderit & ſe afflixerit, inſcitiæ & temeritatis taxat.

CAPUT IV.

Ejusdem M. Tullii *problema, de paucitate oratorum excellentium, nullum eſſe oſtenditur.*

HOc etiam quod, eidem *Ciceroni* viſum eſt dignum conſideratione, ab ipſo autem proponitur & explicatur in primo *de Oratore*, de oratorum paucitate & frequentia expendere placet. Sic autem difficultatem proponit: *Ac mihi quidem ſæpenumero in ſummos homines, ac ſummis ingeniis præditos intuenti, quærendum eſſe viſum eſt, quid eſſet, cur plures in omnibus artibus, quam in dicendo admirabiles extitiſſent?* Quibus verbis hoc ſtatim pro explorato ac rato accipit, pauciores multo in dicendi arte illuſtres viros ſemper fuiſſe, quam in aliis diſciplinis. Mihi vero (pace viri tanti dicere liceat) non modo non manifeſtum id, ſed etiam falſum videtur; neque illa, quam ibi habet, inductio, virorum artibus variis florentium, mihi quicquam certi oſtendit, quia neminem eorum, quos in aliis facultatibus excelluiſſe dicit, nominat; ſed ſolâ diſciplinarum atque artium genera percenſens, politicam, philoſo-

loſophiam, matheſim, muſicam, grammaticam, dicendi artem; in ſingulis plures fuiſſe magnos, quam in eloquentia ſumit, tum velut id plane eſſet compertum, ad cauſſæ inveſtigationem procedit.

Ceterum decuit aliquot utrinque illuſtres viros in medium adducere: una quidem ex parte, qui aliis artibus; ex altera, qui in dicendo maxime inſignes & præſtantes fuiſſent. Tunc demum ſi multi in unoquoque aliarum diſciplinarum atque artium genere egregii reperirentur; perpauci in dicendo excellentes indicari poſſent, plane conſtaret problema, & locus diſputationi eſſet. Nunc rem confuſe & generaliter proponens, magnam nobis dubitandi occaſionem reliquit, an ſatis vere quæſtio ſit poſita, metuoque ut tota hæc diſputatio alioqui elegantiſſima, ad nihilum redeat. Ad rem igitur ut veniam, ac ut difficultas intelligatur, ſic conſiderandum eſt, nempe in unoquoque artium genere atque facultate tres quaſi gradus diſtingui debere: unum quidem eorum, qui obſcuri & vulgares, quorum largus ubique proventus & fœtura: alterum quos claros & nobiles recte dixeris, qui ſe humo ſuſtulere, nomen in aliqua arte conſecuti ſunt: tertium eorum, qui conſummatæ virtutis & in faſtigio poſitæ. In primo gradu multitudo, ut dixi, ingens vulgarium ingeniorum & obſcurorum: in ſecundo non tanta eſt quidem frequentia, ſed tamen neque horum eſt paucitas: ſolo in gradu tertio ſumma ubique raritas, eorum ſcilicet qui apicem in aliquo genere & culmen attingere potuerunt; nec ſolum in artibus & diſciplinis, ſed etiam in aliis rerum differentiis. nam & homines perfecte boni, aut ſumme mali pauci reperiuntur, pauci ſtatura ingentes aut admodum puſilli, eademque ratio eſt, celeritatis & tarditatis: pulchritudinis & deformitatis, albedinis & nigredinis, omnium denique, quæ ſunt in unoquoque genere extrema; juxta illud *Platonis* in *Phædone*:

εἰ γάρ πυ μετὰ τέχνης ἐχρῆτο, ὥσπερ ἔχει, οὕτως ἂν ἡγήσαιτο· τοὺς μὲν χρηστοὺς καὶ πονηροὺς σφόδρα, ὀλίγους εἶναι ἑκατέρους. τοὺς δὲ μεταξὺ, πλείστους. & paulo poſt: περὶ τῶν σφόδρα μικρῶν καὶ μεγάλων, ὄιει τί σπανιώτερον εἶναι, ἢ μέγαν ἢ σφόδρα σμικρὸν ἐξευρεῖν ἄνθρωπον, ἢ κύνα, ἢ ἄλλο ὁτιοῦν, ἢ αὖ ταχὺν, ἢ βραδὺν ἢ καλὸν, ἢ αἰσχρὸν, ἢ λευκὸν, ἢ μέλανα; ἢ οὐκ ᾔσθησαι, ὅτι τῶν τοιούτων τὰ μὲν ἄκρα τῶν ἐσχάτων, σπάνια καὶ ὀλίγα. τὰ δὲ μεταξὺ, ἄφθονα καὶ πολλά; i. *Si enim ex arte uti (hominibus) ſtuderet, utique rem ipſam ita, ut habet, ſe habere arbitraretur, videlicet homines vehementer bonos aut malos perpaucos eſſe, medios vero plurimos. Quemadmodum in rebus contingit valde aut parvis aut magnis. An tu arbitraris quicquam eſſe rarius; quam valde magnum, aut valde parvum reperire hominem vel canem, vel quodvis aliud? atque rurſus celerrimum & tardiſſimum; pulcherrimum, turpiſſimum; albiſſimum, nigerrimum? An ignoras in his omnibus extremorum ſumma rara quidem & pauca eſſe, media vero frequentia atque multa?* Jam ergo ex hoc *Platonis* loco, *Ciceronis* quæſtio non conſiſtit, ſi hoc æque per omnia genera obtinet, ubicumque magis ex & minus reperitur, ut τὰ ἄκρα τῶν ἐσχάτων hoc eſt *extremorum ſumma* rara & pauca exiſtant.

Quidni enim & in iis quas *Cicero* ibidem adducit artibus, imperatoria ſive politica, philoſophia, matheſi, grammatica, poëtica?

Enimvero cum ſumma ubique eſſe rara in confeſſo ſit; cum, inquam, commune hoc ſit omnium, ut dixi, artium; ſi tamen hoc in dicendi arte eximium exiſtimavit, quod pauciores adhuc in ea, quam in aliis excellere poſſint, debuit omnino id exemplis declarare, ſi nobis perſuaſum voluit; plures, inquam, ſummos fuiſſe in poëtica, in philoſophia, in mathematicis & aliis diſciplinis, quam in eloquentia. Ac de poëtis quidem cum in eo genere excellentium minorem ſemper fuiſſe copiam, quam in aliis arti-

artibus fateatur, tamen pauciores multo exſtitiſſe oratores ſtatuit: *Vere mihi* (inquit) *hoc videor eſſe dicturus, ex omnibus iis, qui in harum artium ſtudiis liberaliſſimis ſint doctriniſque verſati, minimam copiam poëtarum egregiorum exſtitiſſe: atque in hoc ipſo numero, in quo perraro exoritur aliquis excellens, ſi diligenter & ex noſtrorum, & ex Græcorum copia comparare voles, multo tamen pauciores oratores, quam poetæ boni reperientur.* Hic duo habemus: unum quidem pauciores fuiſſe in poëtica egregios, quam in aliis artibus: alterum pauciores adhuc oratores bonos, quam poëtas exſtitiſſe. Quod ad prius attinet, concedi poteſt: alterum non item. neque enim ejuſmodi, in quo nemini ulla difficultas aut dubitatio eſſe poſſit. Profecto aliquid a *Cicerone* allatum oportuit, quo id nobis planum ac perſpicuum fieret. Quid ſi nego pauciores bonos oratores, quam poëtas fuisſe? Age, *Marce Tulli*; quem mihi ex univerſa Græcorum poëtarum multitudine dabis, qui cum *Homero* comparari poſſit? omnium quidem judicio unus hic principatum & culmen hujus artis ſemper tenuit. Nulla hic doctis controverſia eſt, omnes in eam ſententiam pedibus vadunt, quam *Vellejus Paterculus* his verbis pronuntiavit: *Clariſſimum Homeri illuxit ingenium, ſine exemplo maximum: qui magnitudine operum & fulgore carminum, ſolus appellari poëta meruit.* Eadem *Maronis* apud Romanos præſtantia eſt, qui omnes & priores in ea gente & ſequentes, ſua luce obruit. Qui igitur pauciores poëtis oratores ſummi, ſi unus tantum apud Græcos *Homerus*, unus apud Latinos *Virgilius*?

Sed fortaſſe *Cicero* diceret egregios ſe poëtas appellare, non qui egregii, ut *Homerus* aut *Maro*, in ipſo faſtigio poſiti, & ceterorum omnium principes; ſed claritatem ſimpliciter & nomen carmine adeptos. ſi ita eſt, & oratores egregios pariter accipi oportebit, qui vere clari & celebres fuerunt: quo pacto non pauciores, ut *Cicero* autumat, claros oratores, ſed plures fuiſſe, quam poëtas repe-

riemus. Si negaret Cicero, producerem illi ſuum librum de *claris oratoribus*, quo in libro non paucos, cum e Græcia, tum e Romana nobilitate inſignes & claros oratores ipſe enumerat: proferam & quæ idem in *Tuſcul. Quæſtionum* præfatione habet: *Oratorem celeriter complexi ſumus, nec eum primo eruditum, aptum tamen ad dicendum, poſt autem eruditum. Nam Galbam, Africanum, Lælium, doctos fuiſſe memoria traditum eſt: ſtudioſum autem eum, qui hos ætate anteibat, Catonem: poſt vero Lepidum, Carbonem, Gracchos: deinde ita magnos noſtram ad ætatem, ut non multum, aut nihil omnino Græcis cederetur.* Apud Græcos vero quot eloquentia celebres viri exſtiterint, longum ſit enumerando perſequi. Non enim ſi nemo horum, certe pauci, ad ſummam *Demoſthenis* pervenerunt, non multi clari & illuſtres fuerunt. Quid de philoſophis dicam; non & in his, ut *Plato* dicit, thyrſigeri multi, pauci Bacchi, hoc eſt, veri ſapientiæ myſtæ & ejus ſpiritu afflati reperiuntur? Quippe & varios eorum ordines & gradus videre eſt. Quidam ſolum nomen habent, ut Sophiſtæ omnes, gloriolæ ſtudioſi, veritatis hoſtes, ſtultarum opinionum auctores: errorum impudentes patroni, meris verborum præſtigiis vulgo illudentes, & falſa ſpecie philoſophiam mentientes: quales olim *Gorgias Leontinus*, *Prodicus Chius*, *Protagoras Abderites*, *Hippias Eleus*, *Euthydemus*, & alii complures: Socratis & Platonis ævo, non pauci & noſtra ætate, & patrum memoria famoſi exſtiterunt: Alii philoſophi quidem, ſed ſine nomine: quorum ingens turba; clari & celebres alii, ſed crudæ & imperfectæ eruditionis, ut qui prima philoſophiæ fundamenta jecerunt; *Thales*, *Anaximander*, *Anaximenes*, *Anaxagoras*, *Xenophanes*, *Zeno Eleates*, *Leucippus*, *Democritus*, & ceteri prope omnes Socrate antiquiores: Alii denique inuſitata ingenii felicitate & induſtria, longe aliorum omnium captum & metam egreſſi, non ſine providentia geniti, qui ipſum naturæ humanæ apicem & rationis

nor-

normam ultimam attingerent: philoſophiæ habitum certum & formam imponerent: quos denique reliqui mortales veros philoſophandi magiſtros & duces ſequerentur. In hoc igitur ſupremo ordine plures philoſophos, quam primi nominis oratores dicemus? Non ipſe *Cicero* dixerit: duo tantum eximii & incomparabiles philoſophi, *Plato* & *Ariſtoteles*. ita enim lib. I. *Tuſcul. quæſt.* teſtatur his verbis: *Ariſtoteles longe omnibus (Platonem ſemper excipio) præſtans & ingenio & diligentia.* Non enim ſimpliciter *omnibus*, ſed *longe* hoc eſt magno intervallo præſtare dicit: ex quo intelligamus, hos duos eſſe eximios & principes, cum quibus alii ne comparari quidem poſſint.

Poſſem multa hic de eorum virorum excellentia dicere; ſed nolo elogiis exſcribendis diſcendi avidos lectores morari: ſolum dicam, omnes qui quidem habent bonam mentem, & judicio valent; huic *Ciceronis* judicio de ſummis illis magiſtris ſemper ſtetiſſe, ac pari ſtudio utrumque amplexos: tametſi quidam in *Platonis* admirationem, alii in *Ariſtotelis* magis propenſi: ceterum omnes in eo conſentiunt, aliorum quibus nomen philoſophia dedit, neminem ad horum duorum gloriam aſpiraſſe: qui hos non admirantur, elephanti corio circumtecti ſunt. *Julius Cæſar Scaliger* quidem utrique ſe amicum fatetur; magis tamen *Ariſtoteli*. *Utriuſque ſum equidem* (inquit *com.* ad lib. I. de *Plantis.*) *ſed ita ut ſi in opinione hominum, ſi qua eſt ſuper illorum oraculis controverſia, ſi ſit alter deſerendus, ſciam quid facturus ſim. Alter enim eſt naturæ lingua: alter altera natura, ſed eloquentiſſima.* Idem in *Exercitatione* centeſima nonageſima quarta: tres humanæ laudis gradus proponens, in ſingulis unum tantum præcipuum agnoſcit: *Duæ ſunt* (inquit) *aquilæ ſolæ in natura rerum, altera bellicæ laudis, altera literariæ: illa potentiæ, hæc ſapientiæ: Cæſar & Ariſtoteles. Unicus poëticæ ſirenophœnix Virgilius.* Ita is de ſupremo faſtigio, atque inſectibili eminentia.

In iiſdem autem *exercitationibus*: locum non memini, paulo magis laudis literariæ pomœria dilatans, quatuor omnino ſcientiarum omnium ac totius ſapientiæ humanæ lumina adorat: *Hippocratem*, *Platonem*, *Ariſtotelem*, *Galenum*.

Quod de poëtis & philoſophis dixi, ad eundem modum ſe habere, in aliis diſciplinis, in arte civitatum regendarum, in militia oſtendere poſſem: ſed hæc ſatis arbitror ad redarguendam *Ciceroniani* problematis vanitatem. conſtat enim ex dictis, lege naturæ multos quocumque in genere claros quidem & nobiles ſemper; ſummos, fortaſſe unum aut alterum in ſingulis diſciplinis; utique perpaucos, ut quod ad præſtantiam & raritatem attinet, non ſit aſſignare diſcrimen, quo dicendi profeſſio ab aliis differat.

CAPUT V.

Alius Ciceronis *locus, in quo libellum* duodecim tabularum, *cum philoſophorum bibliothecis comparat.*

NOn poſſum mihi temperare, quin & hic inſigne illud Romanæ vanitatis argumentum referam, cum idem *M. Tullius* in eodem libro primo *de Oratore*, leges decemvirales, quas *duodecim tabularum* vocant, cum philoſophorum bibliothecis comparat, & eum libellum, ſanctiſſimis philoſophiæ adytis & ſanctuariis omnibus præfert. Tanti eſt eſſe oratorem, eumque Romanum. verba *Ciceronis* hæc ſunt: *Fremant omnes licet: dicam quod ſentio: bibliothecas me hercule omnium philoſophorum unus mihi*

vide-

videtur duodecim tabularum libellus, ſi quis legum fontes, & capita viderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperare. Quo dicto (tanti viri pace liceat dixiſſe) haud ſcio an quicquam temerarium magis & inſanum effutiri poſſit. Quapropter hoc egregium in primis Romanæ, ut dixi, arrogantiæ & vanitatis monumentum cenſeo. Neque enim inſcitiæ arguerim *M. Tullium*, aut negligentiæ in evolvendis philoſophorum libris, qui *Platonem* ſine dubio legerat, *Ariſtotelem*, *Theophraſtum*, *Zenonem*, *Chryſippum*: & alios complures, quorum paſſim in ſuis philoſophicis libris opiniones refert atque conſiderat. Sed cœcum patriæ ac gentis amorem, tum innatam genti ambitionem vincendi omnes alias nationes non modo armis, ſed etiam ingenio & cultu omni ingenuarum artium. Sed & invidiam adverſus Græcos potius accuſaverim. nempe illi dolebat populum victorem gentium & Orbis dominum Græcis ulla laude videri inferiorem, quos homines potentiæ & legibus ſuis ſubditos tenebant, eos habere loquendi, & ſapiendi magiſtros. Cujus ambitionis & cœci amoris, invidiæque voces teſtes paſſim jactat: ut cum in primo *Tuſcul. quæſtionum*, ita loquitur: *Sed meum judicium ſemper fuit, omnia noſtros aut inveniſſe per ſe ſapientius, quam Græcos; aut accepta ab illis, feciſſe meliora, quæ quidem digna ſtatuiſſent, in quibus elaborarent.*

Quinetiam in primo *de Finibus* Latinæ linguæ ubertatem & copiam Græcæ opulentiæ non modo componere, ſed etiam præferre non dubitat: *Ita ſentio & ſæpe diſſerui, Latinam linguam non modo non inopem, ut vulgo putarent, ſed locupletiorem etiam eſſe, quam Græcam.* Si ita eſt, cur ad eas res, quas a Græcis accipit, Latine explicandas, nova vocabula procudere cogitur? cur linguam Latinam ſe augere confitetur in libro *de Fato*: *Quia pertinet ad mores, quos ἤθη Græci vocant; nos eam partem philoſophiæ de moribus appellare ſolemus. Sed decet augentem linguam Latinam nomi-*

nominare moralem? Cur *Lucretius* eruditiſſimus Vates haud multo eo antiquior, de patrii ſermonis egeſtate conqueritur:

Nec me animi fallit Grajorum obſcura reperta
Difficile illuſtrare Latinis verſibus eſſe:
Multa novis verbis præſertim cum ſit agendum,
Propter egeſtatem linguæ, & rerum novitatem.

Verum hæc *Ciceronis* in patriæ linguæ opibus prædicandis vanitas, pridem ab aliis animadverſa ac ſtrenue, ut par erat, confutata eſt. modo hanc decemviralium legum cum philoſophorum bibliothecis comparationem expendere liceat; tum, ut latius pateat diſceptatio, an ea ſit univerſæ Romanorum juriſprudentiæ dignitas atque utilitas, quæ non modo omnibus philoſophorum antiquorum ſcriptis opponi, ſed etiam præferri mereatur.

Primum quæ maxime in jure civili & XII. *Tabulis* miranda *Ciceroni* videantur, verbis ipſius exponere operæ pretium eſt: *Plurima eſt,* inquit, *& in ipſo jure civili, & in Pontificum libris, & in* XII. *tabulis antiquitatis effigies, & quod verborum priſca vetuſtas cognoſcitur, & actionum genera quædam majorum conſuetudinem, vitamque declarant: ſive quis civilem ſcientiam contempletur, quam Scævola non putat oratoris eſſe propriam, ſed cujusdam ex alio genere prudentiæ, totam hanc deſcriptis omnibus civitatis utilitatibus, ac partibus,* XII. *tabulis contineri videbit: ſive quem iſta præpotens & glorioſa philoſophia delectat (dicam audacius) hoſce habet fontes omnium diſputationum ſuarum, qui jure civili & legibus continentur. Ex his enim dignitatem maxime expetendam videmus, cum verus, juſtus, atque honeſtus labor honoribus, præmiis, atque ſplendore decoratur: vitia autem hominum, atque fraudes damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exſiliis, morte multantur: & docemur non infinitis, concertationumque plenis diſputationibus, ſed auctoritate, nutuque legum domitas habere libidines, coërcere omnes cupiditates, noſtra tueri, ab alienis*

alienis mentes, oculos, manus, abſtinere. Hæc ibi *Cicero*, ob quæ libellum eum XII. *tabularum* omnium philoſophorum bibliothecis anteponendum judicat.

Ego vero vehementer admiror, ſi *Cicero* putavit, quod ſit ad multitudinem in æquali mutuorum officiorum communione atque ſocietate tenendam maxime accommodatum, id ſimpliciter eſſe optimum & ſummopere expetendum in rebus humanis; tum ſi quid in iis XII *tabulis*, rationi & naturæ hominis magis congruens & id aliunde quam a philoſophia fluxiſſe.

At enim vero eorum, quæ in iis tabulis proponuntur atque ſanciuntur, pleraque omnia, quam ſint futilia & ridicula, eorum reſpectu, quæ nobis philoſophorum clariſſimi de Deo, de origine mundi, & naturæ legibus, de natura hominis, de providentia, de animæ immortate, de virtute, de vitiis, de ſummo hominis bono diſcuſſa atque explicata reliquerunt, eum libellum & philoſophorum diſputationes legenti planum eſſe poteſt. Quid enim in illo decemvirali ſcripto videmus, niſi humile, plebejum, in poſtrema mortalitatis fæce ac tenebris depreſſum; tametſi neceſſarium? Quid autem inde haurimus, niſi hæc ſolennia veterum pragmaticorum, & rabularum; *In jus vocationem, vadimonia, antiſtationes, vagulationes, de pactis, de adducendo in jus adverſario, ac dando jumento, ſi morbus ævitaſque vitium eſcit, de vindiciis ſumendis, de finibus regundis, de familia erciſcunda, de aquæductibus & ſtillicidiis*, de aliis adhuc magis contemptis, ad quæ nemo paulo altiore ingenio præditus non ſtatim nauſeet: *Cicero* quidem ipſe propalam, in primo *de legibus*, ab ſe ut indigna viro erudito, & prorſus contemnenda repudiat. *Quid tam exiguum* (inquit) *quam eſt munus hoc eorum qui conſuluntur? quanquam eſt populo neceſſarium? Nec vero eos, qui ei muneri præfuerunt, univerſi juris expertes fuiſſe exiſtimo, ſed hoc, civile quod vocant, eatenus exercuerunt, quoad populo*

praſtare voluerunt. Illud autem incognitum minus eſt in uſu, minuſque neceſſarium. Quamobrem quo me vocas? aut quid hortaris? ut libellos conficiam de ſtillicidiorum, & de parietum jure? aut ut ſtipulationum & judiciorum formulas componam? Quæ & conſcripta ſunt a multis diligenter, & ſunt humiliora, quam illa, quæ a vobis exſpectari puto.

Qui locus *Ciceronis* indicat elogium illud, de excellentia libelli *duodecim tabularum* ſupra philoſophorum bibliothecas, non aliter ab eo fuiſſe prolatum, niſi ut perſonæ, quam ibi inducit loquentem, ſerviret, ut iis ſolenne, qui dialogos ſcribunt. Nam cum in iis, perinde ut in comœdiis, diſcrimina inducant perſonarum, neceſſe eſt unicuique, quod, &, prout ingenio ejus, moribus & inſtitutis congruit, id aſſignare. Quod plane ibi *Cicero* ſequitur. Nam *Craſſum* oratorem hæc dicere facit, coram *Scævola*, qui juriſprudentiam amplexus fuerat, ut ſtudiis ejus gratificaretur, quemadmodum ex ſequenti *Antonii* reſponſione apparet. Quare non eſt putandum, *Ciceronem* tam temerarias voces ex propria ſententia jactaſſe. Verumtamen, quia nonnullos video, ex iis, qui juriſprudentiæ nomen dederunt, ſive ut eam aliis tradant, ut qui ſe *juriſconſultos*, & recentiore vocabulo *anteceſſores* appellant: ſive ut de jure reſpondeant, & cauſſas agant, ut qui *advocati* & *cauſſidici* dicuntur, ſive ut de iis, quæ in controverſiam veniunt, cum auctoritate ſententiam pronuntient; ut qui judiciis præſunt; has veteris juriſprudentiæ reliquias, nec non *pandectas* ſuas, & *Codicem*, & *rubricas* uſque adeo magnifacere, ut iis ſummorum philoſophorum libros & bibliothecas ne comparandas quidem putent, eorum qui ſe totos altiorum rerum inveſtigationi, atque contemplationi dedunt, prope modum miſereantur; omiſſo *Cicerone*, qui de philoſophis bene ſenſit: cum iis agam legulejis, & rabulis, ac niſi bonam mentem penitus exuerunt, virtutem ejurarunt, ad proprii erroris confeſſionem adigam.

Quid

Quid habent juriſconſulti in ſuis ſtudiis venerandum, & liberali homine dignum (neque enim habere multa ejusmodi nego) quod non aut philoſophis acceptum ferri debeat, aut longe infra philoſophiæ propoſitum ſubſiſtat? an quisquam eorum adeo eſt meliorum literarum expers, uſque adeo ἄμουσος, ut ignoret a philoſophiæ fontibus deductos in hominum ſocietatem ac publicam adminiſtrationem jurisprudentiæ rivos? veterum legiſlatorum maxime laudatos, aut philoſophos fuiſſe, aut a philoſophis optima quæque mutuatos. Ita namque de *Zaleuco* & *Charonda* proditum accepimus, a *Pythagoræ* ſanctuariis artem regendarum civitatum, & jura prompſiſſe: & expreſſis verbis *Seneca* teſtatur epiſtola 90. *Zaleuci* (inquit) *Charondæque leges laudantur: hi non in foro, nec in conſultorum atrio, ſed in Pythagoræ tacito illo, ſanctoque receſſu didicerunt jura, quæ florenti tunc Siciliæ, & per Italiam Græciæ ponerent.* idem tradit *Laertius* in *Pythagora*; hunc ſcilicet Πολλοὺς κατὰ τὴν Ἰταλίαν ἀπεργάσασθαι καλούς τε καὶ ἀγαθοὺς ἄνδρας, ἀτὰρ καὶ Ζάλευκον, καὶ Χαρώνδαν τοὺς νομοθέτας. *Multos feciſſe, ut boni præſtanteſque viri eſſent, in hiſque Zaleucum & Charondam legiſlatores.* His & *Jamblichus* atteſtatur in *vita Pythagoræ*, iisque, quos commemoravi legum inventoribus a *Pythagora* eruditis, alios adjungit, *Timaratum*, *Theætetum*, *Helicaonem*, *Ariſtotelem & Phytium*; hos quidem *Rheginorum* legumlatores, alios partim *Siculos*, partim *Locrenſes*. Adde *Zamolxim* ex eadem *Pythagoræ* familia (nam ejus ſervus fuiſſe dicitur) legiſlatoris nomen & divinos honores apud Getas adeptum.

His antiquior *Solon* leges *Athenis* conſtituit, aut ipſe philoſophus, certe in ſapientum illius ævi numero habitus, vel philoſophis converſatus, quos ubique terrarum ſequebatur, exilio verius, quam peregrinationibus ſuſceptis. Certe *Thaletis*, qui tum diſciplinarum omnium & ſapientiæ culmen tenebat, viſendi ſtudio Miletum uſque

profectus fuiſſe dicitur; quem ſcilicet, in legibus componendis adjutorem & ſocium haberet. Sed & alium *Thaletem Lycurgo* leges Spartanis dare meditanti affuiſſe *Plutarchus* in *Lycurgo*, & in *Agide* & *Cleomene* tradit. & ipſum philoſophi nomine dignum, ſi verum eſt, quod idem ait, hunc, mores populi fidibus & carmine ſalubri ſolitum componere; atque ita Lycurgo viam ad ſubigendos Lacedæmoniorum animos muniiſſe. *Strabo* autem lib. 10. hunc *Thaletem* *μυσικὸν καὶ νομοθετικὸν* hoc eſt *Muſicum & legum conditorem* appellat, ut ab altero diſtinguat. Et quid hac veterum legiſlatorum enumeratione exemplisve opus, cum manifeſtum ſit, leges, ſi recte inſtituendæ ſunt, non aliunde, quam a naturæ principiis, & officiorum profunda contemplatione eſſe ducendas: quemadmodum *Cicero* ipſe copioſe diſſerit in præfatione librorum *de legibus*. Ut enim *Demoſthenes* in orat. *contra Ariſtocratem* dicit, leges ſunt *τρόποι τῆς πόλεως mores civitatis*, hoc eſt, idea & norma morum, qui ſi probi ſunt, leges recte eſſe poſitas oportet: ſi pravi, contra: bene autem mores ſe habent, qui ad honeſtum egregie compoſiti; quod philoſophiæ eſſe munus in confeſſo eſt.

Quod autem ad illa attinet, jura, quibus forenſes controverſiæ deciduntur, aut delicta certis pœnis coercentur, quæque magis ad uſum ſocietatis accommodata ſunt, hæc fateor magis Juriſconſultorum ſunt; quam philoſophorum: verum, ut dixi, has artes ſapientiæ profeſſio infra ſuam dignitatem eſſe decrevit, quæ altioribus occupata ad hæc infima deſcendere abnuit, nec poteſt. Neque enim animus ſurſum ſimul, & deorſum eſſe quit. Satis eſt, ſi iſtis minoribus principia tradat, ſi lumen demittat, ſi veris notionibus hominum mentes neceſſariis occupatas deſuper, ceu radiis quibusdam illuſtret, & tanquam habenis regat. Ex quo ipſo intelligi poteſt, quantum philoſophica eruditio præſtet legiſlationi. Profecto quanto

to eſt melius, homines bonos efficere, quam nocentes punire. Nam philoſophia, quomodo homines bene vivere poſſint, docet, ſuiſque præceptis atque exhortationibus corrigit & bonos reddit: leges, omiſſa doctrina, nihilque explicantes ſevere improbos coercent: in quo quidem auctoritas apparet, & poteſtas vitæ & necis arbitra, nulla ſapientia:

Quæſitor Minos urnam movet, ille nocentum
Conciliumque vocat, vitaſque & crimina diſcit,

Hoc, inquam, potentiæ, non ſapientiæ, neque honorandum, niſi a ſapientia fluxiſſet, atque, ut dixi, ab ipſa deſuper regeretur. Scite & graviter *Plato*, Dionyſio Syracuſarum tyranno interroganti, quid cenſeret de officio judicis, quo ille gloriabatur, reſpondit: Μέϱιόν τι μικϱὸν τ͂ πολιτικῆς τὸ δικάζειν ὀϱθῶς. ἀκεςαῖς γὰϱ ἐοίκασι τοῖς τὰ διεῤῥωγότα ἱμάτια ἀνυφαίνουσι. i. *Particula quædam eſt politices recte judicandi munus. Similes enim ſunt judices ſartoribus, qui laceratas veſtes reſarciunt.* Et leges ἕνεκα τῶν ἀσυλλογίςων τῦ χϱησίμυ, *propter eos, qui quod expedit ratione aſſequi non poſſunt*, poſitas fuiſſe notat *Porphyrius* lib. I. πεϱὶ ἀποχῆς ἐμψύχων. Sed de his plura diſſerimus in noſtris libris, de *natura ingenii humani, cauſſis, differentiis, properitatibus.* De cognitione autem veteris conſuetudinis populi Romani, quam dat libellus decemviralis & aliorum juriſconſultorum, tum aditu ad honores gerendos & civilem potentiam, quem legum peritia aperit, fateor equidem; ſed hæc conſideratio parum apud eos valet, qui rerum dignitatem ex ipſarum natura, non ex vulgi & quorundam hominum opinionibus & propoſito æſtimant. Sane enim univerſa illa juris hiſtoria plebejis ingeniis magnificum quiddam eſſe videtur, nobilibus & claris ne comparari quidem digna cum iis, quæ ex philoſophorum libris hauriuntur. vulgi autem honores, & publica munia & auctoritas, faſces, lictores, tribunalia, nihil aliud

quam

quam inſignia ejus virtutis & ſapientiæ, quæ eſt penes veros philoſophos, a quibus ut dixi, hæc bona ad alios homines deſcendunt.

CAPUT VI.

Excuſatio eorum, quæ in Ciceronis *dictis animadvertimus*, *&* Tullianæ divinitatis *ex aliis locis aſſertio*.

ATque hæc in auctoris incomparabilis ſcriptis animadvertiſſe ſufficiat, quod equidem non feci, quo quicquam de infinita opinione, quam meritiſſime omnes de ejus ingenio & eloquentia habent, detraham, ſed ut omnes intelligant, nullum eſſe auctorem tam magnum, qui cum judicio legi non debeat. Ceterum meminerimus, adorandum ſemper *Ciceronem*. Qui ſi ſententiæ lapſus eſt, hujus vel ut orator cauſſæ ſuæ inſerviens, vel ut homo in aliis occupatiſſimus, facile veniam, vel ab ſeveriſſimis, impetrat. Et ſunt apud eum quædam plane divina, quæ ab ipſo ſine numinis afflatu dici non potuerunt. Quale iſtud eſt de vera religione, veroque Dei cultu lib. 2. de *Divinatione*: *Nec vero (id enim diligenter intelligi volo) ſuperſtitione tollenda religio tollitur. Nam & majorum inſtituta tueri, ſacris cæremoniiſque retinendis, ſapientis eſt: & eſſe præſtantem aliquam æternamque naturam, & eam ſuſpiciendam admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum cœleſtium cogit confiteri. Quamobrem, ut religio propaganda etiam eſt, ſic ſuperſtitionis ſtirpes omnes elidendæ ſunt.* Divina, inquam, verba, ſi ſententiam in genere & ſimpliciter ſpectamus, non in perſona *Ciceronis*. Re vera enim majo-

majorum inſtituta, & ſacra tuenda ſunt, eorum ſcilicet, quos Deus veræ pietatis magiſtros humano generi dedit. Hi erant tempore *Ciceronis*, prophetæ ſancti Hebræorum Romanis ignoti; Chriſtianis, qui non multo poſt tempore exorti ſunt, præter prophetas, Apoſtoli, a quibus ad nos transmiſſa veræ pietatis & legitimi Dei cultus regula. Nec minus utilis hæc ſententia, cum ſuperſtitionis ſtirpes omnes elidendas cenſet. Quod utinam, qui Chriſtianæ rei præſunt, ſequerentur, & *Ciceroni* auſcultantes, omnem ſuperſtitioni materiam atque occaſionem auferrent: non enim propterea minus integra & ſancta eſſet religio, ſed contra magis, deterſa vanarum obſervationum ac rituum rubigine exſplendeſceret. Eodem pertinet, quod ibidem non Deos, ſed præſtantem aliquam æternamque naturam humano generi ſuſpiciendam ac colendam proponit, hujuſque cognoſcendæ nobis facultatem ex inſpecta ornatus mundi, ordiniſque rerum cœleſtium tributam fatetur: hanc enim viam cognitionis ſequentes, quam & *Apoſtolus* in 1. *ad Romanos* agnoſcit, non plures profecto, ſed unum Deum, omnium rerum auctorem & principium cogimur fateri.

Sed omnium, quæ ſunt excellenter dicta a *Cicerone*, hoc diviniſſimum judico, quod in epilogo exſtat libri primi *Tuſcul. quæſtionum.* Sic enim pulcherrimam de *contemnenda morte* diſputationem claudit: *Non enim temere, nec fortuito ſati, & creati ſumus: ſed profecto fuit quædam vis, quæ generi conſuleret humano: nec id gigneret aut aleret, quod, cum exantlaviſſet omnes labores, incideret in mortis malum ſempiternum: portum potius paratum nobis & perfugium putemus, quo utinam velis paſſis pervehi liceat: ſin reſtantibus ventis rejiciemur, tamen eodem paulo tardius referamur, neceſſe eſt.* Hæc ibi *Cicero*, ut dixi, divinitus. Quæ eſt enim, quæſo, illa vis quæ conſuluit generi humano, ipſumque præſervat a mortis malo ſempiterno, niſi *Chriſtus* & *Chri-*

ſti gratia? Hujus etenim unius beneficio omnes liberamur a morte, in quam omnes quidem neceſſario incidimus, ſed non ſempiternam, qui cum vindice & liberatore noſtro reſurrecturi ſumus.

An igitur *Cicero* fore vidit, ut Deus homo fieret, moreretur pro hominibus, reſurgeret a morte, omnes ſibi fide conjunctos hoc pacto liberaret? Sane hæc non vidit diſtincte, ſed ſpiritu Dei inſtinctum ea chartis mandaſſe ajo, quæ in illa ipſa ſolis Chriſtianis cognita myſteria inciderent, neque aliter, niſi de Chriſti beneficio, intelligi poſſent: ut nulla eſſet gens, ad quam non aliquis veritatis radius perveniret. Nam & apud *Platonem* & *Ariſtotelem* capitalia ingenia, ſimiles ſententias reperio a cœlo deductas. Nec igitur *Ciceronem* lucis ejuſdem ſupernæ expertem eſſe decuit, cujus in gente Romana clariſſimum citra controverſiam illuxit ingenium.

CAPUT VII.

Defenditur Socrates *ab improba* Lactantii *calumnia, & de ejus jusjurando.*

SOcratem jurare ſolitum *per canem*, notum eſt ex *Platone*, in *Apologia*, in *Phædone*, in *Phædro*, in octavo de *Republica* & aliis locis. *per anſerem* etiam juraſſe notat *Porphyrius* lib. 4. περὶ ἀποχῆς &c. Sed & *per lapidem*, beatus *Auguſtinus* initio libri primi *de Vera Religione*. Quod ipſe pertinuiſſe putat ad redarguendam vanitatem idola colentium, quibus melius quodvis animal, immo opus naturæ vel inanimatum, eſſe conſtet. *Lactantius* autem lib.

lib. 3. *de falſa Sapientia* cap. 20. *Socratem* eo nomine acerbe increpat, & hoc feciſse ad religionem cavillandam interpretatur: *Verum idem (Socrates) per canem & anſerem dejerabat. O hominem ſcurram (ut ait Zeno Epicureus) ineptum, perditum, deſperatum, ſi cavillari voluit religionem: dementem, ſi hoc ſerio fecit, ut animal turpiſſimum pro Deo haberet! Quis jam ſuperſtitiones Ægyptiorum audeat reprehendere, quas Socrates Athenis auctoritate confirmavit ſua?* Hæc ibi *Lactantius*, petulanter in philoſophiæ parentem invectus, quod ejus verborum in ea jusjurandi formula ſenſum non perſpiceret. Tanquam enim nihil aliud ſub iis verbis lateret, & cuncta ejus philoſophi dicta ad literam ſumenda eſsent, ad calumniandum cœco furore prorumpit, homo Chriſtianus quidem, & quod ſcripta indicant, non ineruditus alioqui, neque infacundus, ipſo etiam propoſito verendus, ſed, quod ex pluribus librorum ejus locis conſtat, univerſæ philoſophiæ ignarus. Quotusquisque enim ignorat, morem tunc ſapientum fuiſse, ut ſanctiora dogmata ænigmatis velarent. Qui mos uſque ad *Ariſtotelem* obtinuit, qui primus philoſophiam docuit humano ore loqui, tametſi & ipſe obſcurus, orationis brevitate, quam ubique affectat.

Quid igitur *Socrates* ſibi voluit hæc jurandi formula tam inſolenti? *Porphyrius* citato opere περὶ ἀποχῆς, lib. 3. duplicem proponit interpretationem; quæ tamen ad unam eandemque redit. Quippe multo ante *Socratem*, jurasſe Rhadamantum *per canem*, refert, ac Cretenſibus item lege ſancita auctorem fuiſse, ut non modo per canem, ſed etiam per alia omnia promiſcue animalia jurarent. Σωκράτης δὲ καὶ ὤμνυεν κατ᾽ ἀυλῶν (ζώων:) καὶ ἔτι πρὸ ἀυτῦ Ῥαδάμανθυς. & paulo poſt: Κρησὶ δὲ νόμος ἦν Ῥαδαμάνθυος, ὅρκον ἐπάγεσθαι πάντα τὰ ζῶα. ὐδὲ Σωκράτης τὸν κύνα, καὶ τὸν χῆνα ὀμνὺς ἔπαιζεν, ἀλλὰ κατὰ τὸν τῦ

Διὸς

Διὸς καὶ δίκαιον παῖδα ποιεῖτο τὸν ὅρκον. οὐδὲ παίζων ὁμοδούλους αὐτοῦ ἔλεγεν τοὺς κύκνους· αἰνίττεται δὲ καὶ ὁ μῦθος, ὡς ὁμόψυχά ἐστιν ἡμῖν, καὶ χόλῳ μὲν θεῶν μεταβαλεῖν ἐξ ἀνθρώπων εἰς ζῶα· μεταβαλόντας δὲ λοιπὸν ἐλεεῖσθαι καὶ φιλεῖσθαι. id eſt: *Socrates autem & ipſe juravit per animalia: ſed & ante illum Rhadamanthus.* item: *Lex erat Rhadamanthi apud Cretenſes, qua jubebantur dejerare per omnia animalia. Neque Socrates canem & anſerem jurans ludebat, ſed jusjurandum ex filii Jovis & juſti præſcripto concipiebat, neque item ludens idem cycnos conſervos ſuos dicebat. fabula quoque ejusdem nobis animæ conſortes eſſe alias animantes indicat: Deorum autem ira ex hominibus in belluas fuiſſe converſas; neque propterea non amari ab iis, & miſericordiam conſequi.* Quibus locis doctiſſimus philoſophorum (ita *Auguſtinus* appellat) hac jusjurandi formula uſum *Socratem* cenſet, cum ſanctiſſimi legiſlatoris Rhadamanthi auctoritate, quem Jovis filium credebant, tum, ut μετεμψυχώσεως myſterium hoc pacto popularibus inſinuaret. Ita igitur *Porphyrius.*

Alii autem exiſtimarunt, placuiſſe hoc jusjurandum Socrati atque uſurpatum, hoc conſilio, ut cum abſurdum videretur jurare *per canem*, aut quid aliud animalis, hoc modo populares a jurando deterreret, ac non eſſe omnino jurandum obiter inſinuaret. Parum etenim reverens putabat Deum interponi ſermonibus noſtris, ſed & ſuperfluum, cum ſufficiat, quod volumus, ſimpliciter affirmare aut negare. Ita *Appollonius Tyaneus* apud *Philoſtratum.*

Beatus autem *Auguſtinus*, ut jam memini, inductum a *Socrate* id jusjurandi genus contra ſtultum idolorum cultum cenſuit, ea ratione, quam citati libri *de vera Religione* initio explicat, quem locum ſubjungere operæ pretium eſt: *Socrates autem audacior ceteris fuiſſe perhibetur jurando per canem quemlibet, & lapidem quemlibet, & quicquid juraturo eſſet in promptu; & quaſi ad manum occurriſſet. Credo* intelli-

intelligebat qualiacumque opera naturæ, quæ adminiſtrante divina providentia gignerentur, multo quam hominum & quorumlibet opificum eſſe meliora, & ideo divinis honoribus digniora, quam ea, quæ in templis colebantur. Non quod vere lapis & canis eſſent colendæ ſapientibus, ſed ut hoc modo intelligerent; qui poſſent, tanta ſuperſtitione demerſos eſſe homines; ut emergentibus hic eſſet tam turpis demonſtrandus gradus, ad quem rivere ſi puderet, viderent, quanto magis pudendum eſſet, in turpiore conſiſtere. Simul & illos qui mundum iſtum viſibilem, ſummum Deum eſſe opinabantur, admonebat turpitudinis ſuæ: docens eſſe conſequens. ut quilibet lapis, tanquam ſummi Dei particula, jure coleretur. Quod ſi exſecrarentur, mutarent ſententiam, & unum Deum colerent, quem ſolum ſupra mentes noſtras eſſe, & a quo omnem animam & totum iſtum mundum fabricatum eſſe conſtaret. Acute ſane hæc a ſummo Eccleſiæ doctore excogitata juſjurandi illius interpretatio, & *Socrati* perhonorifica, ſi eam mentem habuit, quod non puto. Credo enim & hunc, & *Apollonium*, atque ipſum *Porphyrium* in eo juſjurando aberraſſe a ſcopo.

Principio non iis concedo iſtud, quod pro vero ſumere videntur, *Socratem* indifferenter per omnia animalia juraſſe. Sicut nec certum, quod *Alexander ab Alexandro* tradit, *per quercum* & *platanum* itidem dicta firmaſſe. Semper enim *per canem* jurare hunc invenio apud *Platonem*: etiam apud rerum capitalium judices; in *Apologia*, qua inducitur a *Platone* pro ſe loquens, ſerio utique, ſi unquam alias, quippe in periculo capitis; quod maxime notandum, adverſus eos, qui familiari ironia uſum tali jurejurando putant. Neque enim tam importunus *Socrates* eſſe potuit, aut tam perditus, ut in capitis judicio jocari illi liberet. Quin nec illi omnem *canem* fuiſſe in jusjurando, nedum cuncta naturæ opera, ut putat *Augustinus*, articulus indicat νὴ τὸν κύνα, *per hunc canem.* An igitur & *per anſerem?*

rem? Affirmat *Porphyrius*, alii itidem. ego me apud *Platonem* non memini legere. De *lapide* quidem, quod per hujusmodi naturam non juraverit, conſtare debet. Quis enim veterum ſcriptorum id prodidit, & unde hoc habuit *Auguſtinus?* Fuit quidem Romanorum propria hæc jurandi forma, non Græcorum. nec ſimpliciter autem *lapidem*, ſed *Jovem lapidem* jurabant, *Polybio* teſte, lib. 3. ubi de fœdere, quod Romani cum Carthaginenſibus firmarunt: Τὸν δ' ὅρκον ὀμνύειν ἔδει τοιοῦτον. ἐπὶ μὲν τῶν πρώτων συνθηκῶν, Καρχηδονίους μὲν τοὺς θεοὺς, τοὺς πατρῴους· Ῥωμαίους δὲ Δία λίθον κατά τι παλαιὸν ἔθος &c. i. *Jusjurandum autem hujusmodi dare oportebat. In primo fœdere Carthaginenſes Deos patrios jurarunt: Romani autem Jovem-lapidem ex vetere quadam conſuetudine.* Idem *Livius*, & alii Romanarum rerum ſcriptores teſtantur. Tum *Pharorinus* apud *Gellium* lib. 1. cap. 21. *Jovem lapidem*, *inquit*, (*quod ſanctiſſimum jusjurandum eſt habitum*) *paratus ſum ego jurare*, &c. Hujus & mentio apud *Ciceronem*, in quadam ad Trebatium *epiſtola* lib. 7. *Lilius Gyraldus* in *Syntagmate de Diis*, poſtquam *Jovem Lapidem*, & *Lapideum* inter Jovis cognomina retulit, nec Græcis id nomen in Dei illius cultu ignotum fuiſſe prope modum exiſtimare videtur, quod Athenienſibus mos eſſet ad lapidem quendam ſiſtere, quos adigerent ſacramento: ut notat *Harpocratio ex Demoſthene* κατὰ Κόνωνος· Τὰν τε παρόντων καθ' ἕνα ἡμῖν ὄντωσὶ, καὶ πρὸς τὸν λίθον ἄγοντες, καὶ ἐξορκοῦντες. Sed hic mos nihil ad *Jovem lapidem*. Aliud eſt juraturos adduci ad certum lapidem; aliud *per lapidem* jurare.

Quam etiam afferunt rationem, ea non magnopere urget. nimirum (inquit *Porphyrius*) lex fuit Rhadamanthi, qua jubebantur Cretenſes *jurare per omnia animalia*: Eſto. quid hoc ad *Socratem*: qui Athenienſis, & philoſophus. At metempſychoſim credidit, eandemque naturam eſſe animæ in belluis atque in nobis cenſuit. Non ne-

go. ſed argumentum nimis probat; nam ſi ob fidem metempſychoſeos, non per *unum* tantum *hunc canem*, ſed per quemlibet, & quodvis animal jurare debuit. nunc *per canem* tantum. Quo ipſo & ſuperior *Auguſtini* interpretatio exploditur, tametſi acuta & pia. ſed videndum eſt, ut ſit vera & *Socrati* conveniens. Non enim tam ſtolidi fuerunt, aut Athenienſes aut quivis alius populus gentium, ut ſimulacra ſua atque illas materias, ex quibus fiebant, Deos putarent. ſed eos, quorum effigies & ſimulacra habere volebant. Quare hæc interpretatio ad rem non pertinet. Nec minus falſum, quod addit tale jusjurandum valuiſſe etiam ad eos confutandos, qui mundum hunc viſibilem, ſummum Deum putarent. ceu neceſſe ſit, qui mundum Deum crederent, continuo & eundem ſummum in ordine Deorum putare. Nam & *Plato* (ut alios omittam idem ſentientes) divina anima præditum mundum, eoque Deum credidit: nec tamen ſummum, ſed genitum ab alio, quem δημιουργὸν & πατέρα vocat in *Timæo*, primam ſcilicet mentem, ut docent interpretes. Falſum quoque, ſi mundus ſit Deus, ſequi, ut quilibet lapis ſit colendus homini, qui & ipſe mundi pars eſt, & quidem potior. Cur autem una particula alteram deteriorem colat? non eſt honor neque cultus, niſi adverſus præſtantiorem. Homo autem ſine comparatione melior eſt lapide, & aliis caducis. Verum & aſtra & elementa, ut majorem vim divinitatis habentia, noſtris honoribus non indigna cenſebant.

Cum virorum tantorum conjecturæ non ſatisfaciant, videndum eſt, quid de hoc jusjurando, quod auditu adeo abſurdum & ſapiente indignum videtur, probabilius afferri poſſit. non enim temere ea jurandi formula abuſum *Socratem* putandum eſt. Proponam & ipſe conjecturam meam: ſic exiſtimo, *canis* nomine in eo jusjurando, intellexiſſe *Socratem*, dæmonem illum, quem ducem & cuſtodem

a pueritia ſibi appoſitum fuiſſe, non ſemel fatetur. Qui Dæmon non potuit melius, quam *canis* typo adumbrari. Nam cuſtodiebat *Socratem*, huic perpetuo, tanquam ſatelles, excubabat. Quale officium hominibus præbent canes. Eſt enim *canis*, animal cuſtodiæ domus natum. Præterea *genius* iſte *Socraticus*, ſi quid *Socrates* minus ipſi utile & expediens facturus eſſet, ab incœpto eum retrahebat; quid potius facere deberet, indicabat. Quod ipſum & mire reſpondens ei operæ, quam præſtant canes dominis. cum enim externos allatrant, quid aliud quam inſuetos a familiaribus & amicis diſcernunt, atque hujus herum admonent? ſi quis familiaris accedat, ſilent. *Plato* in ſecundo *de Republica*: Οἶσθα γάρ που τῶν γενναίων κυνῶν, ὅτι τοῦτο φύσει αὐτῶν τὸ ἦθος. πρὸς μὲν τοὺς συνήθεις τε καὶ γνωρίμους, ὡς οἷόν τε πρᾳοτάτους εἶναι. πρὸς δὲ τοὺς ἀγνῶτας τοὐναντίον. i. *Noſti enim generoſi canis hunc a natura morem eſſe, ut adverſus familiares & notos mitiſſimus ſit, contra vero adverſus ignotos.*

Sed & quiddam in canibus philoſophicæ indolis ineſſe *Plato* ibidem advertit: quo etiam *Socrates* reſpexisſe non immerito judicetur. Quod ſcilicet canis ignotos nihil mali ab iis pasſus allatrat, hoc ipſo quod ignoti ſint. Ὃν μὲν ἂν ἴδῃ ἀγνῶτα, χαλεπαίνει, οὐδὲν δὴ κακὸν προσπεπονθώς. ὃν δ' ἂν γνώριμον ἀσπάζεται, κἂν μηδὲν πώποτε ὑπ' αὐτοῦ ἀγαθὸν πεπόνθοι. i. *Quem enim ignotum viderit, graviter fert, etſi nihil mali ab eo ſit perpeſſus: noto autem blanditur, quamvis nihil boni ab eo ſuſceperit.* & paulo poſt: Ἦ, ἦν δ' ἐγὼ, ὄψιν οὐδενὶ ἄλλῳ φίλην καὶ ἔχθραν διακρίνει ἢ τῷ τὴν μὲν καταμαθεῖν, τὴν δὲ ἀγνοῆσαι. καίτοι πῶς οὐκ ἂν φιλομαθὲς εἴη, συνέσει τε καὶ ἀγνοίᾳ, ὁριζόμενον τό τε οἰκεῖον καὶ τὸ ἀλλότριον; & mox: ἀλλὰ μέντοι εἶπον ἐγὼ, τό γε φιλομαθὲς καὶ φιλόσοφον ταὐτόν. i. *Quoniam aſpectum nulla re alia amicum & inimicum diſcernit, quam quod hunc quidem novit, illum autem ignorat. Nonne igitur merito cupidum diſcen-*

diſcendi & ſtudioſum dicatur illud, quod cognitione & ignorantia domeſticum ab extraneo diſcernit? Porro diſcendi ſtudioſus & philoſophus idem. Videtur autem *Plato* ad hanc conſiderationem inductus ab Ægyptiis Theologis, inter quos verſatus fuerat. Quippe his *Mercurium*, *facie* etiam *canina*, ob hanc animalis indolem, cultum fuiſſe refert *Plutarchus* de *Iſide & Oſiride*: Οὐ γὰρ τὸν κύνα κυρίως Ἑρμῆν λέγουσι, ἀλλὰ τοῦ ζώου τὸ φυλακτικὸν, καὶ ἄγρυπνον καὶ τὸ φιλόσοφον φύσει, καὶ ἀγνοίᾳ τὸ φίλον καὶ ἐχθρὸν ὁρίζοντος, ᾗ φησὶν ὁ Πλάτων, τῷ λογιωτάτῳ τῶν θεῶν καθιερούσιν. Quidni igitur *Socrates* vim illam in homine divinam, qua philoſophamur, verum a falſo diſtinguimus, ſcientiam amplectimur, ignorantiam fugimus, jurando *per canem* innuiſſe credamus. Ut non quemlibet *canem*, ſed hunc animæ noſtræ, hoc eſt *rationem* tali imagine intelligamus.

Nam & *canum* odora vis non male profecto rationi humanæ comparetur: *canes* quidem ea vi, hoc eſt narium ſagacitate odorantes veſtigia ferarum, earum cubilia & loca deprehendunt: nos autem ratione pariter ex quibuſdam veſtigiis & ſignis veritatem in occulto latentem indagamus,

Κυνὸς Λακαίνης ὥς τις εὔρινος βάσις.

Et hoc quam *Socratis* propoſito congruens, qui nihil docebat; neque enim ſe aliquid ſcire putabat, ſed ſolum inveſtigabat, quid in omni re magis veritati conſentaneum eſſet, hanc eruere ac proferre in lucem ſtudebat; quodam obſtetricandi officio apud aliorum animos ſe fungi profesſus; neque aliud promittebat. *Canem* autem *Ilithyiæ*, hoc eſt, Deæ, quæ partubus præeſt, Argivorum more ſolitum immolari, *Socratis* ipſius teſtimonio tradit *Plutarchus* in *quæſtionibus Romanis*: Ὥσπερ οὖν οἱ Ἕλληνες τῇ Ἑκάτῃ καὶ τῇ γενειτῇ κύνα Ῥωμαῖοι θύουσιν, ὑπὲρ τῶν οἰκογενῶν. Ἀργείους δὲ Σωκράτης φησι τῇ Εἰλιθυίᾳ κύνα θύειν διὰ τὴν ῥᾳστώνην τῆς λοχείας. *Quemadmodum Græci Hecate & genitali canem*

nem

nem Romani, pro eorum, qui domi naſcuntur ſalute immolant. & Socrates Argivos ait, cane pariter Lucinæ facere, ob facilitatem partus ejus animalis.

Nec vero abſurdum ſit, putare eadem *canis* imagine & conteſtatione, deſignatum a Socrate munus ac provinciam ſibi a Deo demandatam inceſſendi improbos, appetendi ac proſternendi inexorabili violentia rationum, tanquam latratu. unde & poſtea *Cynicis* eum vigorem reprehenſionis profeſſis nomen inditum fuit. Non enim in ſectæ ejus contumeliam inventam hanc illis appellationem crediderim, ſed ab illo propoſito, cum ſe ipſi *canes* eo ſenſu appellare non dubitarent. Quo ſane arbitror ſpectaſſe librum περὶ τȣ̃ κυνὸς, a *Laertio* memoratum inter ſcripta *Antiſthenis*, cui id nomen primo, poſtea & ſectatoribus ejus inditum. Ex titulo enim, quid in libro ageretur, facile intelligi poteſt. Quid autem aliud, niſi hujus nominis interpretationem, qua cauſſa ſibi impoſitum? Et quis dubitat, quin de eo *Socratis* jusjurando ibi in primis diſſereret, qui ejus auditor fuiſſet, & ab ipſo, ut veriſimile eſt, formulæ ejus dejerandi rationem accepiſſet?

Nec eſt, quod quiſquam miretur Socratem animalis ſatis vulgo contempti nomen ſibi, aut Dæmoni ſuo, atque inſtituto impoſuiſſe. Hæc *Socratis* ratio, hic modus fuit; non e ſplendidis, & magnis, ſed communibus, protritis & vulgo notis, ſimilitudines atque argumenta doctrinæ arceſſere: cumque alii fere omnes hac *Maronis* præfatione uti ſoleant:

—— Si parva licet componere magnis,

licuit *Socrati*, ſi præfari vellet; hoc modo convertere:

—— Si magna licet componere parvis.

Ita enim in *Apologia* civitatem Athenienſium magno cuidam & generoſo equo, ſed pigriori; ſe, calcaribus, queis Deus ad illum excitandum uteretur, comparat. Ἐὰν γὰρ με ἀποκτείνητε, οὐ ῥᾳδίως ἄλλον τοιȣ̃τον εὑρήσετε ἀτεχνῶς (εἰ καὶ

καὶ γελοιότερον εἰπεῖν) προσκείμενον τῇ πόλει ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ὥσπερ ἵππῳ μεγάλῳ μὲν καὶ γενναίῳ, ὑπὸ μεγέθους δὲ νωθεστέρῳ, καὶ δεομένῳ ἐγείρεσθαι ὑπὸ μύωπός τινος. i. *Si enim me interfeceritis, haud facile alium talem reperietis, vere quidem, (etſi forte id dictu ridiculum eſt) civitati veſtræ a Deo adhibitum, velut cuipiam magno & generoſo equo, ſed mole ipſa pigriori atque calcaribus excitari indigenti.* Hæc mea ſuper hoc philoſophiæ parentis jusjurando, conjectura eſt; de quo, ſi quis meliora reperit, ſequatur.

CAPUT VIII.

Quid ſit impinguari locuſtam *apud* Salomonem *in* Eccleſiaſte? Panis odium *in valde decrepitis mortis propinquæ ſignum.*

QUod *Socrates* de libro *Heracliti* obſcuriſſimo dixit, huic eſſe opus Delio natatore, pari jure affirmari poteſt de *Eccleſiaſte Salomonis.* Adeo enim plerisque in locis ſenſum involvit, ut, qui hæc tam inenodabilia expedire ſtudeat, morbo animi potius, quam judicio, hujusmodi laborem ſuſcipere videatur. Quia tamen in egregiis inceptis vel conatus laudari ſolet, &, ut proverbio dicitur, in magnis voluiſſe ſat eſt: quando, inquam, pedum viſa eſt via, cum aliis hic inſanire haud pudebit. *Salomonis* verba hæc ſunt de ſupremo vitæ tempore & exitu: *Florebit amygdalus, impinguabitur locuſta, & diſſipabitur capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ.* Heic tria ſunt ænigmata: primum de *canitie* exponunt, quæ *amygdali flore* adumbretur: alii de *mandendi impotentia.* Cum enim decrepiti ſenes dentibus careant, nullum ſolidum cibum,

nedum *amygdalum* ore comminuere atque conficere poſſunt. Tertium quod eſt *capparis diſſipatio*, *appetentiæ* in ultima ætate *exſtinctionem* interpretantur. utrumque probabili ſatis conjectura. In ſecundo autem, de *locuſtæ bona habitudine & mole*, nemo mihi, ne ipſe quidem *Hieronymus* vir doctiſſimus ſatisfacit. verba, quæ ad rem pertinent, adſcribere placet: *Per metaphoram* (inquit) *etiam nunc de membris hominis Eccleſiaſtæ ſermo eſt: quod cum ſenectus advenerit, capillus incanuerit, tumuerint pedes, libido refrixerit, & homo morte fuerit diſſolutus, tunc revertetur in terram ſuam, & in domum æternitatis ſuæ.* Idem rurſus, de *locuſta*, quam Hebræi *chagab* vocant, voce ambigua, ſic: *Indicat ſenum crura tumentia, & podagræ tumoribus prægravata. Non quod omnibus ſenibus hoc fiat, ſed quod plerumque accidat, συνεκδοχικῶς, a parte, id quod totum eſt, appelletur.*

Hieronymum alii fere omnes ſequuntur, præter *Valeſium*, medicum inter recentiores non incelebrem, qui in libro de *Sacra philoſophia* aliam affert interpretationem: quam item ſubjungere viſum eſt, ut judicet lector: *De marina locuſta intelligi debet: ea eſt in animalibus oſtracodermis, hoc eſt teſtacea cruſta tectis. Senibus ob ſiccitatem ſiccatur, dureſcitque cutis, ac proinde locuſtis conferuntur. Perindeque eſt, dicere impinguabitur locuſta, ac ſi diceret, creſcet calloſa durities in cute, quaſi locuſtæ cruſta fiat.* Neutri accedo. non *Hieronymo*, *pedum ſenilium tumorem* interpretanti, quod multos ſenes eo morbo affligi contingat: atqui & multos nondum ſenes eo prehendi conſtat. Pueris enim exceptis, quos *Hippocrates* in *Aphoriſmis* παιδαγωγεῖν negat, ceteras ætates, ubi cauſſa in corpore ſubeſt, infeſtat. Præterea quot alia incommoda non minus gravia ſenectutem premunt? quæ ergo ratio eſt, cur ceteris prætermiſſis una *podagra* memoretur? Tum *Hieronymus* non videt, non de morbis loqui *Salomonem*, qui ſæpius quidem ſenectutem

tem, quam alias ætates infeſtant, tamen abeſſe poſſunt, ſed de incommodis, quæ neceſſario & inevitabiliter morti proximos, & ſilicernia ipſa comitantur; quod genus eſt, oculorum caligo, ſurditas, inermes gingivæ, ſtomachi marcor & appetitus proſtratio, & alia id genus, quæ nemo eorum, quos ſenectus ad mortem ducit, vitare poteſt, quia fatali naturæ prolapſu ac ſorte mortalium trahuntur. Poſtremo, quid *locuſta* cum *pedum tumore?* vellem mihi hujus analogiæ ac ſimilitudinis rationem explicari.

Sed neque aſſentior *Valeſio* ibi *nitorem locuſtæ* in cutis ſiccioris calloſæ argumentum trahenti. Quæ tanta, cutis humanæ durities eſſe poteſt, ut ſit comparanda cum munimento eorum aquatilium, quæ quod *cutem* inſtar *teſtæ* ſolidam habent, Græcis ὀςρακόδερμα dicuntur. Scio animam apud *Platonem* corpori concreto alligatam dici, haud aliter, atque oſtrea ſuæ eſt teſtæ affixa. Sed non ibi eſt ſimilitudo, quod teſtæ proprium, in ariditate & duritia terreſtri, ſed in adhæſu animæ ad corpus caducum, ut non minus carni alligata intelligatur. Præterea vix *locuſtæ* nomen ſine additione poſitum de alia, niſi de terreſtri intelligitur: ſi de marina erat ſermo, epithetum additum oportuit. Quam porro inſolens, improbum & portentoſum dicendi genus, *pinguem fieri locuſtam*, ut intelligatur *humanam cutem ſiccari*, ac *nimia ſiccitate dureſcere in callum.* An qui ſic loqui inſtituat, hominem eſſe, aut velle intelligi credamus, ac non potius abuti oratione & nugari?

Quid eſt igitur ibi *impinguari locuſtam?* vera expoſitio petenda a maleficio ejus inſecti, cum agminatim in aliquam regionem ſe convertit: atque agris incumbit. Segetes enim irremediabiliter vaſtat, ac meſſium ſpem prorſus omnem intercipit; ex quo neceſſe eſt famem non multo poſt conſequi, hominesque frugum inopia tabeſcere,

S 5 cum

cum tunc *locuſtæ* pabuli ubertate gliſcant multum, ac mole augeantur. Hinc lux *Salomoni*. Nam cum ſenes eo imbecillitatis proceſſerunt, ut ne panem quidem, maxime familiare homini alimentum, uſurpare poſſint, ſed ipſum cum aliis cibis averſentur; tunc profecto iis, eorumque reſpectu *locuſtæ impinguari* dici poſſunt. Perinde enim cerealis alimenti ope ac ſubſidio carent, ac ſi plane locuſtarum exercitus agros vaſtaſſet: parum quippe intereſt, quod ad corporis refectionem attinet, aliquis pane omnino careat, an habens, uti non poſſit.

Quod hæc recta ſit *Salomonici* ænigmatis interpretatio, alius ejusdem in *proverbiis* locus indicat cap. 22. *Dicit piger, leo eſt foris, in medio platearum occidendus ſum.* in eum, qui præ ſocordia & mollitie ſic tecto excedere metuit, ac ſi foris viæ omnes leonibus infeſtæ eſſent. Non abſimiles & apud exteros ſcriptores figuræ occurrunt. De *panis* odio, in iis, quos longa ætas metæ admovit, conſtat experientia; meminique me legere in vita monachi illius clari, quem ſua lingua Itali *Fra Polo* vocant, hunc lento morbo deficientem paulo ante obitum tale odium panis percepiſſe, ut ne aſpectum quidem ejus ferre poſſet. Quo ſigno, ut mentis ad ultimum compos, ſe morti proximum ipſe intellexiſſe dicitur. Nec immerito: nam quemadmodum homo benevalens, nullo libentius cibo, cum eſurit, veſcitur, quam pane, hujusque ſolius alimenti conſuetudo nunquam offendit, quo eſſe familiariſſimum homini intelligitur; ſic corpore in contrarium ei, qui ſecundum naturam, ſtatum prolapſo, atque alienato, neceſſe eſt eum cibum, qui naturæ incolumi ſit gratiſſimus, proſtratæ fieri odioſiſſimum. Quem extremum in ſene decrepito virium defectum hoc *pingueſcentis locuſtæ* ænigmate adumbratum a *Salomone* putamus.

CAPUT IX.

Animadverſa quædam in Maronis Eclogis, *de cicadarum & ruminantium ingenio.*

SUnt qui *Maronem* nunquam, niſi rebus prolatis in manus ſumunt, ut verſuum modulamine, picturis verborum atque elegantia fictionum vacuam mentem paſcant: itaque non mirum eſt, ſi nihil expiſcantur. Atqui multa eximia in carmine ejus paſſim occurrunt, quæ niſi exercitatus lector & attentus deprehendat, ut cum in 2. *Ecloga* cicadarum hunc in modum mentionem facit:

At mecum raucis, tua dum veſtigia luſtro,
Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis.

Et in 3. *Georgic.*

Et cantu querulæ rumpent arbuſta cicadæ.

Non enim temere *cicadas* inter *arbuſta canere* facit, ſed naturæ earum beſtiolarum, ut aliorum animalium, peritus, hanc obiter indicat: nam calore iis opus eſt, & quidem non languido, ut cum cantum edant, ſed qualem Sol propior & meridianus reddit; unde *ſub ardenti Sole* dicit: ſed ſi locus, in quo ſunt, opacus eſſet arboribus, nec ſub Sole meridiano & ardenti canere poſſent, quia denſitas ramorum radios facile excludit, nec ſolum calorem temperat, ſed etiam frigus inducit. Itaque inter *arbuſta* eas conſtituit. Eſt enim *arbuſtum* rei ruſticæ auctoribus, locus arboribus conſitus vitis maritandæ cauſſa, ita ut arbores invicem diſtent non minore intervallo, quam pedum quadraginta, ne propius aſſitæ denſiorem umbram efficiant. *Columel. de Arboribus* cap. 16. *Arbuſtum* (inquit) *inter quadragenos pedes diſpoſitum eſſe convenit: ſic enim & ipſæ*

arbores

arbores, & appoſitæ vites melius convaleſcent, fructumque meliorem dabunt. Segetes etiam quæ in eo erunt, minus umbra laborabunt. Hoc ſenſu ajo *Maronem* uſurpaſſe *arbuſtum* iis locis. Quod autem *cicadæ* hujuſmodi locis gaudeant, quæ neque arboribus prorſus carent, neque multis & frequentibus opacentur, expreſſe *Ariſtoteles* notat lib. 5. *hiſtoriarum* cap. 30. Οὐ γίνονται δὲ τέττιγες, ὅπου δένδρα μή ἐστι. διὸ καὶ ἐν Κυρήνῃ οὐ γίνονται ἐν τῷ πεδίῳ. περὶ δὲ τὴν πόλιν πολλοί. μάλιστα δὲ οὗ ἐλαῖαι, ὅτι οὐ γίνονται πολύσκιοι. ἐν γὰρ τοῖς ψυχροῖς οὐ γίνονται τέττιγες. διὸ οὐδὲ ἐν τοῖς εὐσκίοις ἄλσεσιν. i. *Naſci non poſſunt cicadæ, ubi arbores deſunt: quocirca apud Cyrenas, nullæ in campo ſunt, cum circa oppidum ipſum multæ proveniant. oleas maxime amant, ut minus umbroſas. loca enim frigidiora aſpernantur: quamobrem in opacis nemoribus eſſe nequeunt.* Quibus verbis ne naſci quidem in umbroſis locis cicadas dicit. *Euſtathius* autem in comment. ad *Dionyſii* περιήγησιν naſci quidem, ſed non eſſe vocales, ut apud Locros eos, qui Ozolæ dicti ſunt: apud Epizephyrios, qui agrum Rhegienſem incolunt, vocales eſſe: ſola loci conditione, quæ dicta eſt, diſcrimen faciente. Ἴδιον δὲ τοῦ τόπου τούτου, ὅτι οἱ μὲν ἐν τῇ τῶν Λοκρῶν τούτων (Ἐπιζεφυρίων) περαίᾳ τέττιγες φθέγγονται, οἱ δὲ ἄλλοι ἄφωνοι εἰσίν. αἴτιον δὲ τοῦ συμπτώματος τούτου λέγεται, ὅτι ἐπὶ θάτερα μὲν ὁλόσκιον, φασὶ, τὸ χωρίον ἐστὶν, ὥστε ψυχροὺς καὶ ἐνδρόσους ὄντας τοὺς τέττιγας μὴ ἔχειν διαστέλλειν τὰς ὑμένας καὶ ἦχον ποιεῖν. τοῖς δὲ ἐν τῇ περαίᾳ τέττιξι, διὰ τὸ ἡλιάζεσθαι, ξηροὺς καὶ κερατώδεις εἶναι τοὺς ὑμένας, ὥστε εὐφυῶς ἐκπέμπεσθαι τὸν φθόγγον. i. *Hujus loci proprium eſt, quod cicadæ in ulteriore horum Locrorum regione canoræ ſunt, aliæ vero mutæ. cauſſa hujus eventus cenſetur: quia totus ad alteram partem locus umbroſus eſt, quo fit, ut cicadæ frigidas & rorulentas membranas diducere non poſſint ad ſonum edendum. Quæ autem ultra verſus occaſum ſunt, cum ſiccas & corneas habeant membranas, plenam reſonandi facultatem nanciſcuntur.* Ex his igitur *Maronis*

ronis, in indicando obiter in his verſibus *cicadarum* ingenio, dexteritas intelligi poteſt.

Non minor ejuſdem, in perſpiciendis animalium naturis atque innuendis, dexteritas apparet in ſexta *Ecloga*, his verſibus:

Ah! virgo infelix, tu nunc in montibus erras:
Ille latus niveum molli fultus hyacintho,
Ilice ſub nigra pallentes ruminat herbas.

De Paſiphae Minois uxore & tauro, quem adamaſſe ad coitum uſque dicitur, hæc canit: cur autem hunc taurum *latus molli fultum hiacyntho ruminare* dicat, nemo requirit; neque aliud quiſqam in iis verbis, niſi animalis decumbentis ſitum cogitat. ceterum peritiſſimus hiſtoriæ animalium vates, ad iſtorum, quæ ruminant, quandam proprietatem reſpexit, ab *Ariſtotele* notatam in nono *hiſtoriarum* capite ultimo his verbis: Πάντα δὲ κατακείμενα μηρυκάζουσι μᾶλλον. *Jacent potiſſimum, cum ruminant omnia.* Non quia nunquam ſtantia ruminant, ſed quia magis & ſæpius jacentia, ut natura intelligatur. Ita igitur *Cæſar Scaliger* in *commentario* ad hunc locum *Ariſtotelis*: *Et dixit* μᾶλλον, *quia etiam ſtantia: adeo ut bos etiam ad plauſtrum vinctus decumbat, ut ruminet: licet non ſemper.* Hanc indolem ajo *Maronem* cruditis, in tauro illo, quem *ruminantem* deſcribit, contemplandum dediſſe. Quamobrem autem ea animalia ſe humi ad pabulum ruminandum componant, *Fabricius ab Aquapendente* ſolers operum naturæ indagator, & myſteriorum epopta declarat, in eo libro quem *de ventriculorum varietate* compoſuit; cujus verba, quia animadverſionem noſtram confirmant, lucem Latinorum poëtarum principi non mediocrem afferunt, tum (quo nihil erectis ingeniis jucundius) naturæ in captandis ad quodvis officii genus, in ordine etiam beſtiarum opportunitatibus ſollicitudinem, & providentiam demonſtrant, ſubjungere viſum eſt: *Ultimo hoc loco quæ-*

quaritur a quibuſdam, cur animalia plerumque jacendo ad ruminandum ſeſe accommodent, cum tamen eodem modo, quo cibum in os ingeſſerunt, eundem quoque regerere poſſe videantur? dicendum eſſe arbitror, quod natura hunc motum ruminationis, qui a corpore gravi contra ſuam naturam, fieri ſurſum apparet, evitare, ejuſque violentiam utcunque moderari voluerit; id quod magis jacendo, quam ſtando non incommode præſtare poterat. Hoc enim modo cibus longe cum minori difficultate aſcendere cogitur, nec tam alte in os compulſus trahitur: quam facilitatem adhuc non parum ipſe decubitus, quo ſemper in alterum latus animalia decumbunt, adjuvare videtur. Sic enim via, per quam cibus ſurſum regeritur, declivior & commodior fit, & longe minori cum labore & conatu cibus in os propellitur, quam ſi ſtando vel incedendo ruminatio perageretur.

CAPUT X.

Ejuſdem in paſtoralis pedi *deſcriptione cura apprime bucolico carmini congruens, tum alia obiter animadverſa.*

LOcus exſtat in 5. *Ecloga*:

> *At tu ſume pedum (quod, me cum ſæpe rogaret*
> *Non tulit Antigenes, & erat tum dignus amari)*
> *Formoſum paribus nodis atque ære, Menalca.*

Et in re tam tenui *Maronis* ingenium & eruditio elucet: Nam & *Theophraſtus* in primo *de Hiſtoriis Plantarum*, laudatam olim in arboribus nodorum paritatem & æqualem inter ſe diſtantiam teſtatur: Εἰσὶ δὲ (inquit) τῶν μὲν ἄ-
τακτοι,

τακτοὶ, καὶ ὡς ἔτυχεν, οἱ ὄζοι· τῶν δὲ τεταγμένοι, καὶ τῷ διαστήματι καὶ τῷ πλήθει, καθάπερ εἴρηται. διὸ καὶ ἀξιολογώτατα ταῦτα καλοῦσι, ſupple δένδρα. i. *Quibusdam nodi inordinati utque forte evenit: quibusdam ordinati, tam intervallo, quam numero, ut dictum eſt. Ob id eas (arbores) egregias vocant.* Qoud autem *nodis & ære formoſum* dicit, an eadem dictum ſit figura, qua alibi, *pateris libamus & auro*, pro *pateris aureis*; ut *nodi ærei* intelligantur clavi, eo, quod nodos repræſentent, ambigi poteſt. Nam & ſcipiones æreis clavis diſtingui ſolitos, clavæ nomen indicat. *Athenæus* lib. XI. cap. 12. Ἐμφαίνεται γὰρ, ὡς τῶν ἥλων ἐμπεπερονημένων καθάπερ ἐπὶ τῶν ῥοπάλων. quo loco & artem illam clavos in ſceptris & clavis figendi ἐμπαιστικὴν vocat. Tale Achillis ſceptrum deſcribit *Homerus* in I. *Iliad.*

> Ὣς φάτο χωόμενος, ποτὶ δὲ σκῆπτρον βάλε γαίῃ
> Χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον.

Sed cum hæc clavorum æreorum in pedo diſtinctio ſumptuoſior videatur, quam paſtorum ſimplicitati convenit, naturales ligni nodos malim interpretari, æs autem imam baculi partem in ſibynis haſtis Græci οὐρίαχον & σαυρωτῆρα vocant.

In eadem *ecloga*:

> *Pocula bina novo ſpumantia lacte quotannis,*
> *Craterasque duos ſtatuam*, &c.

Spumantia dicit *pocula*, quæ ſunt liquore plena & redundantia, non autem, quæ ſpumam in ſummo habent. locutio ſatis frequens apud poëtas, atque ipſum *Maronem*: ita enim & in 2. *Georgic.*

> ——— *Spumat plenis vindemia labris.*

& in primo magni operis:

> ——— *Ille impiger hauſit*
> *Spumantem pateram & pleno ſe proluit auro.*

ubi *ſpumantem* ipſe exponit *plenam*. Hoc ſenſu & Græci ἀφρῶδες interdum uſurpant. unde quidam *Aphoriſmum Hippo-*

Hippocratis 13. ſect. 5. hoc modo accipiebant: Ὁκόσοι αἷμα ἀφρῶδες ἀναπλύουσι, τουτέοισιν ἐκ τοῦ πνεύμονος ἡ τοιαύτη ἀναγωγὴ γίνεται. i. *Qui ſanguinem ſpumoſum exſpuunt, his e pulmone is ſanguis educitur. Galenus* in *comment.* Καὶ τινές γε τὴν ἐξήγησιν αὐτοῦ ποιούμενοι, πλῆθος ἐνδεικνῦσθαι φασὶ τοὔνομα. καὶ διὰ τοῦτο ἀπὸ τοῦ κυρίου μετενήνεχθαι. i. *Nonnulli in hujus expoſitione, id nominis* (ἀφρῶδες) *ajunt multitudinem indicare: atque ita tranſlatum eſſe a propria ſignificatione.* Hanc quidem expoſitionem non probat *Galenus*, & ibi refellit, ſed tamen ex ipſa intelligitur, id quod dixi, *ſpumans ſpumoſumque* idem interdum Græcis ſignificare, quod *abundans* & *plenum.*

CAPUT XI.

Virgilii *&* Theophraſti *loca, de* malo medica, *comparantur; videri* Theophraſti *codicem in ejus arboris deſcriptione mutilum: ſuppletur ex* Athenæo. *de* mali medici *uſu olim ad emendandum oris fœtorem apud Medos.*

MEdicæ arboris deſcriptio hujusmodi exſtat apud *Maronem* in 2. *Georgic.*

Media fert triſtes ſuccos, tardumque ſaporem
Felicis mali: quo non præſentius ullum,
Pocula ſi quando ſævæ infecere novercæ,
Miſcueruntque herbas, & non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipſa ingens arbos faciemque ſimillima lauro:
Et ſi non alium late jactaret odorem,

Laurus

Laurus erat: folia haud ullis labentia ventis:
Flos apprime tenax: animas & olentia Medi
Ora fovent illo, & ſenibus medicantur anhelis.

In qua deſcriptione folia ejus, *lauri* foliis comparat: *Theophraſtus* autem lib. & capite 4. *de hiſtoria plantarum*, eandem arborem deſcribens, ſimilia hujus folia eſſe dicit foliis ἀνδράχνης, vel, ut emendat *Matthiolus*, ἀδράχνης, quod eſt nomen arboris *unedoni* ſimilis: cum ἀνδράχνη, herbam ſignificet, quam nos *portulacam* vocamus. ſumpta autem a *Plinio* eſt hæc emendatio: qui eo nomine Græcos reprehendit lib. 13. cap. 22. *Adrachen omnes fere Græci portulacæ nomine interpretantur; cum illa ſit herba, & andrachne vocetur unius literæ diverſitate. Ceterum Adrachne eſt ſilveſtris arbor* &c. Ita igitur *Theophraſtus* de Medica arbore: Ἥ τε Μηδία χώρα καὶ Περσὶς, ἄλλα τε ἔχει πλείω, καὶ τὸ μῆλον τὸ Μηδικὸν, καὶ τὸ Περσικὸν καλούμενον. ἔχει δὲ τὸ δένδρον τοῦτο φύλλον μὲν ὅμοιον καὶ σχεδὸν, ἴσον τῷ τῆς ἀνδράχνης. ἀκάνθας δὲ οἵας ἄπιος, ἢ ὀξυάκανθος. λείας δὲ καὶ ὀξείας σφόδρα καὶ ἰσχυράς· τὸ δὲ μῆλον οὐκ ἐσθίεται μὲν, εὔοσμον δὲ πάνυ. καὶ αὐτὸ τὸ φύλλον τοῦ δένδρου, κἂν εἰς ἱμάτια τεθῇ τις τὸ μῆλον ἄκοπα διατηρεῖ. χρήσιμον δὲ, ἐπειδὰν τύχῃ πεπωκώς τις φάρμακον, ἢ πρὸς στόματος εὐωδίαν. ἐὰν γάρ τις ἑψήσας ἐν τῷ ζωμῷ ἢ ἐν ἄλλῳ τινὶ, τὸ ἔσωθεν τοῦ μήλου ἐκπιέσῃ εἰς τὸ στόμα καὶ καταῤῥοφήσῃ, ποιεῖ τὴν ὀσμὴν ἡδείαν. i. *Media provincia & Perſis, cum alia plura, tum malum, quam Medicam & Perſicam vocant. Habet autem hæc arbor folium ſimile & pene æquale, atque andrachne* (Gaza portulacam perperam vertit:) *aculeos quales pirus, aut ſpina acuta, ſed læves, ſed admodum acutos, & validos. Pomum ejus non manditur, ſed odore præcellit, nec non & folium arboris odoratiſſimum eſt. Et ſi inter veſtes pomum ponatur, inoffenſas conſervat. Utile & cum medicinam mortiferam quis biberit; vel ad oris ſuavem olentiam: quippe ſi quis interna pomi in jure aut aliquo humore concocta in os expreſſerit, digeſſeritque, ſuavem halitum red-*

 det.

der. Ad hunc modum de forma arboris, & pomi uſu *Theophraſtus*. A quo mutuatum, quæ de eadem dicit, *Maronem*, utriuſque loci collatio indicat. Niſi quod *Virgilius*, *lauri* foliis; *Theophraſtus*, *andraches* arboris, folia ejus comparat. Quod quanquam in re diſcrimen non facit, ſi folia utraque arbor, laurus, inquam, & andrachne ſimilia habeat; non mihi tamen veriſimile fit, *Maronem lauri* in hac deſcriptione mentionem facturum fuiſſe, niſi apud *Theophraſtum* legiſſet. Ex quo non immerito aliquis ſuſpicetur, mutilum eſſe hunc *Theophraſti* locum, & quædam contextui verba deeſſe.

Hæc igitur cum mihi primum ſuſpicio objecta eſſet, poſtea *Athenæi* opus Δειπνοσοφιςῶν legens, inveni hunc ipſum *Theophraſti* locum plenius & integre expreſſum libro 3. cap. 7. hunc in modum: Ἡ δὲ Μηδία χώρα, καὶ ἡ Περσὶς ἄλλα ἔχει πλείω, καὶ τὸ μῆλον τὸ Περσικὸν, ἢ Μηδικὸν καλούμενον. ἔχει δὲ τὸ δένδρον τοῦτο φύλλον μὲν ὅμοιον καὶ σχεδὸν ἴσον τῷ τῆς δάφνης, ἀνδράχνης, καρύας.. Cetera eadem; niſi quod ubi de uſu pomi adverſus venena, addit quædam, quæ non habentur in noſtris *Theophraſti* editionibus: Χρήσιμον δὲ ἐπειδὰν καὶ τύχῃ τις πεπωκὼς θανάσιμον φάρμακον· δοθὲν γὰρ ἐν οἴνῳ, διακόπτει τὴν κοιλίαν, καὶ ἐξάγει τὸ φάρμακον. Quod ergo melior hæc ſit lectio hujus loci *Theophraſti*, quam nobis *Athenæus* exhibuit; quippe integra, locus hic *Maronis* indicat. Sed & noſtram ſuſpicionem de mutilis *Theophraſti* exemplaribus, vanam non fuiſſe indidem apparet.

Quod ad *graveolentia Medorum ora* attinet; nihil hujus expreſſum habemus hoc quidem loco, apud *Theophraſtum*; neque ex ejus verbis ſequitur. Nam citra hoc vitium, poteſt aliquis velle bonum ſpiritus odorem quopiam medicamento ſibi conciliare deliciarum cauſſa. Sed tamen veriſimile, nec ſine auctoritate a *Marone* dictum ex *Plinii* verbis, lib. 13. cap. 1. ubi de unguentorum inventione diſſerit: *Perſa-*

Perſarum (inquit) *eſſe debet gentis unguentum. Illi madent eo, & arceſſita commendatione ingluvie natum virus exſtinguunt.* Quibus enim corpus ab ingluvie viroſum; quanto magis *os graveolens* ob eandem cauſſam.

CAPUT XII.

Servii Grammatici *ſupinitas in verbis* Plinii *citandis, pudendus ejusdem error de leonum natura.*

DOctus ille *Virgilii* interpres hunc verſum explicans libri 3.

Et juncti currum dominæ ſubiere leones.

fabulam de Hippomene & Atalanta recitat, quæ omnibus nota eſt. Sed quod ad rem pertinet, de eorum ſcilicet metamorphoſi in *leones*, ipſius verbis ſubjungere viſum eſt. *Hippomenes* (inquit) *potitus victoria: in luco matris Deum, amoris impatientia, cum victa concubuit. Unde irata Dea in leones, eos convertit: & ſuo currui ſubjugavit: & præcepit ne ſecum unquam leones coirent. Nam & Plinius in naturali hiſtoria dicit leonem cum parda, & pardum cum leæna concumbere.* Quibus verbis non ſolum rem falſiſſimam pro vera affert, ſed etiam a *Plinio* proditam mentitur. Neque enim quiſquam aliud ex hoc *Servii* loco in animum inducat, niſi *Plinium* putaſſe ac ſcriptis prodidiſſe *leones inter ſe non coire.* Quod tantum abeſt, ut illi in mentem venerit, ut contra; leonem comperto ex odore leænæ adulterio prorumpere in ultionem dicat. Ac primum, quod leones ex leone concipiantur, expreſſe initio capitis illius 16. lib. 8. de Leonibus tradit: *Leoni* (inquit) *præcipua generoſitas, tunc cum colla armosque veſtiunt jubæ. Id enim ætate contingit e leone conceptis.*

Quos vero pardi generavere, ſemper inſigni hoc carent: ſimili modo femina. Ibi clare e leone conceptos ab aliis pardi coitu genitis diſtinguit. Infra autem paulo poſt, quod de Leænæ adulterio dictum eſt, his verbis confirmat: *Odore pardi coitum ſentit in adultera leo, totaque vi conſurgit in pœnam.*

CAPUT XIII.

De fictionibus poëtarum, *quales eſſe debeant?* Servii *de iis monitum. De miſerando Laocoontis & filiorum ejus interitu fictio explicatur.*

NUllam eſſe poëſim ſine fictione, & *Socrates* apud *Platonem* in *Phædone* ſciſcit, & *Ariſtoteles* in *Poëtica* confirmat. Sed non quævis fictio fabulave ad poëtæ inſtitutum facit, ſed quæ erudita eſt, & aliquid ſcitu dignum tegit, aut ad veritatem alludit. Hac fine præſcriptoque, fingat ſane poëta, & miraculis lectorum mentes detineat. nebulas autem Helicone ne legat, neve in eam amentiam prolabatur, ut putet ſibi quidvis fingere & garrire licitum eſſe, aut pueriles nænias & anilia deliramenta in Muſarum ſacraria introducere. Nam, ut *Horatius* in *Arte* ait,

Aut prodeſſe volunt, aut delectare poetæ.

inanes igitur fabulas nihil prodeſſe palam eſt, ſed neque delectare poſſunt. Quę enim voluptas ex meris nugis capi poteſt? niſi forte aniculis & pueris, qui nondum ære lavantur. cordatis quidem viris nihil placere poteſt, niſi quod aut plane ſit verum, aut ad verum ducat. Tales ſunt fabulæ ſapientum; tales & magnorum poëtarum, quæ ideo figuræ potius & ſimulacra veritatis, quam mendacia dici debent. Hęc quo-

quoque ſummi theologi *Auguſtini* ſententia eſt, in libro *de quæſt. Evangelic.* cap. ultimo, quem ſequitur *Thomas* in 3. part. quæſt. 55. artic. 4. *Auguſtini* verba hæc ſunt: *Non omne, quod fingimus, mendacium eſt, ſed quando illud fingimus, quod nihil ſignificat, tunc eſt mendacium. Cum autem fictio noſtra refertur ad aliquam ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis. Alioqui omnia, quæ a ſapientibus, & ſanctis viris, vel etiam ab ipſo domino figurate dicta ſunt, mendacia deputabuntur.*

Atque hoc quidem *Auguſtinus* more ſuo acute & ſapienter. Verum quia pauci illud, quod ſub fabulis latet, verum deprehendere poſſunt, ideo vulgo creditur nihil aliud poëtas, quam aurium voluptati ſtudere, eorum opera epulas eſſe otioſorum. At enimvero *Servius* in 3. *Æneidos*, fictionem illam haſtilium e Polydori cadavere germinantium detortam eſſe ab hiſtoria Romana oſtendit. *Traxit* (inquit) *hoc de hiſtoria Romana: nam Romulus captato augurio haſtam de Aventino monte in palatium jecit: quæ fixa frondu it, & arborem fecit.* Tum hoc ſalubre dat præceptum de fictionibus poëticis: *Vituperabile enim eſt, poetam aliquid fingere, quod penitus a veritate diſcedat.* Sed & huic ſententiæ ſubſcribit *Tzetzes, commentario in Heſiodum*, ubi fabulam omnem legitimi poëmatis, quæque poëtam conſtituat, oportere eſſe allegoricam docet. Ita ut tribus modis quos ibidem tradit, exponi poſſit: nempe ςοιχειωματικῶς, ψυχικῶς, ῥηθορικῶς καὶ πραγματικῶς. primi modi exemplum ponit, cum *Veſta* exponitur eſſe *terra*; *Vulcanus, ignis*: alterius modi, ſi quis apud *Heſiodum* ignem, quem Prometheus Jovi furatus dicitur, *vitam* eſſe *intellectualem* dicat. Tertii, cum hanc ipſam fabulam *de ignis inventione* accipimus.

Iſtud igitur & *Maronem* omnis poëticæ laudis regulam, ſecutum reperiet, quiſquis ſatis ingenii & eruditionis habebit, ad profunda ejus ſcrutanda: cujus exemplum in-

ſigne, ſed nulli animadverſum ſubjungere viſum eſt ex 2. *Æneid.* ubi de morte Laocoontis & filiorum, quos a duobus ſerpentibus correptos, eorumque morſibus pereuntes inducit. Fabula autem eſt ejusmodi. Cum Trojani Sinonis fraude inducti, immane illud equi ſimulacrum in urbem illaturi viderentur, quod Sinon illud ex voto Minervæ ſacratum diceret, Lacoon Neptuni ſacerdos ſorte ductus ſuſpicās fraudem, machinæ illi haſtam intorquet, ſtatimque duo angues ingentes a Tenedo, & exercitu Græcorum per medium mare allabi cernuntur, qui terræ appulſi Laocoontem invadunt, cum duobus filiis & miſere necant. Hinc ad Minervæ arcem & delubrum fuga ſe proripiunt, inibique ſub pedibus Deæ, clypeique orbe protecti ſervantur. Noti ſunt verſus quibus id poëta exponit. Tametſi vero *Servius* re vera hoc Laocoonti accidiſſe ex *Euphorione* refert: quod piaculum contraxiſſet, coeundo cum uxore ante ſimulacrum numinis, veriſimilius tamen eſt, a *Marone* hoc totum fuiſſe inventum, ac pro machina inductum, qua dignum vindice nodum explicaret, quomodo videlicet auſi ſint Trojani tam enormem & concavam ſimulacri compagem transferre in urbem: Sane enim fidem omnem ſuperat, nihil eos ſuſpicatos mali latere ſub tanta mole, uno Laocoonte excepto. Non ſaltem tam opportune monenti auſcultare. Nec minus incredibile, ſacerdotem ad aras ſolennes ſacrificantem, in tanto hominum, ut par eſt credere, conventu corripi a ſerpentibus, neminem ex eo numero exiſtere, qui Sacerdoti in tali neceſſitate ſuppetias ferat, vel certe qui ulciſcatur, per mediam turbam ſacrilegas beſtias ſini impune ad Minervæ aſylum confugere. Jam quod de piaculo addunt, tam fabuloſum credi debet, quam quod iidem poëtæ ajunt, Hippomenem & Atalantam uxorem ira numinum in leones converſos, in quorum templo concubuiſſent: quomodo igitur poſtea clandeſtinum facinus, inter virum & uxo-

rem tranſactum in hominum notitiam pervenire potuit? Ab aliquo Deorum revelante? tanto igitur magis fabuloſum.

Hoc ergo poſito, quod veriſimilius, ficta eſſe hæc, quæ ibi de Laocoonte narrantur, *Maronis* in eo figmento eruditionem & ingenium, ab hiſtoriis Græcorum arceſſentis argumenta, oſtendere operæ pretium eſt. Principio quærendum cenſeo, quamobrem hos ſerpentes ſive angues a Tenedo proficiſci faciat? Deinde cur patrato facinore, ad Minervæ aſylum confugere? Hæc ſilentio præterita a viris doctis, tanquam nihil habentia conſideratione dignum, & temere inducta equidem miror: quæ quanto conſilio in hunc modum compoſuerit poëtarum princeps, explicare hoc loco inſtitui. Noſſe igitur convenit ex hiſtoria illa belli Trojani, Minervam pro Græcis contra Trojanos ſtetiſſe. Ita enim poëtarum omnium monumentis, qui ejus belli mentionem fecerunt, proditum eſt. Quod & Naſonis confirmat verſiculus in elegiis:

Æqua Venus Teucris: Pallas inqua fuit.

Conſtat etiam ex eadem hiſtoria, *Palladium*, hoc eſt, ejusdem Deæ ſimulacrum Διοπετὲς, quod Trojæ in arce aſſervabatur, a Græcis furto ſublatum fuiſſe, Diomede ſcilicet & Ulyſſe, *ſumma cæſis cuſtodibus arcis*, ut ibidem dicitur. Notandum inſuper, effigiem iſtam Aſiatici imperii pignus, tunc fuiſſe in exercitu Græcorum ad Tenedum inſulam. Poſtremo, quod his conſequens eſt, faviſſe Minervam Græcorum artibus, atque illi ſtrophæ, quæ hic narratur. Quid enim aliud Minerva eſt, niſi vis mentis & ſolertia Græcorum propria? Ex his jam ad eorum, quæ propoſui, explicationem venio.

Duo angues a Tenedo veniunt ad Laocoontem, quia duplex fuit Minervæ ſimulacrum: unum in arce majus & conſpicuum omnibus: alterum breve & reconditum:

quod *Palladium* dictum eſt, imperii pignus. Auctor *Servius* ad hunc verſum:

Sub pedibuſque Deæ clypeique ſub orbe teguntur.

Deæ. *ſcilicet majoris ſimulacri, quod a cunctis videtur, nam quod colitur & breve eſt, latet, ſicut Palladium fuerat.* lego. *nam quod colitur & latet, breve eſt, ſicut Palladium erat.* Cum ergo iſtud breve, quod erat ſanctius, & a cœlo demiſſum credebatur, tunc, ut dictum eſt, penes Græcos ad Tenedum inſulam in inſidiis ſubſidentes, eſſet; merito angues illi Minervæ ſacri ex ea inſula procedunt ad ſacrilegum perdendum, quippe a Dea immiſſi. Nam erepto Palladio, quod erat pignus imperii & urbis ſanctiſſimum, conſequens fuit, ut Dea ipſa cujus erat ea effigies, ab urbe, ut mox ſubvertenda, una cum aliis Deis migraret. Ita enim veteres credebant, & *Maro* factum ſub Trojæ cladem expreſſe notat:

Exceſſere omnes adytis ariſque relictis
DI, quibus imperium hoc ſteterat. ——

igitur & utrumque draconem, nempe & qui *Palladio* aſſidebat; & qui ſimulacro majori, indidem commigrare neceſſe fuit; & quo, niſi ubi *Palladium?* Iidem vero mox ad illatam Deæ injuriam ulciſcendam remeant: ne facinus in votivo, ut ferebatur, equi ſimulacro commiſſum, impunitum maneret, quod ut Trojanis magis perſuaſum eſſet, oppreſſo nocente, ad alterum Deæ ſimulacrum majus in arce relictum, confugiunt: inde ſcilicet denuo exceſſuri; alioqui non potuiſſent Trojani id divinitus & Minervæ ira factum reſciſcere, hocque modo in eam amentiam induci, ut talem machinam in urbem ipſi transferrent. Clarum id ex his *Maronis* verſibus:

At gemini lapſu delubra ad ſumma dracones
Effugiunt, ſævaque petunt Tritonidis arcem:
Sub pedibuſque Deæ, clypeique ſub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis

In-

Inſinuat pavor: & ſcelus expendiſſe merentem
Laocoonta ferunt; ſacrum qui cuſpide robur
Læſerit: & tergo ſceleratam intorſerit haſtam.
Ducendum ad ſedes ſimulacrum, orandaque Divæ
Numina conclamant. ——

His ſatis explicatum arbitror conſilium poëtæ in ea fictione, nunc de eruditione: nam explicandum ſupereſt, quare dracones potiſſimum in Laocoontem mittantur. Ajo id ſumptum eſſe ex hiſtoriarum monumentis. Nam Athenis in arce, ubi erat templum & ſimulacrum Minervæ, *draconem* illi ſacrum publice olim educatum fuiſſe ex *Plutarcho* diſcimus, in *vita Themiſtoclis*; ubi de oraculo agit, quo Athenienſibus murum ligneum, quo ſe ab hoſtium invaſione defenderent, a Jove conceſſum fuiſſe Apollo edixerat. Nam cum alii aliter interpretarentur, eorum ſententiam probans Themiſtocles, qui *ligneum murum* naves eſſe dicebant, ambiguitatem in oraculi verbis ceteris inſuperabilem ſolus ſuſtulit, ſed cum populo perſuadere non posſet ut naves conſcenderet, ad religionem & familiares politicis artes ſe convertit. cum enim eo ipſo tempore, quo hæc agitabantur, æditui renuntiarent, non comparere draconem illum Minervæ ſacrum, intactas, ut illi apponebantur, ciborum primitias reperiri, arrepta occaſione, Themiſtocles Deam ad mare relicta urbe dixit migraſſe, populoque innuere, ut ſequatur. *Plutarchi* verba, ſi quis requirit, hæc ſunt: ἔνθα δὴ Θεμιστοκλῆς ἀπορῶν τοῖς ἀνθρωπίνοις λογισμοῖς προσάγεσθαι τὸ πλῆθος, ὥσπερ ἐν τραγωδίᾳ, μηχανὴν ἄρας, σημεῖα δαιμόνια καὶ χρησμοὺς ἐπῆγεν αὐτοῖς. σημεῖον μὲν λαμβάνων τὸ τοῦ δράκοντος, ὃς ἀφανὴς ἐκείναις ταῖς ἡμέραις ἐκ τοῦ σηκοῦ δοκεῖ γενέσθαι. καὶ τὰς καθ' ἡμέραν αὐτῷ προτιθεμένας ἀπαρχὰς εὑρίσκοντες ἀψαύστους οἱ ἱερεῖς ἐξήγγελον εἰς τοὺς πολλοὺς, Θεμιστοκλέους λόγον διδόντος, ὡς ἀπολέλοιπε τὴν πόλιν ἡ θεὸς, ὑφηγουμένη πρὸς τὴν θάλατταν αὐτοῖς. Ex quo loco habemus, & *draconem* Athenis edu-

catum, Minervæ ſacrum, & Dea ab urbe digreſſa, non comparuiſſe. Sed & in Deæ ſimulacro draconem juxta ad ejus pedes ſculptum fuiſſe tradit *Pauſanias* in *Atticis:* Τὸ δὲ ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς, ὀρθὸν ἐστιν ἐν χιτῶνι ποδήρει, καὶ οἱ κατὰ τὸ στέρνον ἡ κεφαλὴ Μεδούσης, ἐλέφαντος ἐστιν ἐμπεποιημένη, καὶ Νίκη τε ὅσον τεσσάρων πηχῶν. ἐν δὲ τῇ χειρὶ δόρυ ἔχει, καὶ οἱ πρὸς ποσὶν ἀσπίς τε κεῖται, καὶ πλησίον τοῦ δόρατος, δράκων ἐστίν. i. *Minervæ ſignum recto ſtatu eſt, cum tunica talari: & victoria cubitorum fere quatuor. manu haſtam tenet: jacet ad pedes ſcutum: ad imam haſtam draco.* Quæ poſtrema *Pauſaniæ* verba pulchre his *Maronis* quadrant, lucemque afferunt:

Sub pedibuſque Deæ, clypeique ſub orbe teguntur.

Hæc ſunt igitur, quæ e Græcorum hiſtoriis in hanc *Maronis* ſcenam, ex parte tranſlata videri poſſint: certe ad eam hiſtoriam reſpexiſſe poëtam eruditiſſimum putandum eſt, cum hos Minervæ injuriarum ultores *dracones* in hanc ſcenam induceret; primum quidem ab urbe digreſſos una cum domina, deinde ad ſacrilegi ſupplicium remeantes.

CAPUT XIV.

Loca duo Maronis *obſcura e ſexto* Æneidos *explanantur.*

SÆpe mihi librum magni operis ſextum legenti dubitatio ex his verſibus inceſſit, quibus divinus poëta beatum in Elyſio campo degentium otium & felicitatem deſcribit:

Conſpicit ecce alios dextra, lævaque per herbam
Veſcentes, lætumque choro Pæana canentes
Inter odoratum lauri nemus, unde ſuperne
Plurimus Eridani per ſilvam volvitur amnis.

Primum quidem, cur vita functos *veſcentes* inducat, qui corpore caduco exuti, aut prorſus nullum corpus habent, aut tenuiſſimum & æthereum: proinde nec alimento opus habent refici, utpote diſſolutioni haud amplius obnoxii. Deinde quid ſibi velit, cum ex umbraculis laurei nemoris ſuperne, hoc eſt, ad convexum terræ, quod mortalibus in habitationem ceſſit, amnem influere Eridanum ſive Padum fingit. Abſit enim ut temere a tanto viro in hunc modum compoſita credamus, qui totum Phœbum habuit in pectore, neque minus doctis, quam numeroſis & elaboratis verſibus fluit. Placuit aliorum, ut fit, ſcitari commentarios, & annotationes, ſed in iis, quod mihi ſatisfaceret, non inveni. Tanto igitur impenſius cenſui inveſtigandum, ſi quid apud antiquos, vel etiam apud me ſcrutanti ac multum conſideranti occurreret, quo plenam horum verſuum ſenſum in lucem proferrem. Tandem incidi in huuc locum *Platonis* in 2. *de Republ.* Μουσαῖος δὲ τούτων νεανικώτερα τἀγαθὰ, καὶ υἱὸς ἀυτοῦ, παρὰ θεῶν διδόασι τοῖς δικαίοις. εἰς Ἅδου γὰρ ἀγαγόντες τῷ λόγῳ, καὶ κατακλίναντες,

ναντες, καὶ συμπόσιον τῶν ὁσίων κατασκευάσαντες, ἐστεφανωμένους ποιοῦσι, τὸν ἅπαντα χρόνον ἤδη διάγειν μεθύοντας, ἡγησάμενοι κάλλιστον ἀρετῆς μισθὸν μέθην αἰώνιον. i. *Muſaus item, atque ejus filius excellentiora etiam bona juſtis ab ipſis Diis tribui voluerunt. Apud inferos enim agentes, ipſoſque in ſanctorum conviviis collocantes, coronatos faciunt magna ſemper voluptate ebrios vivere, exiſtimantes pulcherrimum virtutis præmium, æternam ebrietatem.* Quod cum legerem, venit illico in mentem, hunc eſſe locum, ad quem reſpiciens Maro, virtute excellentes viros ac juſtos, poſt obitum in campo Elyſio ſub umbris immortalium nemorum, ac virenti in herba veſcentes inducit, imitatione *Muſai*, qui iiſdem apud inferos convivium apparat, itidem in gramine diſcumbentibus. Nam apud eſt *Platoni* κατακλίναντες, id *Virgilio* hæc:

—— Dextra lævaque per herbam
Veſcentes ——

iſtudque *Veſcentes*, reſpondet his: συμπόσιον κατασκευάσαντες. Addit *Plato* ἐστεφανωμένους ποιοῦσιν: *Maro* autem:

Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.

Quod autem ſequitur de æterna ebrietate, exprimendum non cenſuit prudentiſſimus vates, ſeverioris linguæ ſibi conſcius, quæ in plane cœleſti & divina mentis affectione exprimenda, nomen ebrietatis non ferret. Ceterum *Ficinus* hanc locutionem ab *Orpheo* ſumptam notat, & congruere his prophetæ verbis: *inebriabor ab ubertate domus tua.* Sed Latinis non licet eſſe tam diſertis.

Nunc de Eridano: cujus caput atque originem in nemore Elyſio & lauri nemore & ea regione, in qua fortium virorum, vatum piorum, atque aliorum virtute præſtantium felices animæ epulis divinis ſatiantur, ubi & *Muſæus* ipſe muſicis choris Pæana concinentium præeſt: cur, inquam, hujus potiſſimum fluvii mentionem facit? Multa heic *Servius* agitat: ideo ab inferis deduci Eridanum, quia de

de Apennini parte oritur, quæ ſpectat inferum mare, & tendit uſque ad ſuperum. Item Eridanum κατ' ἐξοχὴν poſitum pro quocunque fluvio, nihilque aliud innui, niſi omnes fluvios e terræ cavernis ſurſum erumpere, quemadmodum & in 4. *Georgic.* in fabula Ariſtæi ſcriptum eſt. Sed non attingit ad mentem poëtæ, neque ſatisfacit. manet enim quæſtio; quare de lauri nemore, medioque e cœtu epulantium & cantantium, Eridani originem deducat, potius quam alia ex parte? Ego Eridanum proprie uſurpatum cenſeo, ut nomen ſonat; figuram autem hunc & typum, *Maronem* proprii ingenii & virtutis poëticæ & ſapientiæ ſtatuiſſe, more Poëtarum, quibus dona in ſe Deorum prædicare haud negatum. Quippe *Mantuam*, *Virgilii* patriam, ad eum amnem eſſe ſitam, notum eſt. E lauri igitur nemore odorato, hoc eſt, Apollinis pleniore afflatu, venam ſuam deducit; quo ſane & *Paana canentium chori*, & *Muſai* inter eos præſidentis mentio ſpectat. Ab Elyſio autem ſeceſſu; propter Metempſychoſim, qua animas ab inferis denuo ad corpora reverti Pythagorei cenſuerunt, quos *Maro* in ea inferorum pictura ſequitur. Quin mihi ſeriem verborum attentius contemplanti, videtur *Maro* innuere, *Muſai* animam in ſe tranſlatam; cum *Muſaum* ante omnes Sibylla interrogat de Anchiſe:

Quos circumfuſos ſic eſt affata Sibylla
Muſaum ante omnes: medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris exſtantem ſuſpicit altis.

At hoc, inquies, non eſt explicare auctores ſed ſomniare. Quidni? cum & *Maro* nihil aliud hic, quam ſomnium, ſed eruditum profiteatur; his verbis:

Sunt gemina Somni porta. ——

His igitur miſſis ad alia tranſeamus.

C A-

CAPUT XV.

Verba Ariſtotelis, *de* natura *hominis*, *in ſenſum contrarium detorta a* Scaligero. *eorundem vera expoſitio.*

IVL. *Cæſar Scaliger*, vir magnus, in *Exercit.* 250. cui titulus eſt, *an omnia propter hominem facta ſint?* quod ipſe affirmat, & accurata diſputatione probare conatur, *Ariſtotelis* locum quendam pro hac opinione in medium adducit, ex lib. 1. *Metaphyſic.* Sed adeo præter mentem *Ariſtotelis*, ut ſatis mirari non poſſim, hominem acutum, quodque ex illis *Exercitationibus* apparet, in libris & doctrina *Ariſtotelis* non perfunctorie verſatum, ſic potuiſſe de magiſtri verbis errare. Πολλαχῇ γὰρ ἡ φύσις δούλη τῶν ἀνθρώπων ἐστί. Hæc verba ita accipit, ceu his naturam homini eſſe ſubjectam & ejus ancillam *Ariſtoteles* diceret. Quæ proinde audaciora cenſet. Sic autem loquitur: *Sed & audacioribus verbis utitur in primo divinæ philoſophiæ. Ancillari enim homini ſervam naturam, ſcripſit*; tum verba allata citat. Qui quantum a propoſito *Ariſtotelis* hac quidem interpretatione aberret, librum inſpicienti, ac totum locum conſideranti patebit. Poſtquam enim *Ariſtoteles* bene longa diſputatione oſtendit ſapientiam, hoc eſt, *metaphyſicam*, non eſſe ad uſus communis vitæ & officia comparatam, ſed ad nobiliores, & ſolam mentis contemplationem (nihil enim aliud agit in proœmio) hinc ſequi ait, ut ſola hæc ſcientia, libera & ſui juris cenſeatur, utpote quæ ſola omnium non propter aliud, ſed ſui ipſius gratia quæratur, ſicut liber homo dicitur, qui ſui ipſius & non alterius gratia. Ex quo etiam infert, merito videri poſſe

poſſe, hujusmodi ſcientiam non eſſe humanam posſeſſionem, quod tanta libertas & ſublimitas humanæ conditionis modum excedat; Quippe hominum naturam multis modis ſervam eſſe conſtat. Integrum locum adſcribam: Ὥσπερ ἄνθρωπος, φαμὲν, ἐλεύθερος ὁ αὐτοῦ ἕνεκα, καὶ μὴ ἄλλου, οὕτως καὶ αὐτὴ μόνη ἐλευθέρα οὖσα τῶν ἐπιστημῶν· μόνη γὰρ αὕτη αὐτῆς ἕνεκέν ἐστι. διὸ καὶ δικαίως ἂν οὐκ ἀνθρωπίνη νομίζοιτο αὐτῆς ἡ κτῆσις. πολλαχῇ γὰρ ἡ φύσις δούλη τῶν ἀνθρώπων ἐστι. i. *Quemadmodum dicimus, liber homo, qui ſui ipſius, & non alterius gratia eſt, ita & hac ſola ſcientiarum libera eſt; ſi quidem ſola hac ſui ipſius gratia eſt. Quare merito non humana ejus poſſeſſio putabitur: natura etenim hominum in pleriſque ſerva eſt.*

Ipſa igitur diſputationis ſeries, detorta hæc a *Scaligero* in contrarium plane ſenſum, oſtendit, neque orationis ſtructuram & ſyntaxim percepiſſe. Nam nomen hoc φύσις, de natura ipſa rerum, ac univerſo accipit; iſtud autem ἀνθρώπων cum hoc δούλη connectit: cum philoſophus φύσιν ἀνθρώπων, *hominum naturam* ibi intelligat: quam multis modis ſervam eſſe experientia docet. Cui enim parti hujus Mundi homo non ſervit? primum proprio corpori, & ventri, qui, ut *Plinius* alicubi dicit, *inſtat ut creditor, & ſæpius de die appellat.*[r] *Hujus gratia præcipue avaritia expetitur: huic luxuria conditur: navigatur ad Phaſim: huic profundi vada exquiruntur.* Ita *Plinius* lib. 26. cap. 8. cui conſonum hoc *Senecæ: Homo precarii ſpiritus, alimenta metuens ſua.* recte: nam ex his frequentiores cauſſæ morborum. Quid? non & homini aſtra dominantur? non cœli mutationes & tempeſtates? Quin ne viliſſima quidem animalium homo in poteſtate habet. *Pomponatius* Tractat. de *Reactione* ſect. 2. cap. 8. *Cum* (inquit) *homo cunctis animalibus dominetur, cuncta fere animalia ipſi dominantur: in tantum quod neque a muſcis, neque culicibus, cimicibus, pulicibus, pediculis, lendinibus & hujusmodi generis ſe poteſt defendere. Immo audivi*

divi a medico fide digno, habuiſſe in cura quendam, qui quaſi mortuus eſt ex ingreſſu pulicis in aurem. Neque abs re arbitror, de hac hominis ſorte obnoxia in hoc Mundo, audire etiam auctorem libri, qui inſcriptus eſt *Religio Medici*, tametſi nimia confidentia in multis labentem, & præcipitis judicii. Sed tamen, quæ in ſect. 37. de hac vita dicit, non præteribo: *Nunquam me moriturum* (ſupple naturali exitu & ſpontaneo) *ſi diabolus perſuadere poſſet, ne iſti quidem momento ſupereſſem: vulgarem hunc exiſtendi modum, clientelam iſtam Solis & elementorum, tam humilem, tam vilem exiſtimo, ut hoc ne hominem quidem eſſe judicem, ſaltem hoc modo minime vivi, prout humana natura dignum eſt.*

Naturam autem ipſam rerum parentem, quis *hominis ſervam* dicat? cujus homo opificium, velut alia, quæ Mundo continentur. certe enim *natura* nihil aliud eſt, quam vis ipſa Dei cuncta ordine certo ducentis ab ortu ad finem, atque moderantis. At homo & plantis & animalibus multis & aliis innumeris, Sole etiam & aſtris utitur? Quid tum? Et Rege ſubjecti utuntur. Quid enim bono Rege utilius? Ergo Rex ſervus ſubjectorum. Si, unde bona proveniunt, is eorum, quibus benefacit, ſervus eſt, ſequetur & Deum ipſum optimum maximum hominis eſſe ſervum. omnium enim is bonorum atque utilitatum cauſſa homini auctorque exiſtit. Et male igitur *Ariſtotelis* verba *Scaliger* accepit, nec recte de natura ſenſit, cum hanc in multis *hominis* eſſe *ancillam* cenſuit. De hac autem quæſtione, an omnia hujus Mundi propter hominem facta ſint, alias plenius diſputamus.

C A-

CAPUT XVI.

Volatilium differentiæ, & in his lapſus Baſilii Magni. *Quid ſint* κολεόπτερα *animalia apud* Ariſtotelem?

JAm dixi intereſſe ſtudiorum, non ſolum recta magnorum virorum opiniones & dicta docta notare, ſed etiam errores. *Baſilius* inter Eccleſiæ orientalis proceres, pietatis & doctrinæ admiratione *magni* cognomen adeptus, in luculento opere, quod *Hexaemeron* inſcripſit, *Homilia* 8. *Moſis* verba enarrans de ortu volatilium, quosdam ait in explicandis eorum differentiis uſos ὀνοματοποιΐαις, hoc eſt, nomina inveniſſe, & fabricaſſe, quibus eorum animalium proprietates exprimerent: Ἤδη μὲν οὖν τινες ἐπειράθησαν καὶ ὀνοματοποιΐαις χρήσασθαι· ἵν' ὥσπερ διὰ καινῶν τινῶν τῆς ἀσυνήθους καὶ ξένης ὀνομασίας τὸ ἰδίωμα ἑκάστου γένους ἐπιγινώσκηται. καὶ τὰ μὲν ὠνόμασαν σχιζόπτερα, ὡς τοὺς ἀετούς· τὰ δὲ δερμόπτερα, ὡς τὰς νυκτερίδας· τὰ δὲ πτιλωτὰ, ὡς τοὺς σφῆκας· τὰ δὲ κολεόπτερα, ὡς τοὺς κανθάρους, καὶ ὅσα ἐν θήκαις τισὶ καὶ περιβολαῖς γεννηθέντα, περιῤῥαγέντος αὐτοῖς τοῦ ἐλύτρου πρὸς τὴν πτῆσιν ἠλευθερώθη. Id eſt, interprete Argyropilo: *Jam vero quidam conati ſunt, in ipſis & nomina nova fingere, ut inſolitis, alieniſque nominibus, tanquam quibuſdam inuſtis notis, propria cujuſque generis percipi natura, peculiarisque conditio poſſit. Atque alias fiſſipennes appellarunt, ut aquilas: alias cutipennes, ut veſpertiliones: alias membranipennes, ut veſpas: alias vaginipennes, ut ſcarabæos, & quæcumque tandem in vaginis & tectoriis ſive cruſtis generatæ, diffracta prius cruſta, ad volatum pennas libere explicant.* Hujus itaque volatilium ſecundum alarum differentias diviſionis,

V cetera

cetera quidem, bene, & ex *Ariſtotelis* ſententia, unde accepit: in voce κολεόπτερα non mediocriter hallucinatus videtur, cum putat ſignificari hoc nomine inſectorum illud genus, quæ involucris quibusdam concepta & fota ad aliquod tempus, poſtmodum putamine disrupto evolant: ut de cicadis *Lucretius* memorat, lib. 5.

Folliculos ut nunc teretes æſtate cicadæ
Linquunt ſponte ſua, victum vitamque petentes.

Plane id verba hæc *Baſilii* ſonant: Ὅσα ἐν θήκαις τισὶ καὶ περιβολαῖς γεννηθέντα περιῤῥαγέντ⟨ος⟩ &c. quibus, quæ proprie κολεόπτερα dicantur, explicat. At falſo & præter mentem *Ariſtotelis*, qui longe diverſo ſenſu id nomen uſurpat. Non enim ab iis *folliculis* κολεόπτερα vult dici, ſed ab ἐλύτροις, vaginis, quibus alæ eorum muniuntur: Nam Græcis κολεὸν vagina eſt. Unde *Theodorus* eas volucres *vaginipennes* Latine vertit: Ita enim Græcum nomen κολεόπτερον ſane non infeliciter expreſſit. Alarum proinde hæc differentia eſt & proprietas, non loci in quo fit generatio. Quod ipſa diviſio *Ariſtotelis* indicat, qua ex alarum differentiis volucrum differentias venatur lib. 1. cap. 5. primum etenim volucrum genus dividit in πτερωτὰ, qualis aquila & accipiter, quæ ſcilicet pennis volant: πτερὸν enim penna eſt proprie. *Baſilius* alia voce *Ariſtotelica* σχιζόπτερα vocat: in πτιλωτὰ, *membrana ſicca volantia* exponit *Theodorus*: ut apes & ſcarabæi: in δερμόπτερα, cutaceis alis aërem findentia: quales alas vulpecula & veſpertilio habent. Tum porro πτιλωτὰ ſubdividit in ea, quæ ſimpliciter πτιλωτὰ, ut ſunt veſpæ; & quæ κολεόπτερα: dicuntur, quibus ſcilicet alæ cruſta intectæ ſunt: ita enim nominis rationem declarat: ἔχει γὰρ ἐν ἐλύτρῳ τὰ πτερά. quo in genere ſcarabæos ponit: item μηλολόνθας, genus ſcarabæi illud, niſi fallor, quod apud nos in ſycomoris vivit: pueris expetitum, & inter ludicra habitum. Apparet ergo ex his hallucinatum *Baſilium* in hac voce *Ariſtotelica*, ac genere

nere illo volatilium. Sed quis hujuſmodi lapſus viris illis ſanctis, ad ſacra perpetuo intentis, & longe altiorum rerum ſibi conſciis non facile condonet?

CAPUT XVII.

Ejuſdem Baſilii *locus alter*, *de* cornicum tranſmigratione, *cum* Ariſtotelis *&* Æliani *locis collatus.*

ALia igitur quædam ejuſdem ſancti doctoris, ex eadem *Homilia*, debito illi prius cultu perfunctus & multum veneratus, adnotare pergam. In quibus non erraſſe quidem illum dico, ſed non ſentire cum *Ariſtotele*, in *hiſtoria animalium.* Poſtquam enim volatilium minora eſt exſecutus, & de apum moribus celliſque ſexangulis dixit, tranſit ad aves gruumque & ciconiarum migrationes, diſciplinamque volandi, atque officiorum vices mira facundia exſequitur, in quo id mihi dignum animadverſione viſum eſt, quod ciconiis cornices peregrinationum comites, & tanquam ſatellites adjungit, quas locum non mutare *Ariſtoteles* lib. 9. *hiſtor.* cap. 23. expreſſè dicit. *Baſilii* verba de gruum profectione hæc ſunt: Δορυφοροῦσι δὲ αὐτοὺς (πελάργους) αἱ παρ' ἡμῖν κορῶναι, καὶ παραπέμπουσιν, ἐμοὶ δοκεῖν, καὶ συμμαχίαν τινα παρεχόμεναι πρὸς ὄρνιθας πολεμίους. σημεῖον δὲ πρῶτον μὲν τὸ μὴ φαίνεσθαι ὑπὸ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον κορώνην παντάπασιν· ἔπειθ' ὅτι μετὰ τραυμάτων ἐπανερχόμεναι ἐναργῆ τοῦ συνασπισμοῦ καὶ τῆς ἐπιμαχίας τὰ σημεῖα κομίζουσι. i. *Comitantur vero ipſas* (Ciconias) *ſatellitum & ſtipatorum inſtar, ac deducunt, ut quidem mihi videtur, noſtrates cornices; atque iis auxilium adverſus inimicas aves ferunt. Hujus vero ſignum eſt, primum quidem, quod nulla ſub id tempus omnino*

apparet cornix. Deinde quod cum vulneribus revertentes, manifeſta præſtiti auxilii ac pugnæ veſtigia referunt. Eadem habet *Ambroſius* lib. 5. *Hexameron* cap. 16. ubi de hac ciconiarum migratione diſſerit: *Cornices autem* (inquit) *deducunt eas ac dirigunt & velut quibuſdam turmis ſtipatricibus proſequuntur, adeo ut adjumenta quædam bellantibus adverſus inimicas aves conferre credantur, & propriis periculis bella aliena ſuſcipere. Ariſtoteles* autem, ut dixi, cornices earum avium numero, quæ locum mutant, apertiſſimis verbis eximit eo loco, quem indicavi: Ταῦτα δὲ πάντα (inquit) διαπαντὸς φανερά ἐστιν. ἔτι δὲ τὰ κατὰ πόλεις εἰωθότα μάλιστα ζῆν, κόραξ καὶ κορώνη. καὶ γὰρ ταῦτα ἀεὶ φανερὰ, καὶ οὐ μεταβάλλει τοὺς τόπους, οὐδὲ φωλεύει. Scaliger vertit: *Recenſendæ & iam, quæ in urbibus maxima ex parte vivere conſueverunt, corvus & cornix. Nam hæ ſemper videntur; neque mutant loca, neque latent.* Mira auctorum diſcordia. nam *Baſilius* cornices ciconiis abeuntibus comites ire dicit, quia ſub id tempus non apparent: *Ariſtoteles* ſemper conſpici: neque locum mutare aut latere. Atqui *Baſilius* præter *Ambroſium*, *Iſidorum* habet ſuffragatorem, qui item ciconiarum migrantium ſocias cornices facit lib. 12. *Originum* cap. 7. *Ælianus* autem ab iis omnibus diſſentiens, ciconias gruibus aſſociat: Προσακούω δὲ τοὺς πελαργοὺς καὶ αὐτοὺς συμφεύγειν ταῖς γεράνοις, καὶ συναποδιδράσκειν τὸν χειμῶνα. *Item ciconias audio cum gruibus injurias frigoris fugientes ſolum vertere.* Tum *Plinius* de hac opera, quam cornices ciconiis peregrinantibus præbent, ne verbum quidem. Quare quod hic *Baſilius* de cornicum συνασπισμοῦ, & ἐπιμαχίᾳ in ciconiarum expeditionibus memorat, mihi valde eſt ſuſpectum. Quod nemo non potius *Ariſtoteli* & *Plinio*, in *hiſtoria animalium*; quam aut *Baſilio*, aut *Ambroſio*, aut *Iſidoro*, & ſimilibus auſcultandum judicet.

GRATIAS TIBI DOMINE JESU!

FINIS.

INDEX
AUCTORUM ACCURATISSIMUS:

Qui in hiſce Miſcellanearum Obſervationum *Libris laudantur, illuſtrantur, emendantur aut notantur.*

Notabit benevolus lector, quod numerus Romanus, librum; barbarus cum commate, libri caput; barbarus vero cum puncto, libri paginam denotet.

A.

ACHILLES TATIUS *illuſtratur*: III. 22, 204.
Aegidius Romanus. III. 18, 191.
ÆSCHYLUS *illuſtratur*: II. 17, 135. *ſeq.* III. 3, 159. 24, 210.
ÆLIANUS: I. 19, 59. IV. 17, 308.
Albertus Magnus: II. 18, 142.
ALBINUS: III. 3, 158.
ALCÆUS, *laudatur in loco* PLINII: III. 14, 180. & PHRYNICHI. II. 18, 141.
ALEXANDER APHRODISÆUS *emendatur*: III. 17, 188. *illuſtratur*: II. 15, 124. *notatur*: III. 17, 186. *ſeq.*
Alexander Neapolitanus, *vulgo* ab Alexandro *cognominatus*: IV. 7, 272. *ſeq.*
AMBROSIUS. IV. 17, 308.
Amiotus *Gallicus* PLUTARCHI *interpres notatur*: III. 30, 221. *ſeqq.*
AMOS PROPHETA: III. 3, 156.
ANAXAGORAS *laudatur in locis* ARISTOTELIS,

V 3

LIS & THEMISTII: III. 6, 164. *ſeq.* IV. 13, 293. *notatur* II. 18, 149.
ANAXIMANDER: IV. 4, 258.
ANAXIMENES: IV. 4, 258.
ANDROCYDES, *laudatur in loco JAMBLICHI*: I. 4, 19.
ANTHOLOGIA: I. 23. 67.
ANTIOCHUS *illuſtratur*: II. 16, 133.
ANTIPHANES, *ex ATHENÆO laudatur*: III. 23, 107.
ANTISTHENES, *ex LAERTIO laudatur*: IV. 7, 278.
APOLLODORUS *illuſtratur*: III. 21, 199. *ſeq.*
APOLLONIUS II. 18, 141. *ſeq.*
APOLLONIUS TYANEUS *ex PHILOSTRATO laudatus notatur*: IV. 7, 272. *ſeq.*
Aponenſis *notatur*: III. 14, 180.
APULEJUS: I. 6, 25. II. 10, 109. 18, 148. III. 9, 169. 23, 207. *illuſtratur*: I. 22, 63. *ſeqq.* III. 2, 153.
Fabricius ab Aquapendente: IV. 9, 285. *ſeq.*
Argyropylus *interpres BASILII MAGNI*: IV. 16, 305.
ARISTAENETUS: III. 15, 212.
ARISTIDES: III. 26, 215. *illuſtratur*: III. 20, 196. *ſeqq.*
ARISTOPHANES: I. 9, 33. 21, 62. *ſeqq.* II. 15, 123. III. 31, 226.
ARISTOTELES: I. 13, 38. 15, 43. 16, 44. *ſeq.* 18, 50. *ſeq.* 19, 59. 22, 66. 23, 67. II. 8, 102. 11, 112. III. 3, 158. 4, 161. 9, 169. 16, 185. 18, 188. *ſeqq.* 22, 202. 24, 209. 30, 223. IV. 1, 230. 233. 2, 238. *ſeq.* 4, 259. 5, 265. 9, 284. *ſeq.* 13, 292. 16, 305. *ſeq.* 17, 307. *ſeq.* *Emendatur*: III. 13, 177. *ſeq.* 14, 179. *Explicatur*: I. 11, 34. *ſeq.* 24, 70, *ſeqq.* II. 4, 91. *ſeqq.* 10, 108.

108. *ſeq.* 17, 235. *ſeq.* III. 5, 162. *ſeq.* 22, 175. *ſeq.* 27, 215. *ſeq. Notatur*: II. 1, 75. *ſeqq.* III. 23, 206. *ſeq. Suppletur*: III. 11, 173. *ſeqq.* 17, 186. *Vindicatur*: II. 18, 139. *ſeqq.* IV. 15, 302. *ſeqq.*

ASCLEPIADES *ex GALENO laudatur*: II. 16, 133.

ATHENÆUS: I. 11, 34. II. 18, 142. III. 23, 207. 27, 217. IV. 10, 287. 11, 290.

ATTICUS: III. 3, 158.

ATTIUS *illuſtratur*: II. 17, 136.

AUCTOR, *qui ſcripſit ACTA MARTYRUM, illuſtratur*: II. 6, 96.

AUCTOR dithyramborum, *apud PLUTARCHUM, illuſtratur*: II. 17, 135.

AUCTOR *ECCLESIASTICI*: III. 18, 189.

AUCTOR *ETYMOLOGICI illuſtratur*: II. 6, 96.

AUCTOR *SAPIENTIÆ*: I. 13, 36.

AUGUSTINUS: III. 1, 150. IV. 2, 227. 3, 250. 7, 270. 13, 293. *notatur*: IV. 6, 270. 272. *ſeqq.*

AURELIANUS: II. 18, 142.

AVEMPACE *laudatur in loco AVERRHOIS*: III. 18, 189.

AVERRHOES: II. 7, 99. 8, 103. 15, 130. *notatur*: III. 18, 188. *ſeq.*

AVICENNA: II. 2, 85. 7, 99.

B.

HErmolaus Barbarus, *THEMISTII interpres*: III. 20, 195. *notatur*: III. 6, 164. *ſeq.* 7, 165. 8, 166. 12, 176.

BASILIUS *MAGNUS*: I. 17, 49. IV. 17, 307. *notatur*: IV. 16, 305.

Reinerus Bontius: III. 20, 194.
Robertus Boyle: II. 14, 122.
Joannes Brodæus: III. 20, 194. *notatur*: III. 28, 217. *ſeq.*
Thomas Brown: IV. 15, 304.

C.

CÆCILIUS *in loco* PLINII *laudatur*: III. 16, 185.
C. *JUL.* CÆSAR: IV. 2, 244. 3, 248.
CALLIMACHUS *in loco* PLUTARCHI *emendatur*: I. 2, 8. *ſeqq.*
Joannes Calphurnius TERENTII *ſcholiaſtes*: III. 15, 182.
Iſaacus Caſaubonus: III. 23, 205. *ſeq.*
CATULLUS *illuſtratur*: II. 17, 134. 136. III. 2, 155. 24. 210.
Hieronymus Cardanus: II. 7, 100.
CEBES *ex* LAERTIO *laudatur*: III. 3, 159. *illuſtratur*: II. 14, 119.
CELSUS: IV. 1, 228.
CHALCIDIUS: III. 3, 158.
CHRYSIPPUS: II. 1, 84.
DIO CHRYSOSTOMUS *illuſtratur*: II. 1, 75. *ſeqq.*
M. TULLIUS CICERO: I. 2, 10. 7, 28. 9, 33. II. 3, 88. *ſeq.* 16, 132. *ſeq.* 18, 142. *ſeq.* III. 1, 151. 2, 154. 13, 178. 15, 181. 20, 193. IV. 5, 266. 6, 268. *ſeq.* 7, 274. *emendatur*: I. 4, 18. *ſeqq. Illuſtratur*: III. 3, 156. *ſeq.* 24, 208. *notatur*: IV. 1, 227. *ſeqq.* 2, 235. *ſeqq.* 3, 246. *ſeqq.* 4, 254. *ſeqq.* 5, 260. *ſeqq. Suppletur*: I. 3, 16. *ſeq.*
CLEARCHUS: III. 3, 158.
CLEMENS *ALEXANDRINUS*: I. 1, 2. 2, 10.

II. 17, 137.
Ludovicus Cœlius *Rhodiginus*: II. 18, 141. III. 13, 178.
COLUMELLA: IV. 9, 283.
CRANTOR: III. 3, 158.
CRATEUAS *laudatur in loco* GALENI: II. 16, 131.
CRITIAS *ex* SEXTI EMPIRICI *loco laudatur*: I. 1, 3.

D.

DAMASCIUS *laudatur in loco* SIMPLICII: II. 8, 102.
DEMOCRITUS *apud* SIMPLICIUM *laudatur*: II. 8, 102. *ſeq.* III. 24, 209. IV. 4, 258.
DEMOSTHENES: IV. 5, 266. 7, 274.
DERCYLLIDES: III. 3, 158.
DIODORUS SICULUS: I. 2, 12. 4, 20.
DIONYSIUS HALYCARNASSEUS: II. 4, 93.
DIOSCORIDES *laudatur in loco* GALENI: II. 16, 131. 133. *illuſtratur*: III. 20, 195.
DONATUS: III. 25, 211.
DURIS *in loco* LAERTII *laudatur*: I. 21, 62.

E.

ECPHANTUS *laudatur in loco* PORPHYRII: I. 6, 25.
EMPEDOCLES: II. 10, 109. *in locis* THEMISTII *&* ARISTOTELIS *laudatur*: III. 6, 164. 30, 223. *emendatur*: I. 23, 66. *ſeq.* 24, 68. *ſeqq.*

ENNIUS *in loco* CICERONIS *laudatur*: III. 20, 193.
EPICHARMUS: IV. 3, 249.
EPICTETUS: IV. 3, 251. *ſeq.*
EPICURUS *in loco* SIMPLICII *laudatur*: II. 8, 102. *ſeq.* III. 9, 169.
Eraſmus *notatur*: III. 29, 219.
ERASISTRATUS *ex* PLUTARCHO *notatur*: I. 8, 30.
EUEMERUS *laudatur in loco* EUSEBII: I. 2, 13. *ſeq.*
EUNAPIUS: I. 24, 68. *emendatur*: II. 5, 94. *ſeqq.* 6, 69, *ſeqq.* 7, 97. *ſeqq.*
EURIPIDES: II. 17, 136. III. 27, 216. *apud* CICERONEM *laudatur*: IV. 2, 244.
EUSEBIUS: I. 2, 13. *ſeq. Illuſtratur*: I. 24, 71.
EUSTATHIUS: IV. 9, 284.
EUSTRATIUS ARISTOTELIS *Commentator notatur*: II. 1, 87. *ſeq.*

F.

Guilielmus Fabricius *Hildanus*: II. 14, 122.
FESTUS *illuſtratur*: I. 22, 64.
Marſilius Ficinus: II. 1, 77. *notatur*: I. 20, 61. II. 10, 108. III. 31, 224. *ſeq.*
Leonhardus Fuchſius: III. 20, 194.

G.

GALENUS: I. 9, 32. 12, 35. 18, 54. *ſeq.* II. 7, 98. 10, 110. 15, 126. *ſeqq.* III. 9, 168. 10, 171. IV. 10, 288. *emendatur*: III. 5, 162. *ſeq. Illuſtratur*: II. 16, 131. *ſeqq.* III. 12, 177. *locus ſuſpectus indicatur*:

I. 17,

I. 17, 48. *ſeq. Notatur*: I. 16, 44. *ſeqq. Suppletur*: II. 2, 85. *ſeqq.* 3, 88. *ſeqq.*
Theodorus Gaza: II. 17, 135. III. 14, 180. 23, 207. IV. 16, 306. *notatur*: III. 13, 177. *ſeq.* IV. 11, 289.
GELLIUS II. 13, 118. III. 3, 158. 24, 209. IV. 7, 274.
Matthæus Gradius: II. 2, 99.
Joannes Georgius Graevius: I. 18, 50. II. 1, 85.
Franciſcus Guyetus *notatur*: I. 9, 32. 18, 50.
Lilius Gyraldus: IV. 7. 274. *notatur*: I. 2, 14.

H.

HARPOCRATIO: IV. 7, 274. *illuſtratur*: II. 1, 75.
Joannes Hartungus *notatur*: III. 14, 180. *ſeq.*
PTOLOMÆUS HEPHÆSTIO *ex PHOTIO laudatur*: III. 3, 158.
HERACLITUS *ex ARISTOTELE laudatur*: II. 10, 109. *ſeq. apud CICERONEM*: III. 3, 157. *CLEMENTEM ALEXANDRINUM*: II. 17, 137. *GALENUM*: II. 16, 131. *PLUTARCHUM*: III. 2, 155.
HERODOTUS: II. 10, 109. *ſeq.*
HESIODUS *illuſtratur*: I. 18, 49. *ſeqq.* 19, 59. II. 1, 83. III. 14, 179. *ſeq.* IV. 13, 293.
HESYCHIUS: I. 2, 10. 22, 65. III. 14, 181. *illuſtratur*: II. 1, 76. 6, 96. *ſeq.* III. 12, 177.
HIERONYMUS: I. 5, 21. 23. *illuſtratur*: III. 29, 218. *ſeqq. Notatur.*: II. 1, 49. *ſeqq.* 2, 152. *ſeqq.* 3, 156. *ſeqq.* 4, 159. *ſeqq.* IV. 8, 282. *ſeqq.*
HIPPOCRATES: II. 4, 93. 7, 99. III. 10, 171. 16, 186. 30, 224. IV. 10, 288.
Caſparus Hofmannus: I. 9, 31. *ſeq. Notatur*: 14, 40. *ſeqq.* III.

III. 13, 178.
Lucas Holſtenius *PORPHYRII interpres*: I. 5, 21. II. 12, 114.
HOMERUS: I. 16, 44. *ſeqq.* 18, 53. *ſeqq.* 19, 57. 22, 65. II. 4, 93. 12, 115. 15, 123. 127. 17, 138. III. 22, 201. 203. *illuſtratur*: II. 1, 75. *ſeqq.* III. 24, 208. *ſeqq.* IV. 10, 287.
HORATIVS: II. 25, 127. IV. 3, 247. 249. 252. *ſeq. Illuſtratur*: III. 2, 152. 26, 214. IV. 13, 292. *ſeq.*

I.

INTERPRES vetus *ARISTOTELIS notatur*: III. 12, 175. *ſeq.*
ISIDORUS: IV. 17, 308.

J.

JAMBLICHUS: I. 4, 19. II. 7, 103. IV. 5, 265.
JESAIAS *PROPHETA*: II. 18, 146. *explicatur*: III. 2, 152. *ſeqq.*
JOBI Liber. I. 13, 39.
JOHANNES *EVANGELISTA illuſtratur*: III. 15, 182.
JUDICUM Liber: III. 2, 153.
Hadrianus Junius *EVNAPII interpres notatur*: II. 4, 94. *ſeq.* 6, 69. *ſeqq.* 7, 97. *ſeqq.*
JUSTINUS *MARTYR*: II. 18, 148.
JUVENALIS: II. 2, 154. *ſeq.*

L.

LACTANTIUS *notatur*: II. 11, 111. *ſeqq.* IV. 7, 270. *ſeqq.*
LAERTIUS: I. 2, 11. 4, 20. 21, 62. II. 18, 140. *ſeqq.*

ſeqq. 147. III. 3, 159. IV. 5, 265. 7, 278.
Dionyſius Lambinus: I. 3, 16.
LAMPRIDIUS: II. 6, 96.
Johannes Langius *notatur*: II. 16, 132.
Nicolaus Leonicenus: III. 20, 194.
LEUCIPPUS: IV. 4, 258.
LIVIUS: IV. 7, 274. *illuſtratur*: I. 15, 43.
LONGINUS: III. 3, 158.
LUCANUS: III. 29, 219. IV. 3, 247. *illuſtratur*: I. 7, 28.
LUCIANUS: II. 9, 105. 13, 118. III. 20, 197. *ſeq. Illuſtratur*: II. 1, 76. *notatur*: IV. 1, 231. 7, 270. *ſeqq.*
LUCILIUS *illuſtratur*: I. 22, 64.
LUCRETIUS: IV. 5, 262. 16, 306. *illuſtratur*: I. 15, 43. *ſeq.* II. 17, 135.

M.

MACROBIUS: II. 9, 105. *ſeq.* III. 3, 157. 24, 209.
M. Antonius Majoragius: IV. 1, 229.
Paullus Manutius: I. 3, 16.
Virgilius Marcellus: III. 20, 194.
MARINUS: I. 4, 20.
MARSYAS *ex HARPOCRATIONE laudatus illuſtratur*: II. 1, 77.
Franciſcus Maſſarias: III. 20, 194.
MATTHÆUS *EUANGELISTA*: III. 25, 213.
Petrus Andreas Matthiolus: III. 20, 195. IV. 11, 289.
MAXIMUS *TYRIUS notatur*: I. 19, 56. *ſeqq.* II. 17, 138.
POMPONIUS MELA: I. 2, 15.
Hieronymus Mercurialis: III. 2, 155. 13, 178. *juvatur*: II. 2, 85.

MICHAEL Epheſius *ARISTOTELIS Scholiaſtes*: III. 11, 174.
MOSIS liber *GENESIS*: II. 17, 137.
Rabbi MOSES *illuſtratur*: II. 2, 85.
M. Antonius Muretus: II. 12, 114. IV. 1, 229. *notatur*: II. 1, 83. 18, 140. *ſeqq*. IV. 1, 234.
MUSÆUS *laudatur a PLATONE*: IV. 14, 300.

N.

NECHEPSOS *in loco GALENI laudatur*: II. 15, 129.
CORNELIUS NEPOS: IV. 3, 248.
NIGER *laudatur in loco GALENI*. II. 16, 131.
Auguſtinus Niphus *notatur*: III. 11, 174.

O.

AURELIUS OPILIUS *apud* FESTUM; *illuſtratur*: I. 2, 64.
ORIGENES: I. 13, 39. III. 3, 158.
ORPHEUS: I. 18, 53. II. 9, 104. *ſeq. apud SIMPLICIUM*: IV. 14, 300.
OVIDIUS: II. 16, 132. III. 2, 155. IV. 13, 295. *illuſtratur*: III. 16. 184. 22, 201.

P.

PAMPHILIUS *ex GALENO laudatur*: II. 15, 129. *illuſtratur*: 16, 131. *ſeqq*.
PAUSANIAS: IV. 13, 298.
PAULUS *APOSTOLUS*: I. 13, 38. IV. 6, 269.
Dionyſius Petavius *THEMISTII interpres notatur*: II. 10, 106. *ſeqq*. 13, 117. *ſeq*.
Samuel Petitus *notatur*: I. 2, 9.

PER-

PERSIUS: III. 29, 219. *illuſtratur*: 23, 205.
PETRONIUS: III. 2, 155.
PHAVORINUS: I. 19, 59.
Guilielmus Philander *commentator* *VITRUVII*: I. 14, 41. III. 20. 195.
PHILO Judæus: II. 17, 137.
JOANNES PHILOPONUS Grammaticus: I. 18, 51. III. 5, 163. 18, 189. *ſeqq. Emendatur*: III. 7. 165. *ſeq.* 8, 166. *ſeqq.* 9, 168. *ſeqq.* 10, 170. *ſeqq. Illuſtratur*: II. 2, 86. *ſeqq.* 3, 89. *ſeq.* 14, 91. *ſeq. Notatur*: I. 20, 60. *vindicatur*: III. 6, 164. *ſeq.*
PHORNUTUS: III. 20, 196.
PHOTIUS: III. 3, 158.
PHRYNICHUS: II. 18, 141.
Joannes Picus: I. 18, 56.
PINDARUS *apud PLUTARCHUM laudatur*: I. 24, 69. *apud SEXTUM EMPIRICUM*: III. 26, 214. *illuſtratur*: III. 24, 209. *ſeqq.*
PLATO: I. 1, 5. *ſeqq.* 5, 22. 10, 33. 13, 37. *ſeq.* 18, 53. II. 3, 90. *ſeq.* 8, 102. 18, 141. III. 1, 151. 3, 156. 161. 6, 165. 11, 176. *ſeq.* 16, 185. 20, 196. *ſeq.* 24, 209. IV. 3, 249. 253. 4, 255. *ſeqq.* 5, 267. 8, 281. 13, 292. 14, 299. *ſeq. Illuſtratur*: I. 17, 46. *ſeqq.* 20, 60. *ſeqq.* III. 10, 107. *ſeqq.* 12, 115. *ſeq.* 15, 122. *ſeqq.* 17, 138. III. 15, 181. 19, 192. 21, 200. 31, 224. *ſeqq.* IV. 2, 238. *ſeq.* 7, 270. *ſeqq. Notatur*: II. 1, 75. *ſeqq.* 2, 86. *ſeqq.*
PLAUTUS: III. 2, 153. 155. *illuſtratur*: I. 22, 64.
PLINIUS: I. 1, 1. 2, 15. 19, 56. II. 14, 121. 15, 124. 127. *ſeqq.* III. 2, 155. 13, 178. IV 12, 291. *ſeq.* 15, 303. 17, 308. *emendatur*: I. 7, 26. *ſeqq.* 17, 48. 21, 61. *ſeqq. Illuſtratur*: I. 9, 31. *ſeq.* III. 14, 180. 16, 185. 19, 192. *ſeq.* 23, 207. 24, 209. IV. 3, 247. 11, 289. *ſeq. Vindicatur*: I. 8, 30.

PLINIUS Junior: II. 15, 128. *ſeq.* IV. 3, 247.
PLOTINUS: II. 12, 116. III. 1, 150. IV. 3, 246. *notatur*: II. 11, 113.
PLUTARCHUS: I. 4, 20. 8, 30. 9, 32. 13, 36. *ſeqq.* 22, 165. II. 1, 75. *ſeqq.* 84. 6, 97. 7, 100. 15, 124. 16, 133. 18, 146. III. 2, 155. 3, 158. 9, 169. 20, 193. *ſeq.* 22, 202. 28, 218. 29, 220. IV. 5, 266. 7, 277. *ſeq. Emendatur*: I. 1, 2. *ſeqq.* 2, 8. *ſeqq.* 14, 39. *ſeqq.* III. 30, 221. *ſeqq. Illuſtratur*: I. 17, 47. *ſeq.* III. 16, 184. *ſeq.* IV. 13, 297. *notatur*: I. 18, 53. 24, 69. *ſeqq. Suppletur*: I. 6, 24. *ſeqq.*
POLLUX: III. 13, 178.
POLYBIUS: IV. 2, 245. *ſeq.* 7, 274.
Petrus Pomponatius: IV. 15, 303.
PORPHYRIUS: I. 6, 24. *ſeqq.* II. 15, 127. 16, 133. 18, 141. 143. IV. 5, 267. 7, 270. *ſeq. Emendatur*: II. 12, 114. *ſeqq. Notatur*: IV. 7, 273. *ſuppletur*: I. 5, 20. *ſeqq.*
POSIDONIUS *apud GALENUM explicatur*: I. 12, 35.
Johannes Pricæus *APULEII Commentator notatur*: I. 22. 64. *ſeqq.*
PROCLUS: I. 1, 6. II. 8, 102. *ſeq.* 17, 138. 18, 147. *ſeq.* III. 3, 138. 21, 200.
PROPERTIUS *illuſtratur*: III. 22, 204.
PTOLOMÆUS: I. 2, 25. III. 3, 158.

Q.

FABIUS QUINTILIANUS: III. 23, 207.

R.

REGNORUM *libri*: II. 9, 105.
Johannes Reuchlinus *notatur*: I. 18, 51. *ſeq.*
Conradus Rittershuſius: I. 23, 66. *ſeq.*
Johannes Ruellius DIOSCORIDIS *enarrator*: III. 20, 195.

S.

Claudius Salmaſius: II. 16, 133.
SALOMONIS CANTICUM: III. 3, 154.
ECCLESIASTES: I. 5, 21. *ſeq. Illuſtratur*: IV. 8, 279. *ſeqq.*
PROVERBIA illuſtrantur: II. 17, 137. *ſeq.* III. 2, 155. IV. 8, 282.
SANTRA *apud FESTUM illuſtratur*, I. 22, 64.
Joſephus Juſtus Scaliger: I. 14, 42. II. 7, 99. 9, 105. 16, 133. III. 20, 194.
Julius Cæſar Scaliger: II. 1, 82. 7, 99. *ſeq.* 8, 103. III. 13, 178. 15, 181. IV. 1, 229. 4, 259. 9, 285. *notatur*: I. 8, 29. II. 18, 140. *ſeqq.* III. 24, 210. IV. 1, 234. 15, 302. *ſeq.*
SCHOLIASTES *ÆSCHYLI*: III. 9, 169.
ARISTOPHANIS: I. 21, 62. *illuſtratur*: II. 15, 123.
HOMERI: II. 18, 141.
PINDARI illuſtratur: III. 24, 209.
SENECA: IV. 3, 247. 5, 265. 15, 103. *illuſtratur*: III. 27, 216. *ſuppletur*: I. 1, 4.
Ludovicus Septalius *problematum ARISTOTELIS interpres*: II. 17, 135. III. 14, 180.
SERVIUS: II. 17, 135. III. 20, 194. *illuſtratur*:

I. 2, 15. IV. 13, 293. *ſeqq.* 14, 301. *notatur*: III. 20, 198. 21, 201. *ſeq.* IV. 12, 291.
SEVERUS *carminis* de Ætna *auctor explicatur*: I. 14, 41. *ſeq.*
SEXTUS *EMPIRICUS* III. 26, 214. *illuſtratur*: I. 18, 52. *notatur*: I. 1, 2. *ſeqq.*
SIMONIDES *ex ARISTIDE laudatur*: III. 26, 215.
SIMPLICIUS: II. 18, 143. 145. III. 5, 163. 18, 191. IV. 1, 232. *emendatur*: II. 7, 97. *ſeqq.* 9, 104. *ſeq.* *Illuſtratur*: I. 18, 51. *ſeqq.* II. 4, 91. *ſeqq.* *Suppletur*: II. 8, 101. *ſeqq.*
SOLINUS: I, 2, 15.
SOLON *illuſtratur*: I. 10, 33. *ſeq.*
SOTION *in loco PLUTARCHI laudatur*: I. 4, 20.
STATIUS: III. 20, 196.
STEPHANUS: I. 2, 15.
Henricus Stephanus: I. 23, 66.
STRABO: I. 2, 14. *ſeq.* II. 9, 105. III. 13, 178. IV. 5, 266.
STRATO LAMPSACENUS *apud SIMPLICIUM laudatur*: II. 8, 102.
SUETONIUS *illuſtratur*: III. 19, 192. *ſeq.* 23, 205. *ſeq.*
SUIDAS: II. 16, 132. *illuſtratur*: III. 16, 185. 23, 208.
Fridericus Sylburgius: III. 14, 180.
SYMMACHUS: III. 15, 182.
SYMMACHUS *BIBLIORUM interpres notatur*: III. 2, 154.
SYNESIUS: II. 13, 117. *notatur*: III. 22, 201. *ſeqq.*
SYRACIDES: I. 13, 36.

T.

TACITUS: IV. 3, 247.
TERENTIUS: II. 12, 115. III. 2, 153. *illuſtratur*: I. 15, 42. *ſeqq.* III. 15, 182. 16, 183. *ſeqq.* 19, 192. 25, 211, *ſeqq.*
TERTULLIANUS: III. 16, 185. *ſeq.* IV. 2, 245.
THALES: IV. 4, 258.
THEMISTIUS: III. 5 163. 20, 197. *explicatur*: II. 10, 206. *ſeqq.* 13, 116. *ſeqq.*
THEOCRITUS: III. 20, 195. 28, 217.
THEODORUS SAMOTHRAX *ex* PHOTIO *laudatur*: III. 3, 158.
THEOPHRASTUS: III. 23, 207. *ſeq.* IV. 10, 286. *ſeqq.* *Illuſtratur*: II. 15, 125. 16, 131. *ſeq.* *Suppletur*: IV. 11, 289. *ſeq.*
THOMAS *MAGISTER*: III. 3, 159.
THUCYDIDES: I. 13, 37.
TIMON *in loco* LAERTII *laudatur*: I. 21, 62.
ALEXANDER TRALLIANUS: II. 15, 125. 130.
Adrianus Turnebus: I. 3, 16. 7, 26. 22, 66. III. 20, 195. 23, 206. 24, 210. *notatur*: III. 23, 205. *vindicatur*; I. 14, 41. *ſeqq.*
Jacobus Tuſanus: II. 18, 140.
TZETZES: III. 28, 218. IV. 13, 293.

V.

VALERIUS MAXIMUS: IV. 3, 247.
Franciſcus Valeſius *notatur*: IV. 8, 280. *ſeqq.*
VARRO: II. 9, 105.
VELLEJUS PATERCULUS: IV. 4, 257.
Velſius CEBETIS *interpres notatur*: II. 14, 119. *ſeqq.*

Petrus Victorius *notatur*: II. 18, 139. *ſeqq. Vindicatur*: II. 14, 41.
VIRGILIUS: I. 12, 35. II. 17, 135. *ſeqq.* IV. 1, 234. 5, 267. 7, 278. 12, 291. *emendatur*: III. 21, 199. *ſeqq. Illuſtratur*: I. 2, 15. 10, 33. 22, 65, II. 15, 123. III. 20, 193. *ſeqq.* 22, 201. *ſeqq.* 24, 208. *ſeqq.* IV. 9, 283. *ſeqq.* 10, 286. *ſeqq.* 11, 288. *ſeqq.* 13, 292. *ſeqq.* 14, 299. *ſeqq. Vindicatur*: III. 28, 217.
VITRUVIUS *illuſtratur*: I. 14, 40. *ſeqq.*
Ludovicus Vives: III. 25, 212.

X.

XENOPHANES: IV. 4, 258.

Z.

ZENO *laudatur in locis* CHRYSOSTOMI: II. 1, 76. HIERONYMI: III. 3, 161.

FINIS.

INDEX

RERUM ET VERBORUM LOCUPLETISSIMUS.

A.

ABortivo *conceptus nondum animatos perdere apud Antiquos licitum fuiſſe.* pag. 183-186.
Ægyptiorum *in exſequiis ritus.* 24. ſeq.
Alba mens *i. e. ſimplex*, *quomodo dicatur?* 209.
Alliatum *ſeu moretum.* 194.
Anaxagoras *& Empedocles primi* cauſſæ efficientis *mentionem fecere.* 164.
De Animæ *conditione.* 149-152.
De Animæ immortalitate *fluctuat* Plinius. 128.
De Animalium *motu.* 173.
Animas *naufragorum aut aquis ſubmerſorum perire an veteres putarint?* 201-204.
Animi ægritudine *laborantes etiam inanimata alloquuntur.* 193.
Animi mores *non ſequuntur temperamentum corporis.* 88-91.
Ἄνθρωπος *minus vulgata notione uſurpatum.* 181. ſeq.
Aqua *i. e. ſemen genitale.* 154.
Arces *cur Minervæ ſacræ?* 196.
De Ariſtotele *judicium.* 259.
Ariſtotelis *eſt liber* de mundo. 139-148.
De catalogo & proœmiis librorum Ariſtotelis. ibid.
Atargate *Aſcalonitarum Dea.* 105.

Atheos *fuiſſe docetur contra Clementem Alexandrinum.* 1-16.
Atheorum *quorundam recenſio.* ibidem
Averrhois *ætas.* 191.
Avempace *ætas.* ibid.
Auſpices *artis ſuæ exempla diſcipulis vel vera vel picta aſſervabant.* 27. ſeq.
Veterum in Auſpiciis *obſervandis ſuperſtitio.* 198.
Ἀνδριάντες *quinam ſint?* 56. ſeq.

B.

Barbarus *id eſt*: Hebræus, *apud Platonem.* 22.

C.

Cur Ruffinus Hieronymo per convitium dicatur eſſe Calphurnius Lanarius? 218-221.
Canis *in Socratis jusjurando quis ſit?* 275 278.
Caput *in jecore quotuplex?* 28.
Catonis *mors ſpontanea late examinatur.* 246-154.
Cauſſæ efficientis *qui primi meminerint?* 164.
Chaos *apud veteres quid ſignificet, late explicatur.* 49-56.
Cicadarum *ingenium.* 283-285.
Cicero *qualis in Philoſophicis exſtiterit?* 234. ſeq.
Ciceronis *divina dicta.* 268-270.
Cicutæ *vires, ejusque apud Athenienſes damnatis adminiſtrandæ ratio.* 46. ſeq.
Columna *aurea in templo Jovis Triphylii apud Panchæos, rebus geſtis Cœli, Saturni & Jovis inſcripta.* 14.

Columna *pro monte.* 209.
Comedere *inter Latina verba.* 155.
Conceptus *nondum animatos abortivo perdere veteribus licitum.* 183-186.
Coſtarum *numerus.* 177.
Cor *primo non habitum in extis.* 28.
Cornices *an comitentur ciconias peregrinantes.* 307. ſeqq.
Cretenſes *per omnia animalia jurant.* 274.
Cynici *unde ita dicti?* 278.

D.

Decani *apud* Pamphilum *quinam ſint?* 131-134.
Deorum *riſus quomodo intelligendus?* 138.
Diagoras Melius *Atheus.* 2. ſeq.
Dionyſii *Syracuſani Tyranni ſepultura.* 18.
Duodecim tabularum *leges male comparantur Philoſophorum bibliothecis a Cicerone.* 260-268.

E.

Ἠχεῖα *quæ, & quis eorum uſus in theatris?* 39. ſeq.
Empedocles novus *quis?* 116-118.
Empedocles *efficientis cauſſæ cum Anaxagora primus meminit.* 164.
Epicurum *Virgilius oblique deridet.* 197. ſeq.
Epiglottis. 30.
Eridano *cur in campis Elyſiis ortum aſſignet Virgilius?* 301. ſeq.

Euemerus *Atheus, de quo varia & non protrita recenſentur.* 1-16.
Euripides *Atheus.* 2. ſeqq.
Exponere & *abjicere recens editos partus apud Antiquos licitum erat.* 183-186.
Exſequiales *ritus Ægyptiorum.* 24. ſeq.
Extiſpices *ſua artis exempla pro diſcipulis vel vera vel picta aſſervare ſoliti.* 27. ſeq.
Extremorum *ſumma eſſe rariſſima docetur.* 254-160.

F.

FAſcina *in aquatilibus qua dicantur?* 66.
Fel *Neptuno ſacrum.* 28.
Ferreum *pectus*, Ferrea *vox unde apud Poëtas dicatur?* 208.
Fictiones Poëtarum *quales eſſe debeant?* 292. ſeq.
Finis *a ſcopo differt.* 17.
Fiſſum *in extis quid & quotuplex?* 28.
Fragilitatis humanæ *conſideratio parum prodeſt corrupta mentis hominibus.* 36. ſeq.

G.

GEneratio *quid?* 222-224.
De Geographicis tabulis *Veterum notanda quadam.* 186-188.
Gravitas *de hominis ingenio uſurpata, quid notet?* 247-249.

Haru-

H.

HAruſpices *vera vel picta ſua artis exempla pro diſcipulis aſſervabant.* 27. ſeq.
An de Herba metallum *dici poſſit?* 31. ſeq.
Herbæ decanis ſacræ *apud Pamphilum quid ſint?* 131-134.
Heroa, *hoc eſt, ſacella honoris cauſſa viris inclytis olim ponebantur, queis eorum cineres condebantur.* 20.
Hippo *Atheus.* 2. ſeqq.
De Hominis *natura.* 302-304.

I.

Ἴαδες Μῦσαι *quid notent apud Platonem?* 109.
Ingenia hominum *dignoſcendi ratio.* 42. ſeq.
Pedum in Inſectis *multitudo unde?* 161.
Inteſtina *mortuorum Ægyptii in fluvium abjiciunt, ut peccatorum irritamenta in vita.* 25.
Ἴτω Ζεὺς *Thebanorum proverbium.* 224.

J.

JEcur *vetuſtatis patiens* 26.
Jupiter Triphylius. 12.
Juſjurandum Socratis *diligenter explicatur.* 270-279.

K.

Καρκινοῦν *quid ſit?* 207.
Κόρος *id eſt: ſatietas cum tædio.* 113.

L.

Lactantii *iniquum de Socrate judicium refellitur.* 260-268
Laocoontis *ejuſque filiorum interitus late explicatur.* 293-299.
Jovem Lapidem *jurare* 274.
Non eſſe Latendum *generoſo animo.* 221. ſeq.
Larynx. 171.
Leones *revera coire contra* Servium *docetur.* 291.
Leves *quinam proprie dicantur?* 248.
De Limo *apud inferos.* 200.
De Loco *nonnulla philoſophatio.* 102. ſeq.
Locuſtam impinguari *quid notet?* 279-282.
Luſum quendam, *quem Deus ſibi velit exhiberi, Religionem unde dixerit Plato?* 138.

M.

Magnus *Medicus Logicus.* 97. ſeq.
De Malo medica *varia.* 288-291.
Margites *Homeri poëma & quid per* Margitem *intelligendum?* 75-83.

De

De Materiæ *patibilitate.* 111-114.
Medici *quidam rationales recenſentur.* 99. ſeq.
Meretricem *mores facile tutari, qua ratione Terentius dixerit?* 211-213.
Metallum *an de herba dici poſſit?* 31. ſeq.
Mola *inter κακέμφατα.* 153.
Molere farinam *SS. Literis inter κακέμφατα.* 152-156.
Mortuos *unde Virgilius inducat veſcentes?* 299. ſeq.
De Motu *animalium.* 173.
De Motu *gravium & levium.* 188-191.
Μῶσα, *pro ratione philoſophandi.* 110.
Μουσωθῆναι *id eſt ſine præceptore doctum fieri.* 59.

N.

NAtura *caſu an conſulto agat?* 68-74.
Naturalia *unde dicantur magica remedia?* 126.
Naufragorum *animas an interire ſtatuant Veteres?* 201-204.
Nicanor *Atheus.* 2. ſeq.
Nirei *Græcorum formoſiſſimi ſemel tantum Homerus meminit.* 44. ſeq.
De Numeris *Pythagoreorum nugæ.* 158.

O.

OS *inter obſcœna.* 155.
De Otio Sapientum *contra Ciceronem late diſputatur.* 235-236.

Pan-

P.

PAnchæos *conſinxit Euemerus.* 12-16.
Panis *odium in decrepitis mortis propinquæ ſignum.* 282.
Pedum *multitudo in inſectis unde?* 161.
Pedum *paſtorale.* 286. ſeq.
Periapta *ſaniores Ethnici contemſerunt.* 124-130.
Περιοχὴ *quid ſit in divinis?* 104.
Philoponi *ætas.* 191.
Cicero Philoſophorum *bibliothecis Leges duodecim tabularum male comparat:* 260-268.
De variis Philoſophorum *opinionibus Ciceronis & Luciani cenſura expenduntur.* 229 234.
Phryges bis captos *recte a Virgilio dici.* 217. ſeq.
Piſces *cur Empedocles vocarit* ἐμπύρους; 66. ſeq.
Plaſmate liquido *cantantes in theatris, & recitantes guttur leniebant.* 205-208.
De Platone *judicium.* 259.
Πλάττεσθαι, *id eſt, formari dicitur vox.* 207.
De Pori *&* Peniæ *concubitu fabula.* 115.
Porphyrius *Salomonem oblique perſtringit.* 21. ſeq.
Προενδημεῖν *quid notet? & a quo primum uſurpatum?* 35. ſeq.
Protagoras Abderites *Atheus.* 2. ſeqq.
Ψύχεσθαι *id eſt: ſiccari.* 176.
Pythagoreorum *ſodalitia in Sicilia floruere.* 19.

Q.

QUerquerus morbus *quiſnam ſit?* 63.

Religio

R.

Religio *cur dicatur Platoni* Ludus *quidam, quem Deus ſibi velit exhiberi?* 138.
Religio *machina quædam theatralis eſt Tyrannis.* 7.
Religione *tollenda ipſi Ethnici imprudentes viam veræ pietati muniverunt.* 16.
Retrahendi *mos aliquo properantes apud veteres.* 193.
Riſus *acceptio multiplex, deque eo varia.* 132-139.
De Romanorum *procerum veteris Reip. ſtudiis judicium* C. *Scaligeri & Mureti.* 234.
Ruminantium *ingenium.* 285. ſeq.

S.

SAcrum *quid ſignificet?* 215. ſeq.
Salomonis Eccleſiaſtes *cur ab Hebrais in Canonem librorum ſacrorum ſit receptus?* 23.
Salomo *oblique perſtrictus a Porphyrio.* 21.
Sanguinis *vis.* 6.
Sapientem & voluptati & ſapientiæ *per vices inſervire poſſe, quidam Cynici ajebant.* 20. ſeq.
Scaphiſmus *Perſarum ſupplicium.* 96.
Scarabæus. 306.
Scientia *philoſophiæ finis.* 17.
De Scolymis *quædam haud vulgaria.* 179. ſeq.
Scopus *a fine differt.* 17.
Senile *ſtudium.* 33. ſeq.
Senſuum *ipſorum cur non fiat ſenſus?* 91. ſeq.

Septe-

Septenarii *dignitas.* 158.
De Serpentum ictu *ſtupenda.* 119-122.
Serpentum *inceſſus.* 161.
Serum *pro ſemine genitali.* 155.
Σικέλικαι Μȣ́σαι apud Platonem quanam? 109.
Silentium. 214.
Soſipatra *fœmina erudita.* 94.
De Socrate *iniquum Lactantii judicium refutatur.* 270. ſeq.
Socrates *ſculptor hoc nomine.* 62.
Socrates *ſtatuarius fuit.* 9.
Socratis *jusjurandum late explicatur.* 270-279.
Spumantia pocula, *id eſt, plena.* 287.
Spuria *in aquatilibus quid ſint?* 66.
Subbibere, *id eſt, guttur medicamento lenire.* 206.

T.

THermæ *naturales cur* ſacræ *vocentur?* 215-217.
Θεϱμὸν, *id eſt, humidum.* 176.
In Thymaridis *nobilis Pythagorei heroum Dionyſius Sicilia Tyrannus eſt illatus.* 19.
Timæus *obſcuriſſimus Platonis liber.* 156.
Τόπ⊙ *idem interdum, quod* πεϱιοχή. 104.
De Triphyliis *haud vulgaria.* 12-16.

U.

URina *pro ſemine genitali.* 155.

Vacci-

V.

VAccinia *quid?* 194. ſeq.
Varietas *ſtudiorum.* 214.
Veritas. 34. ſeq.
Veſcentes *cur inducat Virgilius vita functos?* 299. ſeq.
Veterum *audacia in detorquendis aliorum dictis.* 83. ſeq.
De Viperarum *morſu ſtupenda.* 122-124.
Volatilium *differentiæ ſecundum alas.* 305. ſeq.
Voluptas, trahere *quomodo dicatur?* 197.
Voluptati *ſapientiæque poſſe per vices ſapientem inſervire, quidam Cynici putabant.* 20. ſeq.
De Vulgi vita *occupata late contra Ciceronem diſputatur.* 235-246.

F I N I S.

Errata Typothetarum.

In Indice capitum lib. IV. cap. XVII. *Tò Æliani* ponatur poſt *Tò* & lin. ult. Pag. 1, lin. 2. pro PHILOLOPHI Lege PHILOSOPHI. Pag. 90. lin. 29. pro *inmellit*, Lege *impellit*. Pag. 134. lin. 4. Lege CAPUT XVII. & ſeq. Pag. 139. lin. 3. Lege CAPUT XVIII. Cetera errata quam pauciſſima, utpote minutias octo novem nullius momenti, prætermimus, quæ cum nequaquam erudito lectori officiant, ſuperſtitioſum foret illas heic perſequi, & crucem figere lectori eas minutias emendationis labore indignas vix correcturo.

A01 1467820